CYPRIANI, HILARII, ALIORUMQUE VETERUM PATRUM LATINORUM OPUSCULA A...

Caecilius Thascius santo Cyprianus (santo), ...

Digitized by Google

37
14 B
10

MAG3132

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CYPRIANI, HILARII,

ALIORUMQUE

VETERUM PATRUM LATINORUM

OPUSCULA

A CANONICIS REGULARIBUS S. SALVATORIS

Nunc primum Edita.

BONONIÆ MDCCLI.

Apud Hieronymum Corciolani, & H. H. Colli ex Typographia
S. Thomæ Aquinatis. *Superiorum permiſſu.*

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDISSIMO PATRI

D. BLASIO DU CHESNE

S. GENOVEFÆ ABBATI,

Et Canonicorum Regularium Congregationis Gallicanæ
Præſuli Generali Ampliſſimo,

Ceteriſque ejuſdem Congregationis
Religioſiſſimis Canonicis

D. JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI S. SALVATORIS BONONIÆ ABBAS
S. P. D.

QUod ego , poſtquam Sanctiſſimo Doctiſſimoque Pontifici BENEDICTO XIV , quem honoris cauſa nomino , priorem Anecdotorum noſtrorum Tomum dicavi , Vos elegerim , Reverendiſſime Præſul, & Religioſiſſimi Canonici , quibus primam Tomi II partem inſcriberem , in cauſa fuit Congregationis Veſtræ nobilitas , ac præſtantia . Si enim amplitudinem deſideramus , ampliſſima ea eſt: Si familiæ ſplendorem ; quid ſplendidius eo Cœtu , qui , ut omittam reliqua Veſtra decora , in pluribus Cathedralibus, eiſque præclariſſimis Eccleſiis divina Officia ſanctiſſime celebrat? Si doctrinam ; viros literatiſſimos jam dudum aluit , alitque et-

Digitized by Google

iam num, ſic ut ex Veſtra familia Pariſienſis Univerſitatis Cancellarius ſeligatur: Si pietatem; viget illa adeo in Vobis, ut inſtitutum Veſtrum capeſſere non dubitaverint quotquot Clero addicti in Galliis vetera Patrum inſtituta profiteri ac ſequi optaverunt. An non itaque Vobis dicanda erat laborum noſtrorum potiſſima portio? Vobis, inquam, qui Canonici Ordinis eximium decus eſtis, & potior gloria? Vobis, qui non minus probitate, quam humanitate, & comitate præſtatis? Vobis, qui bonarum literarum ſtudia cum Theologicis ſtudiis, & veterum temporum, & profanæ hiſtoriæ peritiam cum ſacra eruditione, Sanctorumque Patrum lectione jungitis, eamque magnopere diligitis, & perſequimini? En cur non pauca Veterum Patrum opuſcula hactenus nondum edita Veſtro Nomini dicata volui; inter quæ præcipuum, niſi plane fallor, locum obtinet Magni Hilarii Pictavienſis Epiſcopi epiſtola, nobilis ſane, & documentis egregiis referta, Vobis acceptiſſimum fore ratus librum illum, in quo potiſſimas partes habet Galliarum, atque adeo Eccleſiarum omnium doctor Hilarius (*). At de hac epiſtola, & opuſculis reliquis, quæ liber iſte complectitur, & de eorum auctoribus hic multum loqui neceſſe non eſt: de iis enim in Præfationibus unicuique opuſculo præpoſitis ſatis diſſerimus. Tu, Reverendiſſime Præſul, Voſque omnes Religioſiſſimi Canonici, librum ipſum, qualiſcunque is eſt, benigne excipite, meque in primis, atque univerſam familiam meam Congregationi Veſtræ nobiliſſimæ ſane, atque illuſtriſſimæ addictiſſimam eſſe ſcitote. Valete.

IN-

(*) Caſſian. lib. 7 de Incarn. cap. 24.

Digitized by Google

INDEX OPUSCULORUM

Quæ in hoc volumine evulgantur.

1	*D. Cypriani exhortatio ad pœnitentiam*	pag. 3
2	*D. Hilarii Pictavienſis epiſtola, ſeu libellus*	38
3	*De Dedicatione Eccleſiæ Sermo eidem Hilario tributus*	175
4	*Quæſtiones in Habacuc prophetam D. Hieronymo tributæ*	189
5	*De Jejuniis diſputatio*	192
6	*Chronica ſuccincte deſcripta de regno Hebræorum*	193
7	*Sermo in die Dominica Paſchæ D. Hieronymo tributus*	195
8	*Soliloquiorum, quæ Auguſtino tributa ſunt, caput poſtremum*	197
9	*Paulini Mediolanenſis libellus de benedictionibus Patriarcharum*	206
10	*Sermo S. Leonis Papæ de Quadrageſima*	233
11	*De Reſurrectione Domini ſermo alter eidem Leoni tributus*	239
12	*Sermo tertius in Feſtivitate Sancti Pauli eidem Leoni tributus*	245
13	*Sermo de Abrahæ filio.*	252

Paulini libellus de benedictionibus Patriarcharum a Jo. Aloyſio Mingarellio, cetera vero opuſcula a Jo. Chryſoſtomo Trombellio illuſtrata ſunt.

Ad-

Digitized by Google

Addenda , & emendanda .

Pag. 2 col. 2. linea 26 poſt ea verba *portio ineſt*, hæc adde = quamque ſi cum ea contuleris, quam egregius Sabatier ex vetuſtis ſcriptoribus improbo labore collegit, haud raro ab ea differre conſpicies. Loca ipſa non noto, ut ea per ſe conſulat Lector.

Pag. 4 col. 1 lin. 31 , 32 &c. bis leguntur hæc verba: *& non firmabo faciem meam ſuper vos, quia miſericors ego ſum, dicit Dominus*: quæ ſemel tantum legi debent.

Pag. 15 col. 2 linea 14 verbis iis *præterit Damaſcenus*, iſta ſubjicito = At, ne quid diſſimulem, noverit Lector, alio in loco Cyprianum, & Hieronymum aliter legiſſe. Cyprianus ſcilicet (lib. 3 *teſtimonior.* cap. XI.) ita legit: *Relinquat impius vias ſuas, & vir facinoroſus cogitationes ſuas, & convertatur ad Dominum, & miſericordiam conſequetur: quia in multum remittet peccata veſtra*. Advertit autem egregius Sabatier interpretationem hanc magis adhærere Græcæ lectioni ἐπὶ πολὺ. Hieronymus autem (in Commentariis in locum hunc) ita legit: *Relinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas ... quia multum dimittet peccata veſtra*. Si horum interpretationes ſequeris, eodem ſpectat locus iſte, ac proxime ſuperiores. Suſpicor porro, ut candide quod ſentio eloquar, Amanuenſem noſtrum ſubſtituiſſe vocem *non* voci *in*, quæ habebatur in eo vetuſtiori Codice, ex quo hæc exſcripſit. Quia tamen ferri ea etiam lectio poteſt, quam noſter proponit Codex, eam immutare nolui.

Pag. 23 col. 1 linea 28 poſt verba ea *interpretationem injicere*, hæc adjice = præſertim quum ea interpretatio vetuſtiſſima ſit; nam ea utitur Julianus, referente Auguſtino (lib. III operis imperfecti pag. 1068) : & non inſuetum ſit prorſus latino Scripturarum interpreti, ut latinæ voci, vetuſtam, ex qua tranſtulit, præponat, veluti in illo *Abba Pater* &c.

Pag. 31 col. 1 linea 21 verbis illis *cancer ſerpit*, adjunge iſta = Ceterum, ſi quis amanuenſem noſtrum ab indiligentia, atque audacia purgare cupiat, facile id conſequetur: etenim Vetuſta Novi Teſtamenti interpretatio longe minus ab hodierna Vulgata diſtat, quam diſtet veteris teſtamenti interpretatio. Id utique fatebitur quiſquis eam Novi Teſtamenti verſionem, quam Sabatier veluti vetuſtam exhibet, cum hodierna Vulgata comparaverit.

Pag. 40 col. 2 lin. 34 pro *lignaque* lege *ligna quoque*. Et lin. 36 pro *cælumque* lege *cælum quoque*.

Pag. 42 col. 1 lin. 18 pro *ne hoc quidem* lege *nec hoc quidem*.

Pag. eadem col. 2 lin. 29, & 30 ſic lege: *& quiſquam metuit, ne minuatur patrimonium, unde Deo jubente erogatur?*

Pag. 49 col. 2 lin. 37 pro *& ſub uno cubant tecto* lege *aut ſub uno cubant tecto.*

Pag. 51 col. 1 lin. 39 pro *ſic fatetur* lege *ſicut fatetur*.

Pag. 52 col. 2 lin. 1 pro *in dilectionis, plenitudine* lege *in dilectionis plenitudine.*

Pag. 200 col. 2 lin. 24 pro *us* lege *ut*.

NOS

Digitized by Google

NOS DOMNUS

BARTHOLOMÆUS RASPONI

RAVENNAS

Canonicorum Regularium Congregationis Rhenanæ S. Salvatoris, Ordinis S. Auguſtini, Abbas Generalis.

QUum librum, qui inſcribitur: *Veterum Patrum latinorum opuſcula nunquam antehac edita. Anecdotorum a Canonicis Regularibus Sancti Salvatoris evulgatorum tom. II Pars I*, duo noſtræ Congregationis Theologi juſſu noſtro attente legerint, & approbarint: facultatem facimus, quantum in Nobis eſt, ut typis mandetur. In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

In quorum fidem has dedimus in noſtra Canonica S. Joannis Euangeliſtæ, Ravennæ. Pridie Kalend. Auguſti MDCCL.

D. Bartholomæus Raſponi Abbas Generalis, &c.

Reg. fol. 64.

Loco ✠ Sigilli

D. Thomas Rita Cancellarius,
& Sacræ Theologiæ Lector Emeritus.

Vidit

Vidit D. Aurelius Caſtanea Cleric. Regul. S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius, pro SS. D. N. Benedicto XIV. Archiepiſcopo Bononiæ.

Reverendiſſimus, & Excellentiſſimus D. Hercules Zanotti Canonicus Perinſignis Collegiatæ S. Petronii, & Doctor Collegiatus Sacræ Theologiæ videat pro S. Officio, & referat.

Fr. Thomas Maria de Angelis S.O. Bononiæ Generalis Inquiſitor.

Die 6. Auguſti 1750.

Ut muneri, quod mihi mandatum fuit a Reverendiſſimo Patre Inquiſitore, cujus plurimum apud me valet, & apud omnes valere debet authoritas, ſatisfacerem, librum hunc, cui titulus: Veterum Patrum Latinorum Opuſcula nunquam antehac edita. Anecdotorum a Canonicis Regularibus S. Salvatoris evulgatorum Tom. II. Pars I. *perlegi, & quo diligentius ad hanc gratiſſimam, & perutilem Lectionem me contuli, eo magis abfuit, ut in ea quidquam deprehenderim, quod bonis moribus, dogmatibuſque Catholicæ Religionis adverſaretur, ut potius admiratus fuerim eximiam Scriptorum horum doctrinam, inque theologicis, & eccleſiaſticis rebus peritiam Authorum, qui ſummo ſtudio, ac ingenio elaboratas huic Operi Notationes adjunxerunt: quamobrem in hujus libri, qui omnibus magnæ eſſe poteſt utilitatis, approbationem traductus ſum, & in lucem edi, & typis mandari dignum eſſe cenſeo, ſi ita, ad quos pertinet, viſum fuerit.*

Ita ego Hercules Maria Zanotti Doctor Theologus Collegiatus, & Perinſignis Baſilicæ Sancti Petronii Canonicus.

Die 12. Auguſti 1750.

Attenta ſuprapoſita atteſtatione præfati D. Excellen. Doct. Zanotti

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria de Angelis S.O. Bononiæ Generalis Inquiſitor.

LE-

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO
JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI.

1. TAmetſi accurate, ſummaque diligentia Codices noſtros perluſtraverim, atque eos præſertim, qui Veterum auctorum epiſtolas, & opuſcula continent: ſæpe enim in iis latent pretioſæ quædam Veterum Scriptorum reliquiæ, quas colligere, evulgareque litterariæ Reipublicæ plurimi intereſt; ubi tamen ad eos perveni, qui Cypriani ſcripta continent, diligentiam auxi, ſperans ſcilicet, quod Eraſmo, Manutio, Morelio acciderat, id mihi quoque eventurum. Cypriani Codices dum illi ſtudioſe, exquiſiteque pervolverunt, quædam repefere, quæ ſuperiores Typographos latuerant; quæ tamen ob præſtantiam ſuam videbantur expoſcere, ut proferrentur in lucem. Mea me non prorſus fefellit opinio. E duobus, quos poſſidemus, Cypriani codicibus alter altero copioſior eſt, atque adeo, ut univerſas fere Cypriani epiſtolas, & opuſcula complectatur: quæ dum ſolertiſſime perquiro, comparoque cum editis, ſe mihi libellus obtulit, quem inter evulgatos fruſtra perquiſivi: inſcribitur autem in dicto Codice: *Exhortatio Cypriani de Pœnitentia*: titulo nimirum (ut deinceps oſtendam) ab Amanuenſi illi aptato. Quanta hujuſce Opuſculi præſtantia ſit, atque utilitas, deinceps dicam. Hoc ſane audacter affirmare audeo, immerito illud hactenus in tenebris delituiſſe: tametſi enim nullum inſit hiſtoricum monumentum, nulla in eo emineat eloquentia, careat quoque argumentis a ratione, aut Veterum auctoritate petitis, ſed Scriptura tantum innitatur, eaque jejune, ac ſine ullo ornamento expoſita; non continuo tamen eſt contemnendum: alioquin contemnas neceſſe eſt egregios eos Cypriani libros, qui *teſtimonia ad Quirinum* continent; in iis quippe ſine ullo eloquentiæ verborumque apparatu, ſine ullo rationum, Veterumque ſubſidio ſola Scriptura adverſus errores pugnatur, & fidei noſtræ dogmata ſtabiliuntur.

2. Idem porro conſilium is iniit, cujus Opuſculum hic profero, vetuſtus ille quidem, & valde probabilis ſcriptor, aut Cyprianus ſcilicet ipſe, aut alter ignotus, ſi vis, Cypriano tamen ætate par, Cypriani veſtigiis, ac ſtudio inſiſtens. Cyprianum ſcilicet indicare videtur diſputandi, Scripturæque teſtimonia allegandi ratio quam adhibet, ſimillima nimirum illi, quam in libro *Teſtimoniorum* is obſervavit. Atque huic quidem conjecturæ Cypriani nomen huic Opuſculo in codice præpoſitum favet: quamvis enim ea in re interdum errarint Amanuenſes, haud raro tamen veros librorum auctores indicarunt.

At cum Scripturæ interpretationem Opuſculi noſtri auctor alleget valde diverſam ab ea, qua utitur Cyprianus: nemo quoque e veteribus libellum hunc Cypriano tribuerit, anceps hæreo, cuinam illum adſcribam. Novi equidem poſtrema hæc argumenta indiſſolubilia minime eſſe. Veteres ſcilicet modo unam, modo aliam Scripturæ interpretationem ſequebantur. Cujus rei adeo multa, adeo perſpicua argumenta habemus, ut de ea jam nemo dubitet. (*a*)

(*a*) Unicum exemplum, ſed illud manifeſtum adhibeo. Auguſtinus Serm. 20. n. 3 ſic verſiculum 21 capitis XVIII Ezechiel. allegat: *In quacunque die converſus fuerit iniquus, & fecerit juſtitiam, annos iniquitatis ejus obliviſcar*. At Serm. 39. n. 1 citat hoc modo: *Quo die converſus fueris, obliviſcitur* (Deus) *mala tua præterita*. Serm. vero 82 (qui eſt de verbis Evange. Matth. cap. 18.) n. 14 cum aliqua licet levi differentia rurſus adducit; nempe ita: *Iniquus in qua die converſus fuerit ab iniquitatibus ſuis, & fecerit juſtitiam, omnes iniquitates ejus obliviſcar*. Et alibi etiam eundem verſiculum afferens, cum aliquo diſcri-

Digitized by Google

Amanuenſes etiam licentiam ſane non levem ſibi arrogarunt, ſubſtitueruntque non raro interpretationem, quam diligerent, interpretationi qua uſus fuerat auctor ille, quem exſcribebant.

3. Quod vero nemo ex Veteribus, quos nunc habemus, libellum hunc alleget, mirum non eſt. Deſiit enim haud multo poſt Cypriani tempora error is, quem libellus iſte confutat: ideoque occaſio etiam deſiit, ob quam idem libellus allegaretur. Ad hæc: Unde novimus veteres alios, quorum libros deſideramus, minime hunc allegaſſe? Levis itaque eſt, quæ a veterum ſilentio deſumitur difficultas. At quamquam, uti dixi, ea argumenta diſſolubilia fateor; probabilia ſunt tamen.

4. Quiſquis tamen libellum hunc compoſuerit, ſimillimum veri eſt, eum Cypriani æqualem, aut certe non multum ab ejus ætate remotum fuiſſe, & in Scripturarum lectione detritum. An non Cypriani æqualem, aut certe haud multum ab illius ætate remotum oſtendit ea, quam ſequitur, Scripturæ interpretatio, & diſciplina, quam ſtabilire conatur? Indicat ſcilicet non obſcure ſcriptor iſte, recipiendos quidem in Eccleſiam lapſos, & a ſpe veniæ minime arcendos quorumvis criminum reos, dummodo canonicæ pęnitentiæ ſe ſe ſubjicerent. Hæc ſcilicet quæſtio cum Cypriani tempore potiſſimum viguerit, haud obſcure ætatem innuit, qua conſcriptus eſt liber iſte.

5. Quis porro in Scripturarum lectione detritum eum neget, poſtquam viderit percurrere illum tot Scripturarum libros, & ex iis ſeligere loca, quæ mirum in modum catholicum dogma confirment, illique faveant conſuetudini, quam in Eccleſia ſervandam cenſuit Cyprianus?

6. Propterea vero veriſimillimum tantummodo eſſe id arbitror, quod de Cypriano hujuſce libelli auctore dixi, neque aliquid certi ea de re ſtatuere auſus ſum, quod noverim extitiſſe jam pridem nonnullos (*a*) etiam inter latinos, qui Cyprianum hoc in ſcribendi genere imitarentur (*b*), in quorum numero Pelagius ille eminuit (*c*), qui laudem, quam aliunde acquiſiverat, adverſus divinam gratiam poſtea decertans ſibi ademit. Quoniam porro ea, quę veriſimillima ſunt, admitti cọmmode poſſunt, quiṣ mihi vitio vertet, ſi deinceps, quoties de hujuſce Opuſculi auctore incidet ſermo (incidet autem ſæpe), eum Cyprianum eſſe dicam?

7. Nec modica, me quidem judice, hujuſce libelli utilitas eſt. An non vero valde utilis libellus is eſt, in quo uſitatiſſimus Eccleſiæ mos eminet, ut ſcilicet exortus error adductis pluribus Scripturarum teſtimoniis ſtatim reprimatur; & in quo tanta vetuſtiſſimæ verſionis portio ineſt? Quod ſi eo ordine, quo Codices eorum temporum conſcripti erant, ſacros libros hic allegari cenſes, emolumentum aliud continuo in eo habes: quod quidem hic multis commendare minime eſt opus: ſed profecto nọn leve eſt. Habet etiam hoc commodi, ut ſacras Scripturas allegans, *Eccleſiaſtici* librum adducat, exemplo ſuo oſtendens, quanto in pretio prioribus ipſis Eccleſiæ ſeculis habitus ſit liber ille, quem nunc Proteſtantes minimi faciunt. Sed de libelli auctore, ac præſtantia hactenus. Ecce autem libellum ipſum.

EXHOR-

diſcrimine affert = *Pulſat*, *&* *clamat* (inquit ille n. 10 Sermonis 87, qui eſt de verbis Matth. 20.) *per Prophetam Ezechielem*. „ In quacunque die converſus fuerit homo a via „ ſua peſſima, omnes iniquitates ejus obliviſcar. „

(*a*) En quæ in libros teſtimoniorum Cypriani notat Baluzius: *Si qua ſunt loca in operibus Sancti Cypriani, de quibus pronunciari non poſſit ea certe illius eſſe, id vero in primis aſſeri poteſt de libris teſtimoniorum ad Quirinum. Plures enim codices plus habent, quam vulgatæ editiones, alia minus.* Cur vero non pauci codices adeo copioſi ſunt? An non quia poſteriorum Doctorum laboribus accreverunt? dixi etiam inter Latinos; nam inter Græcos eo in ſcribendi genere eminuit Damaſcenus plures libros ſimili de argumento edens, quos *parallela*, ſeu (ſi vis) *Eclogas* appellavit. (*b*) *Ejuſdem porro fere argumenti cum iſto Cypriani opere eſt liber* de promiſſionibus, & prædictionibus Dei, *qui vulgo tribuitur Proſpero*. Baluzius nota I *in libros teſtimoniorum* S. Cypriani. (*c*) Vide quæ tradunt Voſſius Hiſto. Pelagia. lib. 1. capite IV. *de iis, quæ Pelagius ſcripſit*, & Cave in hiſto. litt. de Pelagio ad annum 405. pag. 383. tomo 1. edi. Baſil. anni 1741.

Digitized by Google

(a) EXHORTATIO S. CYPRIANI DE POENITENTIA INCIPIT.

Per pœnitentiam poſſe omnia peccata dimitti ei qui ad Deum toto corde converſus ſit.

(1) IN Pſalmo octuageſimo octavo: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.*

(2) Item apud Iſaiam: *Sicut dicit Dominus Sanctus Iſrael: Quum converſus ingemueris, tunc ſalvus eris, & ſcies ubi fueris.*

(3) Item illic: *Væ filii deſertionis, dicit Dominus: feciſtis conſilium non per me, & ſponſionem meam non per ſpiritum meum, adjicere peccatum ſuper peccatum.*

(4) Item apud Hieremiam: *Avertere (b) pedem tuum ab aſpera via, & faciem tuam a ſiti. Illa vero dixit: confortabor: volo: quia diligebat alienos, & ibat poſt illos.*

(5) Item apud Iſaiam: *Convertimini, quia (c) altam cogitationem cogitatis, & iniquam.*

(6) Item illic: *Ego ſum, ego ſum qui deleo injuſtitias tuas, & non recordabor: tu autem recordare, & judicemur ſimul: dic tu injuſtitias tuas prius.*

(7) Item illic: *Quærite Deum, & quum inveneritis eum, invocate. At ubi appropinquavit vobis, derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & convertatur ad Dominum, & miſericordia ei præparabitur, quia non multum remittit peccata veſtra.*

(8) Item illic: *Recordare hæc Jacob, & Iſrael, quia puer meus es. Vocavi te puerum meum: & tu Iſrael noli obliviſci mei. Ecce enim abſterſi ſicut .... injuſtitias tuas, & ſicut imbrem peccata tua. Convertere ad me, & redimam te.*

(9) Item illic: *In mente habete hæc, & gemite. Pœnitemini qui ſeducti eſtis, & convertimini corde ad me, & in mente habete priora ſæcula, quia ego Deus.*

(10) Item illic: *Tempore puſillo dereliqui, & cum miſericordia magna miſerebor tui. In furore puſillo averti faciem meam abs te: in miſericordia æterna miſerebor tui.*

(11) Item illic: *Hæc dixit Excelſus in Excelſis habitans, in æternum Sanctus in Sanctis: nomen eſt ei Dominus: excelſus in Sanctis requieſcens, & puſillanimis dans animi æquitatem, & dans vitam contribulatis corde. Non*

(a) Fortaſſe: *exhortatio ad pœnitentiam*. (1) v. 31. (2) cap. 30. v. 15. (3) c. 30. v. 1. (4) c. 2. v. 25. (b) ut puto, *Averte*. (5) c. 31. v. 6. (c) *qui*, ut puto. (6) c. 43. v. 25. (7) c. 55. v. 6. (8) c. 44. v. 1. (9) c. 46. v. 8. (10) c. 54. v. 8. (11) c. 57. v. 15.

Digitized by Google

in ſempiternum iraſcor vobis, nec per omnia vindicabo in vos. Spiritus enim a me prodiet, & inſpirationem omnem ego feci: & propter peccatum, puſillum contriſtavi eum, & averti faciem meam ab eo, & vilem paſſus eſt, & abiit triſtis in viis. Vias ejus vidi, & ſanavi eum, & conſolatus ſum ego, & dedi ei conſolationem veram, & pacem ſuper pacem iis, qui longe, & iis qui prope. Et dixit Dominus, ſanavi eos: iniqui autem, ut mare commotum, ſic fluctuabuntur, & quieſcere non poſſunt. Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus.

(12) Item apud Hieremiam: *Numquid obliviſcetur ſponſa ornamenti ſui, aut virgo faſciæ pectoralis ſuæ? Populus vero meus oblitus eſt mei dierum* (*a*), *quorum non eſt numerus.*

(13) Item illic: *In ſumma loquar ſuper gentem, aut ſuper regnum; aut auferam eos, & perdam. Et ſi converſa fuerit gens a malis ſuis, pœnitebo de malis, quod* (*b*) *cogitavi facere illis. Et ſumma loquar ſuper gentem, aut regnum, ut reædificem, & plantem, & facient mala ante me, ut non audiant vocem meam, & pœnitebo de bonis, quæ loquutus ſum facere eis.*

(14) Item illic: *Revertere ad me habitatio Iſrael, dicit Dominus, & non firmabo faciem meam ſuper vos, quia miſericors ego ſum, dicit Dominus, & non firmabo faciem meam ſuper vos, quia miſericors ego ſum, dicit Dominus, & non iraſcar vobis in æternum.*

(15) Item illic: *Convertimini filii qui receſſiſtis, dicit Dominus. Quoniam ego dominabor veſtri, & accipiam vos unum de civitate, & duos de familia, & inducam vos in Sion: & dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, & paſcent vos paſcentes cum diſciplina.*

(16) Item illic: *Convertimini filii convertentes, & ego ſanabo contritionem veſtram.*

(17) Item illic: *Ablue a malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſaneris. Uſquequo erunt in te cogitationes dolorum tuorum?*

(18) Item illic: *Hæc dicit Dominus. Nunquid qui cadit, non reſurgit; aut qui avertit ſe, non convertetur? Quia avertit ſe populus iſte a viſione improba, & obtinuerunt præſumptione ſua, & noluerunt converti.*

(19) Item illic: *Non eſt homo pœnitentiam agens a malitia ſua, dicens: Quid feci? defecit qui currit curſu ſuo, ſicut equus ſuadens in hinnitu ſuo.*

(20) Item illic: *Avertatur ergo unuſquiſque a via ſua mala, & meliora facite ſtudia veſtra. Et dixerunt, confortabimur, quia poſt adinventiones veſtras* (*c*) *ibimus, & unuſquiſque quæ placent cordi ſuo mala, faciemus.*

(21) Item illic: *Effunde ſicut torrens lacrimas die ac nocte: noli dare tibi requiem: non ſileat pupilla oculi tui.*

(22) Item illic: *Perſcrutemur vias noſtras, & convertamur ad Dominum. Mundemus corda cum manibus noſtris, & reſpiciamus ad Dominum, qui habitat in cælis. Nos peccavimus, & irritavimus, & tu non es propitiatus.*

(23) Item illic: *Et dixit Dominus ad me in diebus Joſiæ Regis: Vidiſti quæ fecit mihi habitatio domus* (*d*) *Iſrael: abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſubiit ad omne lignum nemoroſum, & fornicata eſt illic. Et dixi, poſtquam fornicata eſt hæc omnia, ad me convertere, & non eſt reverſa.*

(24) Item illic: *Non repellet in æternum Dominus, & quem humiliaverit, miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuæ, quia non humiliabit ex toto corde ſuo, neque repellet filios hominum.*

(25) Item

(12) c. 2. v. 32. (*a*) puto legendum *diebus*. (13) c. 18. v. 7. (*b*) *qua*. (14) c. 3. v. 12. (15) c. 3. v. 14. (16) c. 3. v. 22. (17) c. 4. v. 14. (18) c. 8. v. 4. (19) c. 8. v. 6. (20) c. 18. v. 11. (*c*) *noſtras*, ut puto. (21) Thr. 2. v. 18. (22) Thren. 3. v. 40. (23) c. 3. v. 6. (*d*) dele vocem *domus*. (24) Th. 3. 31.

Digitized by Google

(25) Item apud Ezechielem: *Et juſtus non poterit ſalvus eſſe in die peccati. Cum juſto dicam, vita vives; ipſe vero confidet* (a) *ſuper juſtitiam ſuam, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus non commemorabuntur: in ſua iniquitate quam fecerit, in ea morietur. Et quom dicam impio: morte morieris, & avertit ſe a peccato ſuo, & fecerit juſtitiam, & judicium, & pignus debitori reddiderit, & rapinam reſtituerit, in præceptis vitæ ambulaverit, ne faciat iniquum, vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus quæ peccavit, non commovebuntur ei, quia judicium, & juſtitiam fecit, in ipſis vivet.*

(26) Item illic: *Ego Dominus, quia humilio lignum altum, & exalto lignum humile, & areſacio lignum viride, & reviviſcere facio lignum aridum.*

(27) Item illic: *Et tu fili hominis dic domui Iſrael: ſicut locuti eſtis dicentes: Errores noſtri, & iniquitates noſtræ in nobis ſunt, & in ipſis nos tabeſcimus, & quomodo vivemus? dic illis: Vivo ego, dicit Dominus. Si volo mortem impii: tantum a via ſua avertatur, & vivet.*

(28) Item illic: *Ego Dominus ædificavi demolita, & plantavi exterminata.*

(29) Item illic: *Et iniquus, ſi convertat ſe ab omnibus iniquitatibus, quas fecit, & cuſtodiat omnia mandata mea, & faciat judicium, & juſtitiam, & miſericordiam, vita vivet, & non morietur. Omnia delicta ejus quæ fecit, non erunt in memoria: in ſua juſtitia quam fecit, vivet. Nunquid voluntate volo mortem injuſti, dicit Adonaj Dominus, quàm ut avertat ſe a via ſua mala, & vivere eum?*

(30) Item illic: *Convertimini, & avertite vos ab omnibus impietatibus veſtris, & non erunt vobis in pœnam. Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, quas impie feciſtis in me, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et ut quid moriemini, domus Iſrael? quia nolo mortem morientis, dicit Adonaj Dominus.*

(31) Item apud Danielem: *Et poſt finem dierum, Ego Nabuchdonoſor oculos meos in cælum ſuſtuli: & ſenſus meus in me converſus eſt, & Altiſſimum laudavi, & Regem cæli benedixi, & viventem in ſæcula laudavi, quia poteſtas ejus æterna eſt; Regnum ejus in generatione, & omnes qui inhabitant terram, nihil.*

(32) Item apud Michæam: *Heu mihi anima mea! quia periit veritas a terra, & qui corrigat, inter omnes non eſt: Omnes in ſanguine judicant. Unuſquiſque proximum tribulat tribulatione: in malum manus ſuas præparant.*

(33) Item illic: *Noli gaudere ſuper me, inimica mea, quia cecidi, ſed reſurgam; propter quod ſi ſedero in tenebris, Dominus lucebit mihi. Iram Domino ſuſtinebo, quia peccavi ei, donec juſtificet ipſe cauſam meam.*

(34) Item apud Sophoniam: *Convenite, & precamini gens indiſciplinata, priuſquam efficiamini ſicut flos præteriens, priuſquam veniat ſuper vos ira Domini, priuſquam veniat ſuper vos dies furoris Domini. Quærite Dominum omnes humiles terræ, judicium operamini, & quærite juſtitiam, & quærite manſuetudinem, & reſpondete ei, ut protegamini in die iræ Domini.*

(35) Item apud Zachariam: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.*

(36) Item apud Oſee: *Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam infirmatus es iniquitatibus tuis. Aſſumite vobiſcum multos, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: dicite ei adorantes: potens es dimittere peccata noſtra, ut non accipiatis iniquitatem, ſed ut accipiatis bona.*

(37) Item in Eccleſiaſtico: *Conver-*

(a) *ſi confidet*, ut puto. (25) c. 33. v. 12. (26) c. 17. v. 24. (27) c. 33. v. 10. (28) c. 36. v. 36. (29) c. 18. v. 21. (30) c. 18. v. 30. (31) c. 4. v. 31. (32) c. 7. v. 2. &c. (33) c. 7. v. 8. (34) c. 2. v. 1. (35) c. 1. v. 3. (36) c. 14. v. 2. (37) c. 17. v. 23.

Digitized by Google

vertere ad Dominum, & relinque peccata tua, & nimis odite execrationem, & cognoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propitiationis Altiſſimi, & vade in partem ſæculi cum vivis, & dantibus confeſſionem. Non demoreris in errore impiorum. A mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Vivus, & ſanus confiteberis Deo, & gloriaberis in miſerationibus illius, quoniam magna miſericordia Dei, & propitiatio illius convertentibus ad ſe.

(38) Item illic: *Quam bonum eſt cor rectum manifeſtare pœnitentiam! Sic enim effugies voluntarium peccatum.*

(39) Item in Actibus Apoſtolorum: *Ait autem ad illum Petrus: pecunia tua tecum ſit in perditione, quoniam gratiam Dei putas te per pecuniam poſſe conſequi. Non eſt pars, neque ſors tibi in hac fide, quia cor tuum non eſt rectum apud Dominum. Itaque pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & precare Dominum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis, & amaritudine fellis video te eſſe.*

(40) Item in Epiſtola Pauli ben: (*a*) ad Corinthios ſecunda: *Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem operatur ſtabilem: Sæculi autem triſtitia mortem operatur.*

(41) Item illic de hoc ipſo: *Si cui autem aliquid donaſtis, & ego: Nam & ego, quod donavi propter vos in facie Chriſti, ut non circumveniamur a Satana; nec enim verſutias ejus ignoramus.*

(42) Item illic: *Timeo autem, ne forte quom venero ad vos, iterum humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper quæ geſſerunt, fornicationem, & impudicitiam.*

(43) Item illic. *Prædixi, & prædico: ut præſens ſedeo, & abſens nunc his qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quia ſi venero, iterum non parcam.*

(44) Item ad Timotheum ſecunda: *Prophanas autem novitates vocum devita: multum enim proficiunt ad impietatem: Nam ſermo eorum ſicut cancer ſerpit; ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt dicentes reſurrectionem jam factam, & quorundam fidem ſubverterunt. Sed firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc. Cognovit Deus qui ſunt ejus, & diſcedet ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emendaverit* (*b*) *ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne bonum opus paratum. Juvenilia autem deſideria fuge. Sectare vero Juſtitiam, Fidem, Caritatem, Pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt; ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant de Diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.*

(45) Item in Apocalypſi: *Memento unde cecideris, & age pœnitentiam: Sin autem, veniam tibi cito, & candelabrum de loco ſuo movebo.*

FINIS.

De

(38) c. 20. v. 4. (39) c. 8. v. 19. (40) c. 7. v. 10. (*a*) *benedicti*, niſi fallimur. (41) c. 2. v. 10. (42) c. 12. v. 20. (43) c. 13. v. 2. (44) c. 2. v. 21. (*b*) Vulgata, quam ceteroqui ſequitur hoc in loco Amanuenſis, habet *emundaverit*. (45) c. 2. v. 5.

Digitized by Google

De titulo, ac meta, ſeu argumento ſuperioris Opuſculi.

CAPUT I.

1. QUoniam invaluit mos, ut qui nunc evulgantur Veterum libri, ab eo illuſtrentur, qui illos in lucem edit, conſuetudini obſequor, ac primo quidem de titulo ſuperioris opuſculi, deque argumento, quod in eo perſequitur illius auctor, dicam, tum eidem Opuſculo Adnotationes quaſdam adjungam, quibus ea explicentur loca, quæ ſubobſcura aliquibus viſa ſunt, & eæ tollantur dubitationes, quæ in Lectoris animum irrepere poſſent.

2. Ecce autem in titulo ipſo, quod ſtudioſis Codicum lectioni minime aſſuetis negotium faceſſat. Putare ſcilicet facile poterunt, verba hæc *Exhortatio de Pœnitentia* aut a Cypriano ipſo fuiſſe Opuſculo a ſe edito præpoſita, aut certe multum vetuſtatis, & auctoritatis habentia. Tum vero eos anget verborum illorum ſyntaxis valde a latina abhorrens.

3. At leviſſima eſt hæc difficultas; Error enim in Amanuenſem eſt rejiciendus; conſuevere enim qui libros exſcripſere, ſi forte titulis deſtitutos libros ipſos reperirent, titulos ex ingenio apponere. Sæpe etiam veteres, quos hi minime approbaſſent, immutare, novoſque pro lubito ſubſtituere. Quamob cauſam varii admodum ſunt in Codicibus tituli libris præpoſiti, interdum etiam putidiſſimi, & ab auctoris mente remotiſſimi.

4. Titulus itaque libelli hujus is eſſe videtur, qui proxime ſequitur; hic ſcilicet: *Per pœnitentiam poſſe omnia peccata dimitti ei, qui ad Deum toto corde converſus ſit*. Hoc nempe argumentum pertractandum, & Scripturarum auctoritate comprobandum ſuſcepit Scriptor iſte, quiſquis is eſt. Id porro mirum non eſt: etenim ut in Cypriano conſiſtam, libello, quem *de Idolorum vanitate* inſcribere conſuevimus, non abſimilis titulus præfixus eſt; hic nimirum: *Quod Idola Dii non ſint, & quod per Chriſtum ſalus credentibus data eſt*. Nec valde diſtat titulus, qui libris *Teſtimoniorum* præponitur.

5. At hujuſmodi titulus (inquies) non admodum congruit cum aliquibus teſtimoniis, quæ in eodem libello allegantur, & præſertim cum 12, & 43. Quanam, obſecro, ratione eruere poteris, *per pœnitentiam dimitti poſſe peccata ei, qui ad Deum toto corde convertitur*, ex eo quod *oblivisci non poſſit ſponſa ornamenti ſui, nec virgo faſciæ pectoralis ſuæ: populus vero per annos plurimos oblitus ſit Dei?* Rurſus quanam ratione eandem theſim derivare poteris ex eo quod hæc tradat Apoſtolus Paulus? *prædixi, & prædico: ut præſens ſedeo, & abſens nunc iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quia ſi venero, non parcam*.

6. Haud levis videtur eſſe hæc difficultas, quam tamen facile diſſolves, ſi advertes non de quavis pœnitentia locutos fuiſſe Veteres Patres, qui remitti per eam poſſe docuerunt quælibet crimina, ſed de ea quam poſcebat Eccleſia, vetuſta diſciplina, ac conſuetudine innixa: ſic ut tres errores evitandos monerent: eum, quem Novatianorum crudelitas, & pervicacia adverſus Eccleſiæ poteſtatem ſtruxerat, *graviora peccata dimitti poſſe negantium:* eum pariter, quem nimia ſeveritas nonnullorum Catholicorum ſtatuere ſtudebat, fatentium ſcilicet remiſſibilia eſſe quidem crimina quævis: negantium tamen tribuendam remiſſionem, & veniam in peccata graviora lapſis, eoſque ab Eccleſia, & a ſpe veniæ repellentium; eum denique quem nimia indulgentia, & lenitas aliorum inducere ſtudebat; admittebant hi nempe in Eccleſiam, reci-

Digitized by Google

recipiebantque ad Communionem lapſos, nullam, aut certe leviſſimam pœnitentiam ab iis expoſcentes, nec eam ſane, quam Eccleſiaſtica conſuetudo, & ſapientiorum, præſtantiorumque Epiſcoporum conſtantia efflagitabat.

7. Ac Novatianos quidem, poſtquam ſchiſma conflarant, & Sectam a Catholica Communione ſejunctam, docuiſſe peccata quædam irremiſſibilia eſſe, indubitata res eſt; & hunc ſane errorem indicat Cyprianus, Epiſt. 52. (*a*) Sed manifeſto eum redarguit auctor libelli *ad Novatianum hæreticum* Cypriani æqualis; ex quo nos ſæpe verba allegabimus; redarguit quoque Pacianus, quem deinceps aliquando citabimus.

8. Neque vero temere dixi, nimio plus ſeveros fuiſſe Cypriani ætate nonnullos, adeo ſcilicet ut criminoſis veniam prorſus denegarent, & Eccleſiaſticam Communionem: contra indulgentes adeo alios, ut ſceleribus graviſſimis pollutos in Eccleſiam ſtatim reciperent, neque ab iis ſalutares illas afflictationes expoſcerent, quas Eccleſia ſtatuerat. Nimirum, ut ex Cypriani libris aſſequimur, aliqui (quod jam dixi) recipere nolebant prorſus ad pœnitentiam gravium criminum reos (*b*), neque in Eccleſiam admittere, qui ab ea ſine ſchiſmate, ſive per libellos, ſive alia ratione aliquando defecerant (*c*). Alii contra facillime in ipſo perſecutionis fervore ante pœnitentiam peractam ſine Epiſcopi conſenſu ad Sacramentorum Communionem lapſos admittebant (*d*). Hinc nonnulli, tametſi valde gravibus criminibus polluti, adeo prompte, facile adeo ſibi indulgeri volebant, ut ſtatim, & ſine ulla canonica pœnitentia (longe aliter ac veteres Canones, & conſuetudo Eccleſiaſtica præciperent) ſibi remitti poſcerent quæcunque peccaſſent antea, ne ipſo quidem excepto Schiſmatis, atque Apoſtaſiæ crimine. Veniam autem ut promptius, certiuſque impetrarent, ad Confeſſores, ac Martyres confugiebant, ut commendatitiis eorum litteris, veluti ſubſidio quodam, & (ſi loqui ita volumus) *pœnitentiæ iis debitæ ſupplemento* in fidelium cœtum, atque Eccleſiaſticam communionem admitterentur (*e*). Quod ſi Epiſcopi non eos protinus recipiebant, expoſcebantque, ut vetuſtis pœnitentiæ legibus ſe ſubderent, ad tantam aliquando perveniebant poſtulatores iſti temeritatem, ut minarentur eaſdem litteras ſe lecturos coram populo, a quo eam communionem, ac veniam, quas ſponte Epiſcopi impartire noluerant, facile aſſequerentur (*f*). Hujus

(*a*) Pag. 157. cujus verba conſule ad locum XXXXII.

(*b*) *Et quidem apud anteceſſores noſtros quidam de Epiſcopis iſtis, in provincia noſtra, dandam pacem mœchis non putaverunt, & in totum pœnitentię locum contra adulteria clauſerunt.* (Epiſ. 52. pag. 155.). Vide Baluti notam 59, & 62 in Epiſtolam hanc. Horum auſteritatem renovavit Januarius ille, qui Monachum quendam ſtupri cum Moniali Virgine commiſſi reum, ad pœnitentiam admittere noluit: quam ob rem reprehenſus eſt a Bachiario viro doctiſſimo, qui eundem Monachum ad pœnitentiam recipiendum cenſuit. Vide Op. Bachiar. edita a Franciſco Florio p. 36.

(*c*) *Et ideo placuit frater cariſſime, examinatis cauſis ſingulorum, libellaticos interim admitti: Sacrificatis in exitu ſubveniri... Nec putes, frater cariſſime, hinc aut virtutem fratrum minui, aut martyria deficere, quod lapſis laxata ſit pœnitentia, & quod pœnitentibus ſpes pacis oblata.* Epiſ. 52 ad Antonianum de Cornelio, & Novatiano pag. 153. & 154.

(*d*) Vide Epiſt. 9. pag. 47. & Epiſt. 13. pag. 57. Et rurſus Epiſt. 52. pag. 140. *Denique cum de quibuſdam ad me presbyteri, & Diaconi ſcripſiſſent, eos immoderatos eſſe, & ad communicationem accipiendam feſtinanter urgere &c.*

(*e*) Id apertiſſime traditur in Epiſt. 55 Cypriani ad Cornelium illis præſertim verbis: *Sed enim lecta alia tua Epiſtola frater, quam primis litteris ſubjunxiſti, ſatis miratus ſum, cum animadvertiſſem te minis, atque terroribus eorum, qui venerant, aliquantum eſſe commotum, cum te, ſecundum quod ſcripſiſti, aggreſſi eſſent, cum ſumma deſperatione comminantes, quod ſi litteras, quas attulerunt, non accepiſſes, publice eas recitarent, & multa turpia, ac probroſa, & ore ſuo digna proferrent.*

(*f*) Vide ſuperiorem annotationem.

Digitized by Google

jus rei adeo manifeſta habemus exempla in quinquageſima quinta Cypriani epiſtola, ut de ea dubitare utique non poſſimus. Aliqua tamen, fortaſſe potiora, ejuſdem epiſtolæ loca in paginæ calce indico; alia per ſe ipſe conſulere poterit Lector. (*a*)

Utrumque porro diſplicuit Cypriano, cujus ſententiam & amplexi ſunt plerique, dum adhuc viveret (*b*), & ſecuti fuere poſtea alii, atque in primis Pacianus ſæpe Cyprianum allegans: & nimiam quidem facilitatem vehementer redarguit Cyprianus, tum aliis in locis, tum certe in epiſtola 55, in qua cum alia multa, tum hæc ſane valde digna ſunt quæ legantur: *Neque enim ſic putramina quædam colligenda ſunt, ut quæ integra & ſana ſunt, vulnerentur; nec utilis, aut conſultus eſt paſtor, qui ita morbidas, & contactas oves gregi admiſcet, ut gregem totum mali cohærentis afflictatione contaminet. Non attendas ad numerum illorum. Melior eſt enim unus timens Deum, quam mille filii impii, ſicut locutus eſt Dominus per Prophetam dicens:* Fili, ne jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur tibi, cum non fuerit timor Dei in ipſis. (Eccl. *16.*) *O ſi poſſes, frater cariſſime, iſtic intereſſe nobiſcum, cum pravi iſti & perverſi de ſchiſmate revertuntur. Videres, quis mihi labor ſit perſuadere patientiam fratribus noſtris, ut animi dolore ſopito recipiendis malis, curandiſque conſentiant. Namque ut gaudent & lætantur, cum tolerabiles & minus culpabiles redeunt, ita contra fremunt & reluctantur, quoties inemendabiles, & protervi, & vel adulteriis, vel ſacrificiis contaminati, & poſt hæc adhuc inſuper & ſuperbi, ſic ad Eccleſiam remeant, ut bona intus ingenia corrumpant.* (*c*)

Adde ea quæ in libro *de lapſis* adverſus nimiam hanc, noxiamque facili-

(*a*) *Sed enim lecta &c.* Recole ſuperiores annotationes. *Et illi contra Deum ſacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Eccleſia recedentes, & contra Eccleſiam parricidalia arma tollentes elaborant, ut opus ſuum Diaboli malitia conſumment, ne vulnerator divina clementia in eccleſia ſua curet. Miſerorum pœnitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat, ne Chriſtum Dominum ſuum, qui chriſtianus eſſe vel erubuit ante, vel timuit, poſtmodum quærat, ne ad Eccleſiam, qui de Eccleſia receſſerat, redeat. Datur opera, ne ſatisfactionibus, & lamentationibus juſtis delicta redimantur, ne vulnera lacrymis abluantur.... Honor ergo datur Deo, quando ſic Dei Majeſtas, & cenſura contemnitur, ut cum ſe ille indignari & iraſci ſacrificantibus dicat, & cum pœnas æternas & ſupplicia perpetua comminetur, proponatur a ſacrilegis, atque dicatur, ne ira cogitetur Dei, ne timeatur judicium Domini, ne pulſetur ad Eccleſiam Chriſti, ſed ſublata pœnitentia, nec ulla exomologeſi criminis facta, deſpectis Epiſcopis atque calcatis, pax a Presbyteris verbis fallacibus prædicetur, & ne lapſi ſurgant, aut foris poſiti ad Eccleſiam redeant, communicatio non communicantibus offeratur? Quibus etiam ſatis non fuit ab Evangelio receſſiſſe, ſpem lapſis ſatisfactionis, & pœnitentiæ ſuſtuliſſe, fraudibus involutos, vel adulteriis commaculatos, vel ſacrificiorum funeſta contagione pollutos, ne Deum rogarent, ne in Eccleſia exomologeſin criminum facerent, ab omni & ſenſu, & fructu pœnitentiæ removiſſe.* (pag. 181, & 182) .... *Si qui autem ſunt qui putant ſe ad Eccleſiam non precibus, ſed minis regredi poſſe, aut exiſtimant aditum ſe ſibi non lamentationibus, & ſatisfactionibus, ſed terroribus facere, pro certo habeant contra tales clauſam ſtare Eccleſiam Domini, nec caſtra Chriſti invicta & fortia, Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei Evangelium tenens, & Chriſti præcepta cuſtodiens occidi poteſt, vinci non poteſt. Suggerit, & ſubminiſtrat nobis exempla virtutis ac fidei Zacharias Antiſtes Dei, qui cum terreri minis, & lapidatione non poſſet, in Templo Dei occiſus eſt clamans, & identidem dicens: quod nos quoque contra hæreticos clamamus & dicimus:* Hæc dicit Dominus: (2. Paral. 24) Dereliquiſtis vias Domini, & Dominus derelinquet vos. *Neque enim quia pauci temerarii & improbi, cæleſtes & ſalutares vias Domini derelinquunt, & ſancta non agentes, a Sancto Spiritu deſeruntur, ideo & nos divinæ traditionis immemores eſſe debemus, ut majora eſſe furentium ſcelera, quam ſacerdotum judicia cenſeamus, aut exiſtimemus plus ad impugnandum poſſe humana conamina, quam quod ad protegendum prævalet divina tutela.* (pag. 184)

(*b*) Vide epiſt. 54, quę multorum Epiſcoporum nomine conſcripta eſt. (*c*) Pag. 183.

Digitized by Google

cilitatem copioſe diſputat. *Imperitus eſt medicus &c.* (pag. 377). *Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit &c.* (pag. 378). Atque hoc quidem in loco eos Martyres reprehendit, qui commendatitiis litteris vehementius expoſcebant, ut criminibus obnoxios ſine pœnitentia Eccleſia in ſinum reciperet. *Veniam peccatis, quæ in ipſum commiſſa ſunt, ſolus poteſt ille largiri, qui peccata noſtra portavit, &c.*

Alibi vero eoſdem Martyres & Confeſſores vehementer orat, ut cautiores ſint in commendatitiis litteris concedendis (*a*): his enim abutebantur non pauci immanium criminum rei, ut in Eccleſiam ſine pœnitentia reciperentur.

9. Summa ſeveritas quoque illi diſplicuit, qua nimirum in deſperationem adduci facile poſſent qui in crimina prolapſi fuerant, & in impietate perſiſtere. Cenſuit itaque temperandam eſſe lenitate ſeveritatem, ut nemini pœnitentiæ locus præcluderetur, ideoque recipi quidem poſſent omnes, tametſi antea atrocibus criminibus polluti, dummodo pœnitentiam, quam Epiſcopus imponeret, ſubirent. Conſule quæ nuper allegavi: atque ea ſane, quæ ex libro *de lapſis* innui, merentur ut hic integra deſcribantur. *Imperitus eſt medicus, qui tumentes vulnerum ſinus manu parcente contrectat, & in altis receſſibus viſcerum virus incluſum, dum ſervat, exaggerat. Aperiendum vulnus eſt, & ſecandum, & putraminibus amputatis medela fortiore curandum. Vociferetur & clamet licet, & conqueratur æger impatiens per dolorem, gratias aget poſtmodum, cum ſenſerit ſanitatem. Emerſit enim, fratres dilectiſſimi, novum genus cladis; & quaſi parum perſecutionis procella ſævierit, acceſſit ad cumulum ſub miſericordiæ titulo malum fallens, & blanda pernicies. Contra Evangelii vigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorumdam laxatur incautis communicatio, irrita & falſa pax, periculoſa dantibus, & nihil accipientibus profutura ...* (*b*) *Non concedit pacem facilitas iſta, ſed tollit; nec communicationem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. Perſecutio eſt hæc alia, & alia tentatio, per quam ſubtilis inimicus impugnandis adhuc lapſis occulta populatione graſſatur. Ut lamentatio conquieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti memoria evaneſcat, ut comprimatur peccatorum gemitus, ſtatuatur fletus oculorum, nec Dominum graviter offenſum longa & plena pœnitentia deprecetur, cum ſcriptum ſit:* Memento unde cecideris, & age pœnitentiam. *Nemo ſe fallat, nemo ſe decipiat.* (*c*)

Quod ſi pœnitentiam agere non recuſaſſent, eaſque ſubiiſſent pœnas quas ipſe præſcripſiſſet, ſe promptiſſimum præbebat, ut lenitatem, quam poſſet maximam, erga eos adhiberet: cujus lenitatis perſpicuum argumentum habemus in Epiſtola XII, quam legat, obſecro, Lector. (*d*)

10. Hinc de ipſis iniquiſſimis Feliciſſimi aſſeclis, quorum immania ſcelera, & exſecrabilem vitam, ſchiſma quoque, & ab Eccleſia defectionem proxime ante deſcripſerat, hæc pronunciare non dubitat. (*e*) *Si judicium noſtrum voluerint experiri, veniant. Denique ſi qua illis excuſatio & defenſio poteſt eſſe, videamus quem habeant ſatisfactionis ſuæ ſenſum, quem afferant pœnitentiæ fructum. Nec Eccleſia iſtic cuique clauditur, nec Epiſcopus alicui denegatur. Pœnitentia, & facilitas, & humanitas noſtra venientibus præſto eſt. Opto omnes in Eccleſiam regredi, opto univerſos commilitones noſtros intra Chriſti caſtra, & Dei Patris domicilia concludi. Remitto omnia, multa diſſimulo ſtudio & voto colligendæ fraternitatis. Etiam quæ in Deum commiſſa ſunt, non pleno judicio religionis examino. Delictis pluſquam oportet, remittendis pene ipſe delinquo. Amplector prompta ac plena dilectione cum pœnitentia rever-*

(*a*) Epiſt. 10 *Ad Martyr. &c.* pag. 51. (*b*) Pag. 377. (*c*) Pag. 378. (*d*) Pag. 55. (*e*) Ep. 55 pag. 84.

vertentes, peccatum ſuum ſatisfactione humili, & ſimplici confitentes.

11. Hæc quæ retuli, ſatis apta ad id, quod oſtendendum mihi propoſui, cenſeo. Ceterum ſi alia adhuc optas ejuſdem Cypriani hanc in rem teſtimonia, ea conſule quæ tradit ipſe in libro *de lapſis*, & in epiſtola 55. Utrumque porro comprehendit, ſuamque ſententiam apertiſſime explicat in epiſtola 52 (*a*) verbis iis: *Miror autem quoſdam ſic obſtinatos &c*; quæ verba in annotationibus ad poſtremum teſtimonium (id eſt Apoca. 2. v. 5) allegabimus.

12. Ut ergo & Novatianorum errorem, & ſchiſma reprehenderet, & propoſitum ſuum, & diſciplinam, quam in Eccleſiam invexerat, a reprehenſionibus vindicaret, libellum hunc aut compoſuit Cyprianus ipſe, aut certe alter pro Cypriani ſententia decertans: ea colligens quæ in tria, ſi vis, argumenta, & diſputationis capita erant deinceps diſtribuenda, quorum alterum Novatianorum ſchiſma, erroreſque damnaret: refelleret alterum ſententiam illorum, qui faſſi ſubeſſe Eccleſiæ poteſtati crimina quævis, criminoſos tamen ab Eccleſia, & a pęnitentia ineunda arcebant: approbaret tertium diſciplinam a Cypriano propoſitam. Quod autem apte ſub horum altero comprehendantur illa ipſa duo quæ diximus teſtimonia, in annotationibus ad illa oſtendemus. Atque hunc quidem libellum ſuſpicor ea mente fuiſſe compoſitum, ut in tertio *Teſtimoniorum* libro reliquis illius partibus adjungeretur.

Sed jam denique, quas promiſſimus adnotationes, præbeamus.

Allegatis in ſuperiori Opuſculo Scripturarum locis adnotationes quaſdam apponimus.

CAPUT II.

NOlim vero arbitretur Lector, ea tantummodo Scripturarum loca, quæ in hoc opuſculo habentur, pęnitentiam reſpicere. Alia, eaque non pauca invenies in Bachiarii libro ad *Januarium* miſſo, in *Parallelis* quoque Damaſceni (*b*) in eo capite, quod in paginæ calce allego, quodque ſi cum hoc libello conferas, jucundiſſimum id tibi erit, & valde utile. Ea itaque loca quæ hic recenſentur, aut portio nonnulla ſunt amplioris libri, qui multo plura complectebatur, aut, ſi vis, ſelecta ea ſunt veluti reliquis aptiora, non ad utilitatem quidem, neceſſitatemque pęnitentiæ generatim inſpectæ aſſerendam, ſed ad utilitatem, neceſſitatemque illius generis pœnitentiæ aſſerendam, de quo genere numero 6, 7, & ſubſequentibus ſuperioris capitis egi. Recole itaque quæ iis numeris tradidimus.

Jam vero ad eum locum venio, qui primum in hoc opuſculo ſe offert, quique ita ſe habet:

(1) *Si dereliquerint filii ejus legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint, et mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.* (Pſ. lxxxviii. v. 31.)

Arbitratus ſum aliquando, amanuenſis licentia quadam, immutatum eum fuiſſe, & loco vetuſtæ ſubſtitutam fuiſſe Vulgatam interpretationem, quod ego ſæpe in codicibus factum perſpexi. At anceps deinceps hæſi, quum eundem locum ad eum fere modum citatum vidi in Bachiarii libro (*c*), quo affertur in hoc opuſculo. Aut ergo uterque amanuenſis eandem licentiam ſibi arrogavit, aut potius vetuſtis ipſis temporibus altera interpretatio hujus loci aderat, quæ ea ratione locum hunc redderet, quo nunc reddit Vulgata.

Ceterum hic Pſalmi octogeſimi octavi locus in vetuſtiſſimo illo libello, qui

(*a*) Pag. 155. (*b*) litt. μ tit. III περὶ μετανοίας, &c. (*c*) n. 22. pag. 115 edit. Franciſci Florii.

Digitized by Google

(a), qui adverſus Novatianum, ipſo Novatianorum, atque Cypriani tempore conſcriptus fuit, ad hunc modum ſe habet: *Si dereliquerint filii ejus legem meam, & in mandatis meis non ambulaverint, & ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non cuſtodierint; viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis.* Nec multum abeſt Cyprianus ſic eundem locum allegans (b): *Si derereliquerint legem meam, et in judiciis meis non ambulaverint; ſi juſtificationes meas profanaverint, et præcepta mea non obſervaverint, viſitabo in virga facinora eorum, et in flagellis delicta eorum: miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, etc.*

Mirum porro non eſt, ſi primo quidem locus hic afferatur: etenim ſeveritatem illorum redarguit, qui nimio plus auſteri recipere pęnitentes in Ecſiam nolebant. Hinc auctor libri ad Novatianum hæreticum (c) „ Quænam eſt „ tua Novatiane dementia, ut illa, quę „ ad exitium ſalutis pertineant, tantum „ legas, & quæ ad miſericordiam, prę„ tereas? clamante Scriptura, & dicen„ te: pęnitentiam agite.... Adeo quia „ multæ miſerationis eſt Dominus, au„ divimus: audiamus quid per Da„ vid conteſtatur Spiritus ſanctus. *Si* „ *dereliquerint filii ejus &c.* „ Bachiarius quoque valde vetuſtus (quippe qui creditur Auguſtini æqualis), et valde probabilis ſcriptor, iiſdem pariter verbis eorum ſeveritatem refellit, qui gravioribus quibuſdam peccatis pęnitentię locum denegabant. *Age ergo amice* (inquit ille (d) in epiſtola *ad Januarium*) *conſurge, et perdita inter fluctus ſeculi mercede, atque ſubſtantia, velut naufragus imam tabulam, hoc eſt ſcientiam divini Canonis tene, quæ te adducat ad littus, ubi ait:* Si dereliquerint filii ejus legem meam & in judiciis meis ambulaverint, ſi juſtificationes meas profanaverint, & mandata mea non cuſtodierint, viſitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; miſericordiam autem meam non diſpergam ab eis, neque nocebo in veritate mea. *De cujus hoc filiis dicitur? Nonne Domini noſtri Jeſu Chriſti, quos Eccleſiaſtici fontis uterus, et ſecreti ac perplexi vulva myſterii parturivit; quos natos Crucis cuna ſuſcepit, Euangelii mammilla lactavit? vis ſcire, quia baptizati, non autem catechumeni filii appellantur? Aſpice quod ipſe Apoſtolis ſuis dicit:* Jam non dicam vos ſervos, ſed filios.

Eorum quoque lenitatem locus iſte facilitatemque refellit, qui ſine ulla pęnitentia prolapſos in crimina recipiebant in Eccleſiam. An non Deus, dum miſericordiam nepotibus Davidis pollicetur, pęnitentiam eis ſe inflicturum eſſe promittit? *Viſitabo in virga....... Miſericordiam autem meam non diſpergam.* Pulcre Cyprianus (e): „ *In Pſalmis* „ *etiam legimus cenſuram pariter, et cle-* „ *mentiam Dei comminantis ſimul, atque* „ *parcentis, punientis, ut corrigat, et cum* „ *correxerit, reſervantis.* Viſitabo, *inquit*, „ in virga facinora eorum, & in flagel„ lis delicta eorum. Miſericordiam autem „ meam non diſpergam ab eis. „

(2) Item apud Iſaiam: *ſicut dicit Dominus ſanctus Iſrael. Quom converſus ingemueris, tunc ſalvus eris, et ſcies ubi fueris.* (Iſai. xxx. 15.)

Invitantur his verbis Novatiani ad Eccleſiam, quatenus certi redduntur, ſi ingemuerint (id eſt, ſi de ſchiſmate, & criminibus reliquis pęnitentiam egerint) ſalvandos fore. Reſtituti vero Eccleſiæ, & ſalutari pęnitentia prioribus erroribus deletis, tum denique agnoſcent, ſchiſmatis, atque hæreſis,

(a) *Conſtat auctorem libri* ad Novatianum *æqualem eſſe Cypriani &c.* In vita Cypriani præpoſita editioni Balutii, parag. 35. pag. xcrv. (b) In Epiſt. 7. pag. 41, & in Epiſt. 52 pag. 155, & rurſus in libro *de lapſis* pag. 374. (c) pag. xr. (d) To. III. Biblio. Pariſ. Patr. pag. 133; in editione Franciſci Florii, uti dixi, pag. 115. n. 22. (e) Epiſt. 52. pag. 155.

reſis, qua ante irretiti fuerant, gravitatem. *Et ſcies ubi fueris.*

Ceterum id ipſum, quod ex proxime ſuperiore teſtimonio deduximus, facile etiam deducitur ex eo quod hic allegamus: debet enim ingemiſcere (id eſt veram, non fucatam pęnitentiam agere) is qui ad Deum convertitur. Id ſi peraget, ſalvabitur a Domino, agnoſcetque, cum pęnituerit, deteſtabilem ſtatum, in quo antea fuerat. *Et ſcies ubi fueris.*

At facile poſces, ubinam extent allegata verba, quæ citantur etiam a Cypriano (*a*), & Paciano (*b*), atque adeo, ſi egregio Calmeto credis, ab Origene, Hieronymo, & Fulgentio? Require ea in vetuſta verſione Septuaginta interpretibus adhærente, & invenies in verſiculo 15 capitis xxx Iſaiæ. Hæc porro eo libentius adnotavi, quod viderim in editione Cypriani, quam adornavit Baluzius, citari in margine: *Ezechi.* 18. *et* 33. Ex Iſaia ſane allegat Hieronymus, quem n. 4. afferam.

(3) Item illic: *Væ filii deſertionis, dicit Dominus, feciſtis conſilium non per me, et ſponſionem meam, non per ſpiritum meum, adjicere peccatum ſuper peccatum.* (Iſai. xxx. 1.)

Locus iſte ille ipſe eſt procul dubio, qui in Vulgata extat verſiculo I capitis xxx Iſaiæ, ſic in latinum verſus: *Væ filii deſertores, dicit Dominus, ut faceretis conſilium, et non ex me, et ordiremini telam, et non per ſpiritum meum, ut adderetis peccatum ſuper peccatum.*

Sequitur porro Scriptor noſter, Veterum more, Septuaginta interpretes. Videtur autem ideo allatus hic locus, ut moneremur, non approbari a Deo conſilium eorum, qui, ut verbis Cypriani utar (*c*), *contra Deum ſacrilegi, contra Sacerdotes Dei impio furore temerarii, de Eccleſia recedentes, et contra Eccleſiam parricidalia arma tollentes elaborant, ut opus ſuum Diaboli malitia conſumment, ne vulneratos divina clementia in Eccleſia ſua curet. Miſerorum pęnitentiam mendaciorum ſuorum fraude corrumpunt, ne Deo indignanti ſatisfiat.* Quibus quidem verbis Novatianos, ut puto, innuit, qui ut aſſeclarum numerum augerent, lapſos & criminoſos in cętum ſuum facile recipiebant, nec ab eis preces eas, afflictionesque expoſcebant, quas expoſcebat Catholica Eccleſia. Quamquam etiam arbitror, eoſdem Novatianos propterea quoque reprehendi, quòd deſciviſſent ab Eccleſia, Schiſmaticis Præſidibus adverſus Catholicos conſtituris. Id ſane indicat Cyprianus, cum hæc ait (*d*): „*Plane Epiſcopi non de voluntate Dei fiunt, ſed qui* „ *extra Eccleſiam fiunt, ſed qui contra* „ *diſpoſitionem, et traditionem Euangelii fiunt, ſicut ipſe Dominus in duodecim prophetis ponit, et dicit*: Sibimetipſis Regem conſtituerunt, & non „ per me. *Et iterum*: Sacrificia eorum „ tanquam panis luctus; omnes, qui „ manducant ea, contaminabuntur. *Et* „ *per Eſaiam quoque Spiritus Sanctus* „ *clamat, et dicit* (*e*): Væ vobis, filii „ deſertores. Hæc dicit Dominus: Habuiſtis conſilium, & non per me; & „ feciſtis conventionem, & non per ſpiritum meum, adjicere peccata ſuper „ peccata.

Eodem quoque ſpectare videtur is, quem ſæpe allegavi, auctor libri ad *Novatianum hæreticum*, hæc ſcriptis tradens (*f*): *Quia qui non introivit per oſtium in ovile ovium, ſed deſcendit per alteram partem, ille fur et latro eſt. Item in eodem* (Euangelio) *quoque ait: Omnes, qui venerunt, fures ſunt et latrones. Qui iſti ſunt, niſi deſertores fidei, et tranſgreſſores Eccleſiæ Dei, qui contra ordinationem Dei nituntur? quos merito Spiritus* San-

(*a*) In lib. *de Lapſis* pag. 386. (*b*) Contra Tract. Novatia. & to. 3. Biblio. Pariſ. Patr. pag. 61. Quid ſi adjeciſſem illud Iſaiæ: *Cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris?* Et in paræn. ad pęnit. pag. 75: *Et iterum cum converſus ingemueris, tunc ſalvaberis, & ſcies ubi fueris.* (*c*) Epiſt. 55. pag. 181. (*d*) Epiſt. 55. pag. 178. (*e*) Iſa. 30. (*f*) pag. VIII.

Sanctus per Prophetam increpat, *dicens: Feciſtis conſilium non per me*, *et conventionem*, *non per ſpiritum meum*, *adjicere peccata ſuper peccata*. *Quid ad iſta reſpondeant perverſiſſimi iſti Novatiani*, *vel nunc infeliciſſimi pauci*, *qui ad tantam furoris dementiam proruperunt*, *ut nec Deo*, *nec homini reverentiam habuerint?*

(4) Item apud Hieremiam: *Avertere* (*a*) *pedem tuum ab aſpera via*, *et faciem tuam a ſiti*: *illa vero dixit: confortabor: volo*, *quia diligebat alienos*, *et ibat poſt illos*. (Jerem 2. v. 25.)

Ad Novatianorum pertinaciam retundendam plurimum valet locus ille Hieremiæ, qui nunc affertur, & quem in Vulgata ſic leges: *Prohibe pedem tuum a nuditate*, *et guttur tuum a ſiti*. *Et dixiſti: deſperavi; nequaquam faciam: adamavi quippe alienos*, *et poſt eos ambulabo*. Utitur hoc loco ad invitandum ad pœnitentiam Ruſticum lapſum Hieronymus hæc ad eum ſcribens (*b*): „ Nihil ità offendit Deum, quàm deſperatione meliorum hærere pejoribus: licet & ipſa deſperatio incredulitatis indicium ſit. Qui enim deſperat ſalutem, non putat futurum eſſe judicium. Quod ſi metueret, utique bonis operibus ſe Judici præpararet. Audiamus per Jeremiam loquentem Deum: *Converte pedem tuum a via aſpera*, *et guttur tuum a ſiti*. Et iterum: *Numquid qui cadit*, *non reſurget: aut qui averſus eſt*, *non revertetur?* Et per Iſaiam: *Quando converſus ingemueris*, *tunc ſalvus eris*, *et ſcies ubi fueris*.

(5) Item apud Iſaiam: *Convertimini*, *quia* (*c*) *altam cogitationem cogitatis*, *et iniquam*. (Iſai. xxxi. 6.)

Tum ad vocandos peccatores ad veram, non ad fucatam pœnitentiam, tum ad revocandos a Schiſmate ad Eccleſiam Novatianos valet locus iſte: Cui ſimillimus eſt alter, quem ex Joele affert Cyprianus in libro *de lapſis* (*d*): *Revertimini ad Dominum Deum veſtrum*, *&c.*

Notat autem Clar. Calmet locum iſtum a Symmacho ad hunc modum fuiſſe explicatum: *Pœnitentiam agite*, *ſicut profunda tranſgreſſione receſſiſtis a Deo*. Septuaginta vero: *Convertimini*, *qui profundum conſilium conſultabatis*, *et iniquum*. Vox itaque illa *altam* (altam *cogitationem*) hic idem ſignificat, ac *profundam*: qua quidem ſignificatione alibi etiam, judice Auguſtino, ſumitur: ſic enim Sanctus Doctor verſiculum ſeptimum Pſalmi ſexageſimi tertii: *Accedet homo ad cor altum*, *etc.* explicat: *Acceſſit homo ad cor altum*, *id eſt cor ſecretum* (ſecretum vero hic idem ſignificare videtur ac *profundum*) *objiciens aſpectibus hominem*, *ſervans intus Deum*.

(6 Item illic: *Ego ſum*, *ego ſum qui deleo injuſtitias tuas*, *et non recordabor*: *tu autem recordare*, *et judicemur ſimul*. *Dic tu injuſtitias tuas prius*. (Iſai. xliii. 25.)

Vulgata hæc habet: *Ego ſum*, *ego ſum ipſe qui deleo iniquitates tuas propter me*, *et peccatorum tuorum non recordabor*. *Reduc me in memoriam*, *et judicemur ſimul: narra*, *ſi quid habes*, *ut juſtificeris*. At Scriptori noſtro fere congruit is, quem ſæpius laudavi, auctor libelli ad Novatianum hæreticum. En quomodo locum hunc legit (*e*): *Ego ſum*, *ego ſum qui deleo facinora tua*, *et non commemorabor te: tu autem in mente habe*, *et judicemus*. *Dic tu facinora prius*, *ut juſtificeris*.

Eadem plane mihi videtur loci hujus meta, atque ea, quam loci Hieremiæ paulo ante allati eſſe dixi. Sane eo recitato Auctor libelli *ad Novatianum* hæc ſtatim ſubdit: *Dum patet*, *fratres*, *indulgentiæ aditus*, *Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur*. *Deprecemur nos*, *ut exaltari poſſimus*. Propterea etiam allatus videtur locus iſte, ut doceamur copioſiſſime, & ſumma cum libe-

(*a*) legendum puto: *Averte*. (*b*) Epiſt. olim 46; in Veron. editio. 122. n. 1. pag. 885. (*c*) *qui*, niſi probabilis conjectura me fallit. (*d*) pag. 386. (*e*) pag. xvi.

Digitized by Google

liberalitate noſtri miſereri Deum, dum peccatorum, de quibus dolemus, omnino obliviſcitur. Monet tamen, ut nos eorum meminerimus, deflendo ſcilicet. Monet pariter, ut peccata noſtra prius defleamus, quam eorum veniam ab Eccleſia expoſcamus. *Dic tu injuſtitias tuas prius &c.* Præproperam itaque nonnullorum pęnitentiam, & nimiam quorundam Presbyterorum facilitatem in impertienda lapſis venia, verba iſta condemnant. Locum hunc ad pęnitentiæ neceſſitatem inculcandam adducit etiam Damaſcenus (*a*).

(7) Item illic: *Quærite Deum, & quom inveneritis eum, invocate. At ubi appropinquavit vobis, derelinquat impius vias ſuas, & vir iniquus cogitationes ſuas, & convertatur ad Dominum, & miſericordia ei præparabitur, quia non multum remittit peccata veſtra.* (Iſai. lv. 6.)

Atque hanc ipſam præproperam pęnitentiam, & nimiam facilitatem ea, de quibus nunc agimus, Iſaiæ verba condemnant. Quærere ſcilicet debet peccator Deum, eoque cor ejuſdem peccatoris gratia ſua illuſtrante, ac permovente, derelinquere debet viam ſuam; tum vero miſericordia ei præparabitur, quam quidem non ſine precibus, & pęnis, quibus peccator ſubſit, indulget Deus, qui (ut Scriptoris noſtri verbis utamur) *non multum remittit;* ideſt non ſine aliquo noſtro ſupplicio, & afflictione. Alios etiam ſenſus verba illa *non multum* habere fortaſſe poſſunt: ſed certe hoſce duos. Prior hic eſt: Statim ac peccator ex corde defleat peccatum ſuum, remittet Deus quæcunque erravit, adeo ut, *non multum* orari ſe ſinat, ut veniam indulgeat. Alter: Dum Deus atque Eccleſia vos ad ſe vocat, o Novatiani, vocanti parete, neque enim *diu* (*non multum*) pertinaciam veſtram atque inſolentiam tolerabit. Calmet poſtremæ huic explicationi favet, dum Lectorem monet, ut conferat locum hunc cum altero Joannis XII. 35. *Adhuc modicum lumen in vobis eſt Ambulate, dum lumen habetis.* Utcumque ſit, audi, quo modo Vulgatus Interpres hæc, de quibus agimus, verba latinitate donarit: *Quærite Dominum, dum inveniri poteſt: invocate eum, dum prope eſt: Derelinquat impius viam ſuam, & vir iniquus cogitationes ſuas, & revertatur ad Dominum, & miſerebitur ejus, & ad Deum noſtrum, quoniam multus eſt ad ignoſcendum.* Non præterit locum hunc S. Pacianus adverſus Novatianos diſputans (*b*), neque etiam præterit Damaſcenus (*c*).

(8) Item illic: *Recordare hæc Jacob, & Iſrael, quia puer meus es: vocavi te puerum meum, & tu Iſrael noli obliviſci mei: ecce enim abſterſi ſicut..... injuſtitias tuas, & ſicut imbrem peccata tua. Convertere ad me, & redimam te.* (Iſai. xl v. 1.)

Diu perquiſivi tum in Vulgata verſione, tum in Bibliis ex interpretatione Septuaginta latinitate donatis eum, qui allegatur hic, locum; at fruſtra perquiſivi. Quamquam enim aliquid huic affine extat capite 41. v. 8, & 9, & cap. 42. v. 1; rurſus cap. 43. v. 1, & 5, & alibi etiam; alia tamen in his locis invenies, quæ ab allatis verbis plurimum diſtant. Suſpicor itaque hic adduci ex vetuſta aliqua interpretatione verſiculum primum, ſecundum, & tertium capitis xliii Iſaiæ, qui ex lectione Septuaginta ſic latine vertitur: *Et nunc ſic dicit Dominus Deus, qui fecit te Jacob, & qui formavit te Iſrael: noli timere, quoniam redemi te: vocavi te nomine tuo. Meus es tu: & ſi tranſieris per aquam, tecum ſum, & flumina non cooperient te. Et ſi tranſieris per ignem, non combureris, flamma non exuret te: quia ego Dominus Deus tuus, Sanctus Iſrael, Salvator tuus.* At in Vulgata legitur ad hunc modum: *Et nunc hæc dicit Dominus creans te Jacob, & formans te Iſrael: Noli timere, quia redemi te, & vocavi te nomine tuo: meus*

(*a*) Paralle. litt. μ. tit. III. pag. 578. To. II. Editio. le Quien. (*b*) Epiſt. 3. (*c*) Parall. litt. μ. tit. III.

Digitized by Google

meus es tu. Cum tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te. Aut potius adduci hic ſuſpicor quinque priores verſiculos capitis XLIIII Iſaiæ, qui tamen in Vulgata multo aliter leguntur; ad hunc ſcilicet modum: *Et nunc audi Jacob ſerve meus, & Iſrael quem elegi. Hæc dicit Dominus faciens, et formans te, ab utero auxiliator meus: noli timere ſerve meus Jacob, & rectiſſime quem elegi. Effundam enim aquas ſuper ſitientem, & fluenta ſuper aridam: effundam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, & benedictionem meam ſuper ſtirpem tuam. Et germinabunt inter herbas quaſi ſilices juxta prӕterfluentes aquas. Iſte dicet: Domini ego ſum: & ille vocabit in nomine Jacob, et hic ſcribet manu ſua: Domino...... Rex Iſrael & redemptor ejus.* Interpretatio porro latina interpretationi Septuaginta Senum adhærens ſic reddit: *Nunc autem audi Jacob puer meus, et Iſrael, quem elegi: ſic dicit Dominus Deus, qui fecit te, et qui adamavit te de ventre: adhuc habebis auxilium. Noli timere puer meus Jacob, et dilecte Iſrael, quem elegi. Quia ego dabo aquam in ſiti, iis qui ambulant in aquoſa, imponam ſpiritum meum ſuper ſemen tuum, et benedictiones meas ſuper filios tuos. Et orientur ut in medio aquæ fœnum, et ſicut ſalix ſuper præterfluentem aquam. Iſte dicet, Dei ſum: et iſte clamabit in nomine Jacob: et alius ſcribet in manu ſua, Dei ſum: et in nomine Iſrael clamabit.* Diſcrimen autem quod has inter interpretationes non leve intereſt, retuli in exemplaria, quæ habuit interpres ille, quem conſuluit noſter Scriptor, qui fortaſſe etiam per ſe ipſe ſuperiora verba, in Hebræo, aut, ſi vis, in Græco nonnihil ambigua, ad eum modum tranſtulit, quem vidit aptum ad revocandos ad Eccleſiam errantes. Ceterum ſi vis, verba illa, *convertere ad me, et redimam te*, deſumpta eſſe ex alio Scripturæ loco, quem negligens amanuenſis minime deſignavit, nec ſejunxit a ſuperioribus, minime obſiſtam.

(9) Item illic: *In mente habete hæc, et gemite. Pœnitemini qui ſeducti eſtis, et convertimini corde ad me, et in mente habete priora ſæcula, quia ego Deus.* (Iſai. xlvi. 8.)

In Vulgata ſic redduntur verba hæc: *Mementote iſtud, et confundamini; redite prævaricatores ad cor. Recordamini prioris ſeculi, quoniam ego ſum Deus.* Sed noſter Scriptor verſioni Septuaginta adhærens paulo aliter vertit. Ad veram pęnitentiam verba hæc invitant eos, qui in gravia crimina inciderant (*Convertimini corde ad me*), illiſque memorant priorum Chriſtianorum diſciplinam, & judicia Dei, qui inulta non finit crimina. *In mente habete priora ſecula, quia ego Deus.* Invitant etiam (ſi vis) Novatianos ad Eccleſiam, quam dereliquerant, eoſque monent, ne Deum novis ſceleribus, & pertinacia in ſuſcepto ſchiſmate, irritare adhuc pergant.

(10) Item illic: *Tempore puſillo dereliqui, et cum miſericordia magna miſerebor tui. In furore puſillo averti faciem meam abs te: in miſericordia æterna miſerebor tui.* (Iſai. liv. 8.)

Indicat, niſi fallimur, locus iſte per brevem pęnitentiam, in qua Eccleſia derelinquere videtur reos, cum a communione & fidelium cętu eos avertit, uberrimam, diuturnamque miſericordiam illos fore conſecuturos. Indicat etiam, ſi vis, non derelinqui omnino a Deo peccatores, qui ſi vocanti paruerint, miſericordiam uberrimam obtinebunt. Vulgata hæc ſic habet: *In momento indignationis abſcondi faciem meam parumper a te, et in miſericordia ſempiterna miſertus ſum tui.*

(11) Item illic: *Hæc dixit Excelſus in excelſis habitans in æternum, ſanctus in ſanctis; nomen eſt ei Dominus; excelſus in ſanctis requieſcens, et puſillanimis dans animi æquitatem, et dans vitam contribulatis corde. Non in ſempiternum iraſcor vobis, nec per omnia vindicabo in vos; ſpiritus enim a me prodiet, et inſpirationem omnem ego feci, et propter peccatum, puſillum contriſtavi eum, et averti faciem meam ab*

eo

eo, et vilem paſſus eſt, et abiit triſtis in viis. Vias ejus vidi, et ſanavi eum, et conſolatus ſum ego, et dedi ei conſolationem veram, et pacem ſuper pacem iis qui longe, et iis qui prope. Et dixit Dominus: ſanavi eos: iniqui autem, ut mare commotum, ſic fluctuabuntur, et quieſcere non poſſunt. Non eſt gaudere impiis, dicit Dominus. (Iſai. lvii. 15.)

Affinem ſuperiori explicationem excipit locus iſte, quo ad divinam pietatem erga iniquos quoſcunque commendandam, eoſque invitandos ad pęnitentiam, utitur auctor libri *ad Novatianum. Et quoniam* (inquit (*a*) ille) *Hieremias propheta in perſona populi peccatoris deprecatur Dominum, dicens: Emenda nos Domine, ſed in judicio, et non in ira, ne paucos facias nos; adjecit, et dixit Iſaias: Propter peccatum modice contriſtavi eum, et percuſſi eum, et averti faciem meam ab eo, et contriſtatus eſt, et abiit triſtis in viis ſuis; et quia operatur, adjecit, et dixit: vias ejus vidi, et curavi eum, et dedi ei exhortationem veram, pacem ſuper pacem; pęnitentibus, deprecantibus, et operantibus, reſtitui poſſe, quod male perierint, quodve a Chriſto declinaverint.*

Vulgata porro ſic locum hunc reddit: *Hæc dixit Excelſus et ſublimis habitans æternitatem: et ſanctum nomen ejus: in excelſo, et in ſancto habitans, et cum contrito et humili ſpiritu: ut vivificet ſpiritum humilium, et vivificet cor contritorum. Non enim in ſempiternum litigabo, neque uſque ad finem iraſcar: quia ſpiritus a facie mea egredietur, & flatus ego faciam. Propter iniquitatem avaritiæ ejus iratus ſum, & percuſſi eum: abſcondi a te faciem meam, & indignatus ſum: & abiit vagus in via cordis ſui. Vias ejus vidi, & ſanavi eum, & reduxi eum, & reddidi conſolationes ipſi, & lugentibus ejus. Creavi fructum labiorum pacem, pacem ei, qui longe eſt, & qui prope, dixit Dominus, & ſanavi eum. Impii autem quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt, & redundant fluctus ejus in conculcationem, & lutum. Non eſt pax impiis, dicit Dominus Deus.* Vide Interpretes in locum hunc.

(12) Item apud Hieremiam: *Nunquid obliviſcetur ſponſa ornamenti ſui, aut virgo faſciæ pectoralis ſuæ? populus vero meus oblitus eſt mei dierum* (*b*) *quorum non eſt numerus.* (Jer. II. 32)

Si adverſus Novatianos, qui jam ab Eccleſia defecerant, plurimiſque ſe devinxerant criminibus, librum hunc ſcriptum putas, facile vides quo reſpiciant monita hæc: ſcilicet, ut eorum crimina, & pertinaciam indicent, doceantque, ſtulte illos ab Eccleſia defeciſſe, quæ multo jam tempore eos expectabat, invitabatque ad pęnitentiam: ſtulte quoque tam diu (*diebus innumeris*) in errore perſiſtere. Si vero conſcriptum putas, ut lenitas a Cypriano inducta confirmaretur, ideo afferri dicito, ut oſtendatur cupere Deum, ut ſi quis ab eo defeciſſet, ad eum denique reverteretur; & propterea diebus innumeris expectaſſe: conqueri quoque Dominum, quod impios videat in iniquo propoſito perſiſtere, & veteri pervicacia. Cur ergo repellentur hi, ſi tandem aliquando ad Eccleſiam confugiant, ut priora crimina defleant? Non multum diſtat ab ea, qua utitur noſter ſcriptor, Vulgata verſio; nam hujuſmodi eſt: *Numquid obliviſcetur virgo ornamenti ſui, aut ſponſa faſciæ pectoralis ſuæ? populus vero meus oblitus eſt mei diebus innumeris.*

(13) Item illic: *In ſumma loquar ſuper gentem, aut ſuper regnum, aut auferam eos, et perdam. Et ſi converſa fuerit gens a malis ſuis, pęnitebo de malis, quod* (*c*) *cogitavi facere illis. Et ſumma loquar ſuper gentem, aut regnum, ut reædificem, et plantem, et facient mala ante me, ut non audiant vocem meam, et pęnitebo de bonis, quæ loquutus ſum facere eis.* (Jerem. xviii. 7.)

Meta allegati loci, me quidem judice,

C

(*a*) pag. xi. (*b*) *diebus*, ut puto. (*c*) *qua*.

dice, hæc eſt. Teſtatur Dominus ſe minatum eſſe quidem perniciem populorum & gentium: tamen ſi eos ſuorum criminum pęniteat, ſe ſtatim averſurum pęnas, quas antea minatus fuerat. Contra ſi a juſtitia defecerint viri probi, ſe præmia minime daturum, quæ antea pollicitus fuerat. Paucis teſtatur ſe neminem pęnitentem odiſſe, neminem a probitate deſciſcentem reſpicere. Cur ergo a pęnitentia propter priora crimina, quæ nunc deflent, & caſtigationibus, afflictionibuſque delere parati ſunt, avertentur populi? Cur in pertinacia, & ſchiſmate perſiſtent & Novatianus, & qui Novatiano adhæſerunt, fidentque in prioribus meritis ſuis? ea quæ ad locum xxv afferemus, locum hunc ipſum illuſtrant. Si Vulgatam cupis, ecce illam. *Repente loquar adverſum gentem, et adverſum regnum, ut eradicem, et deſtruam, et diſperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam et ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi ut facerem ei. Et ſubito loquar de gente, et de regno, ut ædificem, et plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam, pœnitentiam agam ſuper bono, quod locutus ſum ut facerem ei.* Locum hunc allegat etiam Damaſcenus (*a*).

(14) Item illic: *Revertere ad me habitatio Iſrael, dicit Dominus, et non firmabo faciem meam ſuper vos, quia miſericors ego ſum, dicit Dominus, et non iraſcar vobis in æternum.* (Jerem. III. 12.)

Præſens Jeremiæ locus eodem ſpectat, quo ſuperioris loci pars prior; neque vero peculiari annotatione indiget. Vulgatus noſter Interpres ad hunc modum verba ea vertit: *Revertere averſatrix Iſrael, ait Dominus, et non avertam faciem meam a vobis: quia ſanctus ego ſum, dicit Dominus, et non iraſcar in perpetuum.* Conſule oro, quæ docet Clariſs. Calmetus in locum hunc, quem non præterit Damaſcenus. Mirum porro quod non allegetur deinceps in eandem ſententiam Joel, cum eum ſæpe allegaverint Cyprianus (*b*), Pacianus, & Damaſcenus: ſed id fortaſſe librarii vitio, ac negligentiæ tribuendum eſt.

(15) Item illic: *Convertimini filii, qui receſſiſtis, dicit Dominus. Quoniam ego dominabor veſtri, & accipiam vos unum de civitate & duos de familia, & inducam vos in Sion, et dabo vobis paſtores ſecundum cor meum, et paſcent vos paſcentes cum diſciplina.* (Jerem. III. 14.)

Non abſimilis eſt ſenſus verborum illorum, quæ modo allegavi, quæque unius tantum verſiculi intervallo a ſuperioribus diſtant. In Vulgata porro in latinum ſic verſa ſunt: *Convertimini filii revertentes, dicit Dominus; quia ego vir*

(*a*) Parall. litt. μ. tit. III. pag. 578 Tomi II.

(*b*) ,, *Et Johel propheta pietatem Domini, Domino ipſo monente, declarat*: Revertimini, *inquit*, ,, ad Dominum Deum veſtrum, quoniam miſericors, & pius eſt, & patiens, & multæ mi- ,, ſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus malitias irrogatas. ,, *Quibus quidem recitatis, hæc addit Cyprianus*: ,, *Poteſt ille indulgentiam dare, ſententiam ſuam poteſt* ,, *ille deflectere. Pœnitenti, operanti, roganti poteſt clementer ignoſcere.* (In libro de lapſis pag. 386.)

Alibi etiam, nim. Epiſt. 52 pag. 155: ,, *Nam cum ſcriptum ſit*, Deus mortem non fecit, nec delectatur in ,, perditione vivorum, *utique qui neminem vult perire, cupit peccatores pęnitentiam agere, & per* ,, *pœnitentiam denuo ad vitam redire. Ideo & per Johel prophetam clamat, & dicit*. Et nunc ,, hæc dicit Dominus Deus veſter: revertimini ad me ex toto corde veſtro, ſimulque & ,, jejunio, & fletu, & planctu, & diſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra, & re- ,, vertimini ad Dominum Deum veſtrum, quia miſericors, & pius eſt, & patiens, & multæ ,, miſerationis, & qui ſententiam flectat adverſus malitiam irrogatam. ,,

Paciani porro Johelem allegantis verba habes Epiſto. I. pag. 52. & Epiſt. III. pag. 65.

Quod ad Damaſcenum attinet, conſule Parall. litte. μ. tit. III. pag. 578 Tomi II edi. le Quien.

vir veſter: & aſſumam vos unum de civitate, & duos de cognatione, & introducam vos in Sion, & dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientia, & doctrina.

Si quis affirmet, ad Novatianos expreſſe dirigi verba hæc, illiſque promitti, ſi ab hæreſi, & ſchiſmate reſipuerint, reverſique fuerint ad Eccleſiam, legitimos veroſque paſtores, dum illegitimos, ſpurioſque tantummodo haberent, id ſane affirmabit, quod ego veriſimillimum puto. Lege, obſecro, quæ de ſceleſta ordinatione Novatiani, aliorumque ſchiſmaticorum tradunt Cyprianus (*a*), & Pacianus (*b*), quibus addas opto, quæ hoc ſuper argumento auctor libri ad Novatianum copioſe differit (*c*).

(16) Item illic: *Convertimini filii convertentes, & ego ſanabo contritionem veſtram.* (Jerem. III. 22.)

Idem porro quod de duobus proxime præcedentibus Scripturæ locis dixi, de eo etiam affirmare non vereor, quem nuper attuli, quique in Vulgata ſic legitur: *Convertimini filii revertentes, & ſanabo averſiones veſtras.* Vide interpretes in hunc locum.

(17) Item illic: *Ablue a malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſaneris. Uſquequo erunt in te cogitationes dolorum tuorum?* (Jerem. IV. 14.)

Ut vim aſſequaris teſtimonii illius, quod hic allegatur, ea conſule, quæ ad locos Scripturæ IV, V, & IX tradita ſunt. Vulgata ſic illud exhibet: *Lava a malitia cor tuum Jeruſalem, ut ſalva fias. Uſquequo morabuntur in te cogitationes noxiæ?*

(18) Item illic: *Hæc dicit Dominus: numquid qui cadit, non reſurgit: aut qui avertit ſe, non convertetur? Quia avertit ſe populus iſte a viſione improba, & obtinuerunt præſumptione ſua, & noluerunt converti.* (Jerem. VIII. 4.)

Ipſiſſimam explicationem adhibet iis Jeremiæ verbis, quæ modo allegavi, Bachiarius (*d*) hæc tradens: *Et alibi: nunquid qui cadit, non reſurget, aut avertens non convertitur?* Ad hunc vero modum Vulgata refert: *Hæc dicit Dominus. Nunquid qui cadit, non reſurget? Et qui averſus eſt, non revertetur? Quare ergo averſus eſt populus iſte in Jeruſalem averſione contentioſa?*

(19) Item illic: *Non eſt homo pœnitentiam agens a malitia ſua, dicens: quid feci? Defecit qui currit curſu ſuo, ſicut equus ſuadens (e) in hinnitu ſuo.* (Jerem. VIII. 6.)

Quod hoc loco poſitum eſt, iſtud ad eum ferme modum explicatur, quo explicatur duodecimo loco poſitum. Hic itaque ea recole, quæ ibi ſunt dicta. Vulgata paulo aliter ea verba reddit; nimirum ita: *Nullus eſt qui agat pœnitentiam ſuper peccato ſuo, dicens, quid feci? omnes converſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium.* Ea itaque interpretatio, quam ſequitur noſter Scriptor, a Septuaginta interpretibus profluit: ſic autem ea explicat Theodoretus: (*f*) *Equus impetu, & hinnitu currens poſt laborem ſiſtit: hi vero* (impii ſcilicet & iniquiſſimi) *minime conſtiterunt* (in ſcelerum ſuorum curſu). Locum hunc allegat etiam Damaſcenus (*g*).

(20) Item illic: *Avertatur ergo unuſquiſque a via ſua mala, & meliora facite ſtudia veſtra. Et dixerunt: confortabimur, quia poſt adinventiones veſtras (h) ibimus, & unuſquiſque, quæ placent cordi ſuo, mala faciemus.* (Jerem. XVIII. 11, & 12.)

Si eorum memineris, quæ ad locum XII, eorum quoque, quæ ad XIV, XV, & ſubſequentes adnotavimus; facile percipies,

(*a*) *De Unitate Eccleſiæ;* Epiſt. 41 pag. 123; Epiſt. 48 pag. 139; & Epiſt. 49 pag. 141. &c. (*b*) Epiſt. 3. pag. 60. To. III. Biblio. Pariſ. (*c*) *Prædixerat quidem & Dominus multos eſſe venturos ſub pellibus ovium rapaces lupos &c.* pag. XIII, & XIV. (*d*) pag. 111 edi. Franciſci Florii. (*e*) puto legendum *ſudans*. (*f*) lib. 2 Commentar. in Jeremiam cap. 8. (*g*) Parall. litt. μ tit. 111. (*h*) *noſtras*, ut puto.

pies, quo ſuperiora verba collineent. Propterea porro ea allata hic puto, ut ſicut olim vocanti Domino ad pęnitentiam Hebræus populus ſceleribus ſuis obſtrictus parere recuſabat, malebatque diis alienis, pravisque inclinationibus inſervire, quam Deo; ita iniqui illi, quos corripit noſter Scriptor (Novatiani ſcilicet, niſi plane fallimur) ſchiſmate, & erroribus ſuis impediti vocanti Deo, & Eccleſiæ parere renuerunt, pertinaciter volentes in ſchiſmate, & ſuſcepto errore perſiſtere. Valde affinis interpretationi, quam Scriptor noſter proponit, ea eſt, quam habet Vulgata; nimirum hæc: *Revertatur unuſquiſque a via ſua mala, & dirigite vias veſtras, & ſtudia veſtra. Qui dixerunt: deſperavimus: poſt cogitationes enim noſtras ibimus, & unuſquiſque pravitatem cordis ſui mali faciemus.*

(21) Item illic: *Effunde ſicut torrens lacrimas die, ac nocte: noli dare tibi requiem: non ſileat pupilla oculi tui.* (Thren. II. 18.)

Ad pęnitentiam pulcre invitant hæc verba, quæ Vulgata ſic habet: *Deduc quaſi torrentem lacrimas per diem, & noctem: non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Hic obiter noto, primis Eccleſiæ ſeculis Jeremiæ *lamentationes* non conſtituiſſe librum peculiarem ſejunctum a *prophetia*. Mirum itaque non eſt, ſi ſcriptor noſter veluti uno libro comprehenſa hæc alleget (*item illic*).

(22) Item illic: *Perſcrutemur vias noſtras, & convertamur ad Dominum. Mundemus corda noſtra cum manibus noſtris, & reſpiciamus ad Dominum, qui habitat in cęlis. Nos peccavimus, & irritavimus, & tu non es propitiatus.* (Thre. III. 40.)

Voces pęnitentis ad Deum clamantis, atque ab eo veniam, & miſerationem expoſcentis verba hæc exprimunt. Invitantur itaque his primo peccatores, quicunque tandem ii ſint, ideoque Novatiani ipſi, & Schiſmatici, ad pęnitentiam. Oſtenditur quoque, immerito prę-cludi viam ad pęnitentiam, quandoquidem Spiritus Sanctus per Jeremiam eorum proponit, ac laudat exempla, qui pravitatem ſuam deteſtati: *Scrutemur*, inquiunt (placet enim Vulgatam ſequi) *vias noſtras, & quæramus, & revertamur ad Dominum. Levemus corda noſtra cum manibus ad Dominum in cælos. Nos inique egimus, & ad iracundiam provocavimus: idcirco tu inexorabilis es.* Suſpicatus ſum aliquando poſterioribus iis verbis, *nos peccavimus .... & tu non es propitiatus*, indicari cauſam, cur exagitarentur tum a Chriſtianis, tum a Gentilibus ipſis Novatiani (quia ſcilicet criminibus ſuis, & ſchiſmate Deum irritaverant): rectene, an ſecus id ſuſpicarer, judicet lector.

(23) Item illic: *Et dixit Dominus ad me in diebus Joſiæ Regis: Vidiſti quę fecit mihi habitatio Iſrael: abiit ſuper omnem montem excelſum, & ſubiit ad omne lignum nemoroſum, & fornicata eſt illic. Et dixi, poſtquam fornicata eſt hæc omnia, ad me convertere, & non eſt reverſa.* (Jerem. III. 6.)

Ita locus iſte in codice allegatur, ut utramque retineat vocem, *habitatio, domus*, quarum altera certe redundat. Monui autem delendam eſſe vocem *domus*: non quo vox hæc diſpliceret, ſed quod putarem ex margine, in qua explicationis cauſa primum poſita fuerat, in textum ipſum deinceps tranſiiſſe: alibi enim noſter Scriptor expreſſe vertit *habitatio*. (*Revertere ad me habitatio Iſrael* n. XIV). Jam venio ad explicationem. Eximia Dei pietas, ac caritas erga ipſos immanium criminum reos hic primo commendatur: adhuc enim eos vocat Dominus ad pęnitentiam. Queritur deinceps Dominus, quod in ſua pertinacia hi perſtiterint, tametſi veniam eis tam crebro, & verbis tam perſpicuis obtulerit. Vide quæ diximus ad locum XII; item quæ ad XIV, & ſequentes. Si Vulgatam interpretationem optas, eam ſtatim affero: *Et dixit Dominus ad me in diebus Joſiæ Regis: nunquid vidiſti quæ fecerit averſatrix Iſrael? Abiit ſibi*

Digitized by Google

bimet ſuper omnem montem excelſum, & ſub omni ligno frondoſo, & fornicata eſt ibi: & dixi, cum feciſſet hæc omnia: ad me revertere, & non eſt reverſa.

(24) Item illic: *Non repellet in æternum Dominus, & quum humiliaverit, miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiæ ſuę, quia non humiliabit ex toto corde ſuo, neque repellet filios hominum.* (Thre. III. 31.)

Ea quæ teſtimonio XIII, aliiſque affinibus tradita ſunt, rurſus inculcantur iis verbis, quæ nunc expendidimus, & in Vulgata ſic habentur: *Quia non repellet in ſempiternum Dominus. Quia ſi abjecit, & miſerebitur ſecundum multitudinem miſericordiarum ſuarum: non enim humiliavit ex corde ſuo, & abjecit filios hominum.*

(25) Item apud Ezechielem: *Et juſtus non poterit ſalvus eſſe in die peccati. Cum juſto dicam, vita vives; ipſe vero confidet ſuper juſtitiam ſuam, & fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus non commemorabuntur: in ſua iniquitate, quam fecerit, in ea morietur; & quum dicam impio, morte morieris, & avertit ſe a peccato ſuo, & fecerit juſtitiam, & judicium, & pignus debitori reddiderit, & rapinam reſtituerit, in præceptis vitæ ambulaverit, ne faciat iniquum, vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus quæ peccavit, non commovebuntur ei; quia judicium, & juſtitiam fecit, in ipſis vivet.* (Ezech. XXXIII. 12.)

Qui hic allegatur ex Ezechiele locus, ſimillimus eſt illius, quem ex Hieremia attulit n XIII; ideoque eandem excipit explicationem. Utitur his Ezechielis verbis auctor libri ad *Novatianum* ſic eundem Novatianum refutans: (*a*) *Unde igitur & tam ſceleratus, et tam perditus, tam diſcordiæ furore veſanus extiterit iſte Novatianus, invenire non poſſum; qui ſemper in domo una, ideſt Chriſti Eccleſia, proximorum delicta ut propria fleverit; onera fratrum, ſicut Apoſtolus hortatur, ſuſtinuerit; lubricos in fide, cęleſti allocutione corroboraverit. At nunc ex quo Cainam illam hæreſim, quæ non niſi tantum occidere geſtit, exercere cępit; nec ſibi noviſſime parcit. Ceterum ſi legiſſet, quia juſtitia juſti non liberabit eum in die qua erraverit, et iniquitas impii non nocebit ei ex qua die converſus fuerit, jam olim in cinere pęniteret ille, qui ſemper pęnitentibus adverſatur; qui in ruina facilius ædificatorum ſtantium operatur, quam in ſtructione jacentium ruinarum; qui multos ex fratribus noſtris miſerrimos falſis ſuis adverſationibus perterritos, iterum fecit ethnicos, dicendo, quod pęnitentia lapſorum ſit vana, nec poſſit eis proficere ad ſalutem.*

Vulgatus porro interpres eandem ſententiam latinitate donavit his verbis: *Et juſtus non poterit vivere in juſtitia ſua in quacumque die peccaverit. Etiamſi dixero juſto, quod vita vivat, et confiſus in juſtitia ſua fecerit iniquitatem, omnes juſtitiæ ejus oblivioni tradentur, et in iniquitate ſua quam operatus eſt, in ipſa morietur. Si autem dixero impio, morte morieris, et egerit pęnitentiam a peccato ſuo, feceritque judicium, & juſtitiam, & pignus reſtituerit ille impius, rapinamque reddiderit, in mandatis vitæ ambulaverit, nec fecerit quidquam injuſtum, vita vivet, & non morietur.* Eadem monita habes verſiculis 21, & 24 Cap. XVIII ejuſdem Ezechielis.

(26) Item illic: *Ego Dominus, quia humilio lignum altum, et exalto lignum humile, et arefacio lignum viride, et reviviſcere facio lignum aridum.* (Ezechiel. XVII. 24.)

Id porro quod modo expreſſis verbis traditum eſt, nunc eleganti allegoria ſub oculos ponitur: atque illa quidem indicatur, poſſe Deum pro lubito & ſuperbos deprimere, & humiles, deque ſuis criminibus dolentes, extollere. Ferit itaque hæc ſententia Novatianos in

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

(*a*) pag. XIII.

in ſchiſmate tumidos, & elatos: eos quoque omnes ferit, qui veniam, & pęnitentiam peccatoribus præcludunt: quandoquidem Dominus virgultum humile exaltat, & ligno arido vitam, ac vigorem impertit. Quod ſi eandem plane huic teſtimonio adhibendam cenſes explicationem, quam ſuperiori adhibui, per me quidem licet. Quamquam vero vix diſtat Vulgata interpretatio ab ea, quam nuper propoſui, quoniam tamen uſque adhuc veteri interpretationi Vulgatam addidi, hic pariter addo. *Quia ego Dominus humiliavi lignum ſublime, et exaltavi lignum humile: et ſiccavi lignum viride, et frondere feci lignum aridum.*

(27) Item illic: *Et tu fili hominis dic domui Iſrael: ſicut loquuti eſtis dicentes: errores noſtri, et iniquitates noſtræ in nobis ſunt, et in ipſis nos tabeſcimus. Et quomodo vivemus? Dic illis: vivo ego, dicit Dominus. Si volo mortem impii: tantum a via ſua avertatur, & vivat.* (Ezech. xxxiii. 10.)

Perſpicua hæc eſt ſententia, qua Dei pietas eminet in vocandis hominibus jam pridem in iniquitate hærentibus, ac pene deſperatis: certa quoque apparet teſtificatio divinæ voluntatis de impertienda perditiſſimis quibuſque venia. Atque his ſane verbis ii præſertim refelluntur, qui divinæ caritati limites injicere pertentant, & criminoſis pęnitentiam interdicere. Si peccatoris mortem non vult Deus, ſed ut convertatur, ac vivat, quis crimina aliqua inexpiabilia dicet, aut pęnitentiæ cupidos ab ea, ideoque ab Eccleſia arcebit? Adhibet in eumdem ſenſum locum hunc Ezechielis is, quem ſępe citavi, auctor libri ad Novatianum (*a*). *Item* (inquiens) *Dominus ad eundem* (Prophetam Ezechielem): *fili hominis dic populo Iſrael. Quare locuti eſtis dicentes: Erroribus noſtris contabeſcimus, et quomodo ſalvi eſſe poterimus? Dic eis: vivo ego, dicit Dominus, quia non deſidero mortem peccatoris, ſed deſidero, ut avertatur peccator a via ſua peſſima, & vivat.* Adhibent quoque (ne cunctos enumerem) Cyprianus (*b*), & Hieronymus (*c*).

Eandem ſententiam Vulgatus interpres latinam effecit his verbis: *Tu ergo fili hominis dic ad domum Iſrael: ſic locuti eſtis, dicentes: Iniquitates noſtræ, et peccata noſtra ſuper nos ſunt, et in ipſis nos tabeſcimus: quomodo ergo vivere poterimus? Dic ad eos: vivo ego, dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, et vivat.*

(28) Item illic: *Ego Dominus ædificavi demolita, et plantavi exterminata.* (Ezech. xxxvi. 36.)

Allegoria altera affinis illi, quæ numero xxvi allata eſt, hic proponitur, quam quoniam Scriptoris noſtri verbis retuli, libet etiam Vulgatæ verbis exhibere, quæ hujuſmodi ſunt: *Ego Dominus ædificavi diſſipata, plantavique inculta.*

(29) Item illic: *Et iniquus ſi convertat ſe ab omnibus iniquitatibus, quas fecit, et cuſtodiat omnia mandata mea, et faciat judicium, et juſtitiam, et miſericordiam, vita vivet, et non morietur. Omnia delicta ejus, quæ fecit, non erunt in memoria; in ſua juſtitia, quam fecit, vivet. Nunquid voluntate volo mortem injuſti, dicit Adonaj Dominus, quam ut avertat ſe a via ſua mala, et vivere eum?* (Ezech. xviii. 21.)

Id ipſum quod paulo ante Ezechielis prophetæ monitis traditum erat, aliis, ſuperioribus valde proximis, hic inculcatur.

Recole numerum xxv. Hic tantum noto, hunc Ezechielis locum in eundem fortaſſe ſenſum allegatum fuiſſe a Cypriano hæc docente (*d*): *Admonet, ne quis impatiens in operatione deficiat, ne quis tentationibus aut avocatus, aut victus in*

(*a*) pag. xi. (*b*) Sub finem libri *de lapſis*, & ſub initium libri *De bono patientiæ*. (*c*) Vide quæ dicam n. xxx. (*d*) *de bono patientiæ* pag. 496.

Digitized by Google

in medio laudis, et gloriæ itinere deſiſtat, et pereant præterita, dum quæ cęperant, deſinunt eſſe perfecta, ſicut ſcriptum eſt: Juſtitia juſti non liberabit eum in quacumque die exerraverit. Et iterum: Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Quæ vox adhortatur patienter, et fortiter perſeverare; ut qui ad coronam laude jam proxima nititur, durante patientia coronetur.

Ita vero in Vulgata ea verba redduntur: *Si autem impius egerit pęnitentiam ab omnibus peccatis ſuis, quæ operatus eſt, et cuſtodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium, et juſtitiam: vita vivet, et non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus eſt, non recordabor: in juſtitia ſua, quam operatus eſt, vivet. Numquid voluntatis meę eſt mors impii, dicit Dominus Deus, et non ut convertatur a viis ſuis, et vivat?*

Atque hac ſane interpretatione poſita, atque adeo ex etymologia ipſa nominis *Adonaj* videtur altera ex his vocibus, *Adonaj: Dominus*, redundare. Sed interea nolui manus in ſuperiorem interpretationem injicere. Locum hunc non omittit Damaſcenus crebro allegatus (*a*).

(30) Item illic: *Convertimini, et avertite vos ab omnibus impietatibus veſtris, et non erunt vobis in pęnam. Projicite a vobis omnes iniquitates veſtras, quas impie feciſtis in me, et facite vobis cor novum, et ſpiritum novum. Et ut quid moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Adonaj Dominus.* (Ezech. XVIII. 30.)

In illo ipſo capite decimo octavo, quod nuper allegavi, ſed nonnullis interpoſitis (verſiculo ſcilicet 30) invenies ea, quæ hic adducuntur, quibus quidem invitat Dominus ſceleſtos ad pęnitentiam, illiſque non modo vitam, verum etiam graviſſimorum quorumlibet criminum veniam pollicetur. Vide quæ diximus ad locum XIV, XV, & affines alios.

Adhibet explicationem hanc noſtram auctor libri ad Novatianum hæc ſcribens (*b*): *Demus igitur totis viribus fidei noſtræ Deo laudem, demus plenam confeſſionem: quandoquidem ſuper pęnitentia noſtra gaudeant virtutes cęlorum, gaudeant Angeli omnes, gaudeat et Chriſtus; qui nos denuo peccatis oneratos, delictis obrutos, plena, et clementi moderatione ceſſare a facinore hortatur, dicens: convertite vos, et redite ab impietatibus veſtris, et non erunt vobis iniquitates veſtræ ad pęnam. Projicite a vobis omnes impietates veſtras, quas feciſtis adverſum me: et facite vobis cor novum, et ſpiritum novum. Et ut quid vos morti traditis domus Iſrael? Non enim deſidero mortem peccatoris.* Hieronymus pariter adhibet ad *Ruſticum lapſum* hæc ſcribens (*c*): *Ezechiel quoque iiſdem verbis, quia eodem & ſpiritu: Convertimini, inquit, & redite ab iniquitatibus veſtris domus Iſrael; & non erunt vobis in tormentum impietates. Projicite omnes impietates veſtras, quibus impie egiſtis adverſum me, & facite vobis cor novum, & ſpiritum novum. Et quare moriemini domus Iſrael? Nolo enim mortem peccatoris, dicit Dominus. Unde & in conſequentibus loquitur: Vivo ego, dicit Dominus: Nolo mortem peccatoris, niſi ut revertatur a via ſua, & vivat; ne mens incredula de bonorum repromiſſione deſperet, & ſemel perditioni animus deſtinatus non adhibeat vulneri curationem, quod nequaquam exiſtimat poſſe curari.*

Vulgatus interpres ita latine legi voluit locum hunc: *Convertimini, & agite pęnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris: et non erit vobis in ruinam iniquitas. Projicite a vobis omnes prævaricationes veſtras, in quibus prævaricati eſtis, & facite vobis cor novum, et ſpiritum novum. Et quare moriemini domus Iſrael? Quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus.*

(31) Item apud Danielem: *Et poſt finem*

(*a*) in Parall. &c. (*b*) pag. XVI. (*c*) in epiſt. olim 46; in editio. Veron. 122. n. 1.

finem dierum, ego Nabuchdonoſor oculos meos in cęlum ſuſtuli: & ſenſus meus in me converſus eſt, & Altiſſimum laudavi, & Regem celi benedixi, & viventem in ſecula laudavi, quia poteſtas ejus æterna eſt, regnum ejus in generatione, & omnes qui inhabitant terram, nihil. (Daniel. IV. 31.)

Adducta ex Daniele verba Nabuchodonoſoris exemplo invitant ad pęnitentiam, & criminum deteſtationem inveteratos in impietate populos, & facile oſtendunt, nemini occludi pęnitentiæ locum, quandoquidem Nabuchdonoſori ſupremi numinis per annos plurimos contemptori conceſſa eſt denique propter humilitatem, veritatiſque agnitionem præteritorum criminum a Domino venia.

In Vulgata hæc ſic leguntur: *Igitur poſt finem dierum ego Nabuchdonoſor oculos meos ad cęlum levavi, & ſenſus meus redditus eſt mihi: & Altiſſimo benedixi, & viventem in ſempiternum laudavi, & glorificavi: quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem, & generationem. Et omnes habitatores terræ apud eum in nihilum reputati ſunt.*

(32) Item apud Michæam: *Heu mihi anima mea, quia periit veritas a terra, & qui corrigat, inter omnes non eſt. Omnes in ſanguine judicant: unuſquiſque proximum tribulat tribulatione: in malum manus ſuas præparant.* (Mich. VII. 2.)

Hic Michęæ locus ſi ſingillatim ſumatur, Novatianos videtur impetere, de quorum criminibus, & ſchiſmate queritur Deus. Ut uberiorem tamen, &, ſi loqui ita finis, completum, atque integrum horum verborum ſenſum aſſequaris, ſubſequentia adiungere debes. Tum porro dices, propterea Prophetam conqueri, quod ſumma omnium eſſet in criminibus, atque iniquitate conſenſio. Horum tamen exemplum propheta contemni a ſe ait; quippe Dominum vocare, colereque ſtatuerat, & peccatorum ſuorum pęnitentiam agere: quam qui peregiſſet, ſupplicia evitaſſet, & pęnas quas priora crimina promerebantur.

Vere hæc a me dici is fatebitur, qui ſeptimum, & ſubſequentes verſiculos ejuſdem capitis legerit, quos quidem ex Vulgata hic deſcribo, nam veterem editionem ex noſtro ſcriptore ad magnam partem habes. *Præcoquas ficus deſideravit anima mea. Periit ſanctus de terra, & rectus in hominibus non eſt: omnes in ſanguine inſidiantur; vir fratrem ſuum ad mortem venatur..... ego autem ad Dominum aſpiciam, expectabo Deum Salvatorem meum: audiet me Deus meus. Ne læteris inimica mea ſuper me, quia cecidi: conſurgam, cum ſedero in tenebris. Dominus lex mea eſt. Iram Domini portabo, quoniam peccavi ei, donec cauſam meam judicet, & faciat judicium meum: educet me in lucem, videbo juſtitiam ejus: & aſpiciet inimica mea, & operietur confuſione, quæ dicit ad me: ubi eſt Dominus Deus tuus? Oculi mei videbunt in eam: nunc erit in conculcationem, ut lutum platearum.*

(33) Item illic: *Noli gaudere ſuper me inimica mea, quia cecidi, ſed reſurgam; propter quod ſi ſedero in tenebris, Dominus lucebit mihi. Iram Domino ſuſtinebo, quia peccavi ei, donec juſtificet ipſe cauſam meam.* (Mich. VII. 8.)

De hoc teſtimonio recole quæ modo diximus. Hoc habent commodi loci iſti Michęæ, ut præter ea monita, quę nuper expendimus, antiquam verſionem nonnihil a Vulgata remotam exhibeant, quam tamen alibi difficile invenies. Porro ſi ad perficiendam ſententiam verſiculum primum hujuſce capitis ex verſione Septuaginta optas, en illum. *Heu mihi, quia factus ſum colligens ſtipulam in meſſe, et racemos in vindemia. Non ſunt ex bonis ad comedendum primitiæ: Heu anima!* Mirum porro quod non afferatur alter Michęæ locus haud multum a ſuperiore diſtans; verſiculus ſcilicet 19 ejuſdem capitis, quem

Digitized by Google

quem S. Hieronymus (*a*) ad hunc modum legit: *ipſe avertet, & miſerebitur noſtri: demerget iniquitates noſtras, & projiciet in profundum maris omnia peccata noſtra*. Sed ideo fortaſſe ab eo allegando cavit Scriptor hic noſter, quod multo aptius baptiſmo, quam pęnitentiæ verba ea convenire putaret. Et ſane baptiſmi gratiam verbis iis denotari docet idem ille Hieronymus, quem adduxi: *Michæas de baptiſmi gratia vaticinatur: Ipſe avertet &c.*

(34) Item apud Sophoniam: *Convenite, & precamini gens indiſciplinata, priuſquam efficiamini ſicut flos prætериens, priuſquam veniat ſuper vos ira Domini, priuſquam veniat ſuper vos dies furoris Domini. Quærite Dominum omnes humiles terræ, judicium operamini, & quærite juſtitiam, & quærite manſuetudinem, & reſpondete ei, ut protegamini in die iræ Domini.* (Sopho. 2. v. 1.)

Quid porro aptius ad terrendos, avertendoſque a ſchiſmate, atque hæreſi Novatianos, eoſque reducendos ad Eccleſiam, quam reliquerant, verbis iis, quæ hic ex Sophonia adducuntur? Quid pariter efficacius ad perurgendos ad pęnitentiam eos, qui criminibus ſuis Dei iram adverſus ſe excitaverant? Procul dubio interpretationi Septuaginta adhæret noſter auctor. Vulgatus autem interpres ſic eadem in latinum tranſtulit. *Convenite, congregamini gens non amabilis: Priuſquam pariat juſſio quaſi pulverem tranſeuntem diem, antequam veniat ſuper vos ira furoris Domini, antequam veniat ſuper vos dies indignationis Domini. Quærite Dominum omnes manſueti terræ, qui judicium ejus eſtis operati: Quærite juſtum, quærite manſuetum: ſi quo modo abſcondamini in die furoris Domini.*

(35) Item apud Zachariam: *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* (Zach. 1. 3.)

Adeo perſpicuus eſt locus iſte, ut explicatione minime indigeat. Vide quæ diximus ad locum XV, XVI, & ſequentes. Convenit etiam plane cum Vulgata.

(36) Item apud Oſee: *Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum, quoniam infirmatus es iniquitatibus tuis. Aſſumite vobiſcum multos, & convertimini ad Dominum Deum veſtrum: dicite ei adorantes: potens es dimittere peccata noſtra, ut non accipiatis iniquitatem, ſed ut accipiatis bona.* (Oſe. XIV. 2.)

Recole quæ ad loca nuper citata, aliaque pridem explicata diximus, & manifeſto videbis, quo ſpectent verba Oſeæ, quæ nunc expendimus. Tantum hic adverto, verba illa, *aſſumite vobiſcum multos*, ſi ad Novatianos directa vis, invitare eos, ut turmatim veluti, multiſque collectis ad Eccleſiam redeant. Si ad eos qui pęnitentiæ cauſa ad Eccleſiam confugiebant, repellebanturque a ſeverioribus quibuſdam, & auſterioribus; tum indicare, ut multorum, præſertim vero Martyrum, & Confeſſorum ſuffragia colligerent, quorum quidem præſidio aut flecteretur ad lenitatem auſteriorum firmitas, aut certe multitudine, atque auctoritate ſuffragatorum vinceretur. Poſſunt etiam ſignificare preces Eccleſiæ, quibus & canonicam reconciliationem pęnitentes acciperent, & flecteretur ad miſericordiam Deus. Poſtremæ huic interpretationi favet S. Pacianus, cum hæc ait (*b*): *Scio frater, hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari; nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoque libramine: poſt multos gemitus, effuſionemque lacrimarum, poſt totius Ecſiæ preces.*

Vocem illam *iniquitatem* (*ut non accipiatis iniquitatem*) ſume pro pęna iniquitati infligenda: jam diu enim monuere interpretes, voces has, *peccatum, iniquitas*, & affines alias ambi-

D guas

(*a*) in epiſto. ad Ocean. olim 83; in Veron. editione 69. num. 6. (*b*) Ep. 1. pag. 53.

Digitized by Google

guas eſſe, & perinde ſignificare peccatum, iniquitatemque, ac pęnam peccato, & iniquitati inferendam. Abeſt nonnihil a ſuperiore interpretatione Vulgata; hæc nempe eſt: *Convertere Iſrael ad Dominum Deum tuum: quoniam corruiſti in iniquitate tua. Tollite vobiſcum verba, & convertimini ad Dominum: & dicite ei: omnem aufer iniquitatem, accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.*

(37) Item in Eccleſiaſtico: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua, & nimis odite execrationem, & cognoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propitiationis Altiſſimi, & vade in partem ſæculi cum vivis, & dantibus confeſſionem. Non demoreris in errore impiorum. A mortuo quaſi nihil perit confeſſio. Vivus, & ſanus confiteberis Deo, & gloriaberis in miſerationibus illius, quoniam magna miſericordia Dei, & propitiatio illius convertentibus ad ſe.* (Eccl. XVII. 23.)

Ea quæ ad teſtimonium XXXIV adnotavi, hic ſi recolantur, ſatis, ut puto, illuſtrabunt eum, quem hic afferimus, locum. Novatiani profecto indicari videntur, monerique, ut tandem aliquando ab hæreſi ad Eccleſiam revertantur, iis verbis: *Convertere ad Dominum, & relinque peccata tua.... & ſta in ſorte propitiationis Altiſſimi; & vade in partem ſæculi cum vivis, & dantibus confeſſionem*. Generatim peccatores excitantur ad veram, ſinceramque, ac ſolidam pęnitentiam, eam denique, quam præcipit Eccleſia. (*nimis odite execrationem, & cognoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propitiationis Altiſſimi*. Quid enim expreſſius ad denotandam Eccleſiam, & pęnitentiam ab ea præſcriptam?) Monentur autem, ne differant reverti ad Deum: mors enim imminet: quam ob rem dum vita, & ſanitas adhuc ſupereſt, ſupplices ab eo veniam poſcant, quam ille utpote ſummum in modum miſericors, largiter impertiet. *Vivus, & ſanus confiteberis Deo, & gloriaberis in miſerationibus illius, quoniam magna miſericordia Dei, & propitiatio illius convertentibus ad ſe.* Vulgatus interpres ſic in latinum ea verba tranſtulit. *Revertere ad Dominum, & avertere ab injuſtitia tua, & nimis odito execrationem: & cognoſce juſtitias, & judicia Dei, & ſta in ſorte propoſitionis, & orationis Altiſſimi Dei. In partes vade ſæculi ſancti, cum vivis, & dantibus confeſſionem Deo. Non demoreris in errore impiorum, ante mortem confitere. A mortuo, quaſi nihil, perit confeſſio. Confiteberis vivens, vivus & ſanus confiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis in miſerationibus illius. Quoniam magna miſericordia Domini, & propitiatio illius convertentibus ad ſe.*

(38) Item illic: *Quam bonum eſt correctum manifeſtare pœnitentiam! Sic enim effugies voluntarium peccatum.* (Eccleſiaſtic. XX. 4.)

Videtur ad eos directus hic locus, qui ſe ſuorum criminum pęnitere teſtabantur, ideoque *correctos* ſe appellare non recuſabant; at pęnitentiæ ab Eccleſia præſcriptæ ſubdi nolebant. Hos ſcriptor noſter hortatur, ut publicam, atque ab eccleſia ſtatutam pęnitentiam agant: id enim convenientiſſimum eſt: ſecus ſi agant, voluntarium peccatum minime effugient.

At quodnam (inquies) voluntarium peccatum illud eſt, quod publicam pœnitentiam agere recuſanti inevitabile dicitur? An inobedientia adverſus Eccleſiam, quæ eandem pœnitentiam præcipiebat? An ſcandalum, quod reliquis fidelibus præbebatur? Utramque explicationem facile admiſerim: ſed ne eos quidem reprehenderim, qui monent *voluntarium peccatum* ab iis effugi non poſſe, qui priorum criminum pœnitentiam ab Eccleſia præſcriptam minime agunt; facile enim ad peccandum revertitur, qui aut nullam, aut levem priorum criminum pœnitentiam agit, contemnitque conſuetudines, & ſanctiones Eccleſiæ. Convenit fere cum ſuperiore, Vulgata interpretatio, in eo tan-

Digitized by Google

tantum differens, quod *correptum* legit, ubi noſter ſcriptor habet *correctum*.

(39) Item in Actibus Apoſtolorum: *Ait autem ad illum Petrus: pecunia tua tecum ſit in perditione, quoniam gratiam Dei putas te per pecuniam poſſe conſequi. Non eſt pars, neque ſors tibi in hac fide, quia cor tuum non eſt rectum apud Dominum. Itaque pœnitentiam age ab hac nequitia tua, & precare Dominum, ſi forte remittatur tibi cogitatio cordis tui. In obligatione enim iniquitatis, & amaritudine fellis video te eſſe.* (Act. VIII. 19.)

Patere poſſe peccatis quibusque, ideoque graviſſimis etiam pœnitentiæ locum facile evincitur ex iis Petri verbis, quæ hic allegantur; quandoquidem Petrus Simonem Magum Spiritus Sancti dona emere ſtudentem, ideoque immanis criminis reum hortatur ad pęnitentiam. Apta ſunt etiam eadem verba ad revocandos a ſchiſmate, atque hæreſi Novatianos, quorum aliquos fortaſſe ad eam ſectam pecunia, aut certe emolumenta oblata deduxerant, atque in ea retinebant. Quamvis autem leve ſit hanc inter, & Vulgatam interpretationem diſcrimen, placet hic tamen eandem Vulgatam pariter adducere. *Petrus autem dixit ad eum: Pecunia tua tecum ſit in perditionem: quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri. Non eſt tibi pars, neque ſors in ſermone iſto. Cor enim tuum non eſt rectum coram Deo. Pęnitentiam itaque age ab hac nequitia tua: & roga Deum, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui. In felle enim amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe.*

(40) Item in Epiſtola Pauli ben: (*a*) ad Corinthios ſecunda: *Quæ enim ſecundum Deum eſt triſtitia, pœnitentiam in ſalutem operatur ſtabilem: Sæculi autem triſtitia mortem operatur.* (II. Cor. VII. 10.)

Is, quem nunc examinamus, Apoſtoli locus Eccleſiaſticæ pœnitentiæ, quæ corporalibus etiam afflictationibus peragitur, utilitatem celebrat, eamque teſtatur fore & *ſtabilem*, & ſalutarem (*in ſalutem*). Condemnat autem veluti noxium, atque adeo mortiferum illud pœnitentiæ genus, quod ſeculo probatur: ac *ſeculi* quidem nomine nobis blandientem, legique Dei, ideoque Eccleſiaſticæ diſciplinæ adverſantem carnem: aut, ſi vis, ſchiſmaticorum, & mollium quorumdam blandimenta intelligit. Cyprianus ſane pęnitentiam illam tantummodo approbat, quæ exteriores etiam afflictationes, & manifeſtam triſtitiam præferret. Hinc in libro de lapſis (*b*): *Agite* (inquit) *pœnitentiam plenam; dolentis, ac lamentantis animi probate męſtitiam. Nec vos quorumdam moveat aut error improvidus, aut ſtupor vanus, qui cum teneantur in tam gravi crimine, percuſſi ſunt animi cęcitate, ut nec intelligant delicta, nec plangant. Indignantis Dei major hæc plaga eſt.*

Oſtendit quoque idem locus nulla eſſe irremiſſibilia peccata. Quomodo enim pœnitentia dici poſſet *in ſalutem ſtabilem*, ſi peccata aliqua irremiſſibilia eſſent? Hinc merito S. Pacianus adverſus Novatianos diſputans eodem utitur loco (*c*). Commendat etiam lenitatem a Cypriano inſinuatam, monenturque in eo Eccleſiarum præſides, ne pœnitentiam præcludant poſcentibus ſuorum criminum veniam: pœnitentia enim eſt *ad ſalutem ſtabilem*. Cur ergo ab ea arcebuntur Fideles ſcelera ſua deflere cupientes? Vulgatam hic non affero, eandem enim habet cum ſuperiore interpretationem. Locum hunc ſe magni facere declarat Damaſcenus, cum eum affert (*d*).

(41) Item illic de hoc ipſo: *Si cui autem aliquid donaſtis, & ego: Nam & ego, quod donavi propter vos in facie Chriſti, ut non circumveniamur a*

(*a*) *benedicti*, niſi fallimur: ſæpe enim Chriſtum, & Apoſtolos præpoſita hac appellatione Veteres appellabant. (*b*) pag. 384. (*c*) Epiſt. I. pag. 53. (*d*) in Parallelis.

Digitized by Google

Satana; nec enim verſutias ejus ignoramus. (II. Corin. 2. 10.)

Hic quoque monentur Epiſcopi, ut veniam pœnitentibus donent; approbavit enim Paulus Apoſtolus indulgentiam, & facilitatem (ſi volumus ita loqui) quam cum pœnitentibus Fideles adhibuerant. Itaque rigorem illum, ac ſeveritatem, quam in Eccleſiam inducere nonnulli ſtudebant, veniam pœnitentibus denegantes, etiamſi illi ſe ſe Eccleſiæ judicio ſupponerent, improbat locus iſte. Atque in hunc quidem ſenſum eo utitur S. Pacianus hæc ſcribens (a): *Quid Epiſcopo negabitur, in quo Dei nomen operatur? Reddet quidem illi rationem, ſi quid perperam fecerit, vel ſi corrupte, & impie judicarit. Nec præjudicatur Deo, quominus mali ædificatoris opera reſcindat: interea ſi pia illa adminiſtratio eſt, adjutor Dei operum perſeverat. Ecce Apoſtolus ad Laicos ſcribit:* Si cui quid donaſtis, & ego: nam & ego quod donavi, ſi quid donavi propter vos in perſona Chriſti, ut non poſſideatur a Satana, non enim verſutias ejus ignoramus. *Si autem quod Laici donant, Apoſtolus donaſſe ſe dicit; quod Epiſcopus fecerit, qualiter reſpuetur? .... Scio frater hanc ipſam pœnitentiæ veniam non paſſim omnibus dari: nec antequam aut interpretatio divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio fuerit, relaxari: magno pondere, magnoque libramine: poſt multos gemitus effuſionemque lacrimarum, poſt totius Eccleſiæ preces: ita veniam veræ pœnitentiæ non negari, ut judicaturo Chriſto nemo præjudicet.*

Improbat quoque eorum errorem, qui peccata aliqua inexpiabilia cenſebant. Quis enim inexpiabilia aliqua peccata cenſebit, quando Paulus ſine ulla reſtrictione, aut criminum exceptione affirmat ſe donare iis, qui peccaverant, quidquid antea a fidelibus donatum illis fuerat? Pulcre idem ille Pacianus, quem modo allegavi, recitatis his ipſis Apoſtoli verbis: *Si cui autem donaſtis &c.* hæc ſubjungit (b): *Vides Apoſtoli indulgentiam, proprias etiam ſententias temperantem? vides mitiſſimam lenitatem longe a veſtro ſupercilio ſeparatam: longe a Novatiani fronte diſſimilem, communi vero vitæ, ac ſaluti omnium conſulentem? An etiam in nos ſeverus cenſor invehêris?* Verba porro illa: *ut non circumveniamur a Satana; nec enim verſutias ejus ignoramus*, hunc, me quidem judice, habent ſenſum: Ideo vero indulgeo quidquid vos indulſiſtis, ne a Satana circumveniamur; circumvenit enim Satan fideles in crimina prolapſos, ſi nimîam auſteritatem, rigoremque nulla lenitate temperatum adverſus eos adhibeamus; facile enim in deſperationem ea ratione inducuntur: atque id quidem cavemus nos, qui Dæmonis fraudes, verſutiaſque probe noſcimus. Vix differt ab allata interpretatione Vulgata, quam ſtatim habeto. *Cui autem aliquid donaſtis, & ego; nam & ego quod donavi, ſi quid donavi, propter vos in perſona Chriſti; ut non circumveniamur a Satana: non enim ignoramus cogitationes ejus.*

(42) Item illic: *Timeo autem, ne forte quom venero ad vos, iterum humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex his qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper quæ geſſerunt, fornicationem, & impudicitiam.* (II. Cor. XII. 20, & 21.)

Exemplo Apoſtoli Pauli, qui male de iis ominabatur, qui non egerant pœnitentiam ſuper quæ geſſerant, fornicationem, & impudicitiam, prædicens ex iis fore multos, de quorum perditione ſibi lugendum eſſet, Cyprianus, ſeu quiſquis is eſt hujuſce opuſculi auctor, male de iis ominatur, qui tametſi plurimorum criminum rei, tamen ſine pœnitentia introduci volebant in Eccleſiam. Pœnitentiam itaque ab impudicis, & criminoſis expoſcit, ut Eccleſia-

(a) Epiſt. 1 pag. 53. Tom. III Biblio. Patr. Pariſ.

(b) Epiſt. 3. pag. 65. To. III. Biblio. Pat. Pariſ.

Digitized by Google

ſiaſticam communionem, & veniam aſſequerentur. Adverſus Novatianos quoque merito locus iſte urgetur, quatenus pœnitentiam non exquiſiiſſet a criminoſis Paulus, ſi irremiſſibilia forent eorum ſcelera. An levia ea erant, quæ *fornicationis*, & *impudicitiæ* vocabulis hic notat Apoſtolus Paulus? Non omittit teſtimonium hoc Pauli S. Pacianus adverſus Novatianos diſputans: ſic enim eos refutat (*a*): *Revolve quæ Spiritus dicat Eccleſiis. Epheſios deſertæ dilectionis accuſat, ſtuprum Thyatirenis imputat, Sardos in opere ceſſantes, Pergamenos docentes diverſa reprehendit, Laodicenorum divitias inurit, & tamen omnes ad pœnitentiam ſatisfactione invitat. Quid Apoſtolus ad Corinthios, cum ita dicit: Ne cum venero, lugeam multos ex his, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ex his, quę ante geſſerunt in fornicatione, & immunditiis ſuis?* Præiverat Pacianum Cyprianus (*b*) hæc ſcriptis tradens: *Omne peccatum quodcumque fecerit homo, extra corpus eſt: qui autem mœchatur, in corpus ſuum peccat (c): quibus tamen & ipſis pœnitentia conceditur, & lamentandi, & ſatisfaciendi ſpes relinquitur ſecundum ipſum Apoſtolum dicentem: Timeo, ne forte veniens ad vos, lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam de immunditiis, quas fecerunt, & fornicationibus, & libidinibus.* Vide etiam, obſecro, quo modo loco hoc ad Sabinianum lapſum corrigendum utatur Hieronymus (*d*). Sed quis Bachiarium omittat non modo locum hunc allegantem, ſed ea ipſa verſione utentem, qua utitur noſter Auctor? Libentiſſime autem Bachiarium excito, quod ex illius monitis manifeſto noſcet Lector, alium etiam in finem, hunc quem pertractamus Pauli locum, afferri poſſe. Ecce porro ipſa Bachiarii verba (*e*). *Ne ſpernas, quæſo, fratrem defunctum: filius eſt Sunamitis ſterilis, ideſt, Eccleſiæ: ex repromiſſione natus eſt iſte, qui mortuus eſt. Quondam enim nativitatem ejus ſecundo Abrahæ Dominus in Iſaac ſemine ſpopondit atque pollicitus eſt; Cujus caput in meſſe calore percuſſum eſt, id eſt, principale mentis ejus inter ipſam ſpei libidinis flammam concaluit. Currat ad Eliſæum mater ejus; ideſt ſollicite plangat Eccleſia: Reſurget enim, ſi fideliter hoc ſperaverimus a Chriſto. Et tu beatiſſime in defuncto fratre opus imitare Eliſæi: manus manibus, pedes pedibus, os ori compone. Primum, ut compatiaris ei, qui mortuus jacet; neque elatus integritatis tuæ triumpho, ſuperexcreſcas eum, aut ſuperextendas te ei, quem repentina mors rapuit; ſed imitare Apoſtolum, qui dicit:* Timeo, ne humiliet me Dominus Deus meus apud vos, & lugeam multos ex eis, qui ante peccaverunt. *Appone præterea oculos tuos oculis ipſius, ne in perditionem ſui ulterius evagentur: os illius, ne confabuletur iniqua: manus illius, ne operentur adverſa: pedes illius, ne vagentur in turpibus. Et ſic cum pro cuſtodia ſui membris illius membra tua fuerint copulata, non ſolum peccandi ulterius ſpatium non habebit, verum etiam ſpem capiet reſurgendi; ut qui peccati frigore mortuus eſt, conſolationis tempore revocetur ad vitam.*

In Vulgata reperies verba hæc tranſlata ad hunc modum. *Timeo enim, ne forte cum venero .... ne iterum cum venero, humiliet me Deus apud vos, & lugeam multos ex iis, qui ante peccaverunt, & non egerunt pœnitentiam ſuper immunditia, & fornicatione, & impudicitia, quam egerunt.*

(43) Item illic: *Prædixi, & prædico: ut præſens ſedeo, & abſens nunc his qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quia ſi venero iterum, non parcam.* (II. Cor. XIII. 2.)

Pœnitentiæ ſubjiciendos criminoſos hoc

hoc

(*a*) Ep. 1 pag. 52. (*b*) Epiſt. 52 pag. 157. (*c*) 1. Corinth. 6. (*d*) in Veron. editio. epiſt. 147. n. 1. pag. 1078. (*e*) in libro ad Januarium pag. 54. editio. *Franciſci Florii.*

Digitized by Google

hoc in loco docet Apoſtolus: minime quippe ſe impunita relinquere poſſe ait gravia crimina, in quæ nonnulli inciderant. Neque ergo præcludi is vult pœnitentibus veniæ locum (*a*), neque inulta finit eſſe, & ſine pœnitentia gravia crimina. Id quoque non modo Cyprianus (*b*), verum etiam Pacianus (*c*) ſummopere optabat. Poteſtatem etiam Eccleſiaſticorum Præſidum in crimina quævis, & criminoſos indicant hæc verba, præſertim ſi non ſejungantur a verbis num. XXXXI expenſis, quatenus indicant plenum, ſummumque judicium, quod adverſus fideles in crimina lapſos ſe exercere poſſe teſtatur Apoſtolus. An vero ſi quædam peccata inexpiabilia eſſent, in judicio adverſus criminoſos lato ſedere is potuiſſet, & ſententiam ferre? Hæc ſcilicet, utpote irremiſſibilia, judicio illius, ac ſententiæ minime ſubeſſent. Quis porro ignorat in poteſtate, quam *ordinariam* appellant, ſuccedere Apoſtolis Epiſcopos? Poteſtatem itaque hi habebunt in quævis crimina, ideoque nulla erunt irremiſſibilia, quidquid ſecus effutirent Novatiani. In Vulgata ſic deſcribitur loquens Paulus: *Prædixi, & prædico, ut præſens, & nunc abſens, iis qui ante peccaverunt, & ceteris omnibus, quoniam ſi venero iterum, non parcam.*

(44) Item ad Timotheum ſecunda: *Prophanas autem novitates vocum devita: multum enim proficiunt ad impietatem: Nam ſermo eorum ſicut cancer ſerpit, ex quibus eſt Hymenæus, & Philetus, qui a veritate exciderunt, dicentes reſurrectionem jam factam, & quorundam fidem ſubverterunt. Sed firmum fundamentum Dei ſtat habens ſignaculum hoc. Cognovit Deus qui ſunt ejus, & diſcedat ab omni iniquitate omnis qui nominat nomen Domini. In magna autem domo non ſolum ſunt vaſa aurea, & argentea, ſed & lignea, & fictilia, & quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo emendaverit ſe ab iſtis, erit vas in honorem ſanctificatum, & utile Domino ad omne bonum opus paratum. Juvenilia autem deſideria fuge. Sectare vero Juſtitiam, Fidem, Caritatem, Pacem cum his, qui invocant Dominum de corde puro. Stultas autem, & ſine diſciplina quæſtiones devita, ſciens, quia generant lites. Servum autem Domini non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe ad omnes, docibilem, patientem, cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt; ne quando det illis Deus pœnitentiam ad cognoſcendam veritatem, & reſipiſcant de Diaboli laqueis, a quo capti tenentur ad ipſius voluntatem.* (II. Timoth. 2. v. 16.)

Adverſus Novatianos hæc Apoſtoli Pauli monita intorquet noſter Scriptor, atque hæc quidem fidelium auribus inculcat, ut ab hæreticorum, & ſchiſmaticorum ſtrophis, & familiaritate abſtineant, neve ab eorum verſutia, & malis dolis ſe decipi ſinant (*Sed & ſermo eorum quaſi cancer ſerpit: hoc eſt macula unitatis hæc ruga (d)*) Quamvis enim malos in hoc mundo, atque adeo in Eccleſia eſſe oporteat (*quædam vaſa in honorem, quædam in contumeliam (e)*): cavendum eſt tamen ſummopere, ne ab eorum exemplis, & blandis calliidiſque ſermonibus in errorem deducamur. Pulcre Cyprianus (*f*): *Nunc & admoneo, & peto, ut quod alias ſponte, atque honorifice facis, etiam petente me facias, ut hac epiſtola mea lecta, ſi quod illic contagium venenati ſermonis, & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, id omne de fratrum auribus, & pectoribus exuatur, & bonorum integra, ac ſincera dilectio ab omnibus hæreticæ detrectationis ſordibus repurgetur. Declinent autem de cetero fortiter, & evitent dilectiſſimi fratres noſtri verba, & colloquia eorum, quorum ſermo ut can-*

(*a*) vide teſtim. XXXXI. (*b*) vide quæ docuimus num. 8, 9, & ſequentibus Capitis I.
(*c*) Conſule verba Paciani ad teſtimonium XXXIII. (*d*) Vide S. Pacianum Epiſt. 3. (*e*) Rurſus vide S. Pacianum Epiſt. III. (*f*) epiſt. 55 pag. 186.

Digitized by Google

cancer ſerpit, *ſicut Apoſtolus dicit: Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimæ*.

Ita porro cum iiſdem Schiſmaticis agere fideles præcipit, ut eos primum quidem exemplis, tum lenitate, ac moderatione mitefactos ad Eccleſiam deducant, effugientes prorſus contentiones, verborum aſperitatem, ac minas. *Servum autem Domini non oportet litigare*, *ſed manſuetum eſſe*. Vulgata interpretatio hic pene proponitur, an amanuenſis licentia, an caſu aliquo, alii viderint; Quia tamen in prioribus duobus verſiculis Vulgata nonnihil differt ab ea, quam exhibet hujuſce opuſculi auctor, duos hoſce verſiculos Vulgatæ hic deſcribo: *Profana autem*, *& vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem: & ſermo eorum ut cancer ſerpit*.

(45) Item in Apocalypſi: *Memento unde cecideris*, *& age pœnitentiam: Sin autem*, *veniam tibi cito*, *& candelabrum de loco ſuo movebo*. (Apoc. II. 5.)

Eodem fere ſpectat hic locus, atque ille qui ex Sophonia num. XXXIV allegatus eſt. Invitant itaque iſti ad pœnitentiam eccleſiaſticis legibus præſcriptam: oſtendunt, peccantibus ſupereſſe veniæ locum: minantur denique ſchiſmaticis, & peccatoribus graves pœnas, niſi reſipiſcant, & pœnitentiam agant. Atque invitari quidem ad pœnitentiam Eccleſiaſticis legibus præſcriptam fideles lapſos, oſtendunt monita hæc Cypriani (*a*). „ Legi litteras veſtras, fratres „ cariſſimi, quibus ſcripſiſtis ſalubre „ conſilium veſtrum non deeſſe fratri„ bus noſtris, ut temeraria feſtinatio„ ne depoſita religioſam patientiam Deo „ præbeant, ut cum in unum per ejus „ miſericordiam venerimus, de omni„ bus ſpeciebus ſecundum eccleſiaſticam „ diſciplinam tractare poſſimus, maxi„ me cum ſcriptum ſit: *memento un*„ *de cecideris*, *& age pœnitentiam*. „ Pœnitentiam autem ille agit, qui „ divini præcepti memor, mitis, & pa„ tiens, & ſacerdotibus Dei obtempe„ rans obſequiis ſuis, & operibus juſtis „ Dominum promeretur „ Et rurſus alibi (*b*) „ Non concedit pacem facilitas „ iſta, ſed tollit; nec communicatio„ nem tribuit, ſed impedit ad ſalutem. „ Perſecutio eſt hæc alia, & alia ten„ tatio, per quam ſubtilis inimicus im„ pugnandis adhuc lapſis occulta popu„ latione graſſatur, ut lamentatio con„ quieſcat, ut dolor ſileat, ut delicti „ memoria evaneſcat, ut comprimatur „ pectorum gemitus, ſtatuatur fletus ocu„ lorum, nec Dominum graviter offen„ ſum longa, & plena pœnitentia de„ precetur, cum ſcriptum ſit: *memen*„ *to unde cecideris*, *& age pœniten*„ *tiam* (*c*).

Quod vero verbis his Apocalypſis oſtendatur, peccantibus ſupereſſe veniæ locum & verba ipſa per ſe declarant, (quatenus illum ipſum Epiſcopum, quem corripiunt, invitant ad pœnitentiam), & exemplo ſuo evincit Cyprianus, cum ad illud, de quo agimus, dogma ſtabiliendum iis utitur: „ Miror au„ tem (inquit ille (*d*)) quoſdam ſic „ obſtinatos eſſe, ut dandam non pu„ tent lapſis pœnitentiam, aut pœni„ tentibus exiſtiment veniam denegan„ dam, cum ſcriptum ſit: *Memento un*„ *de cecideris*, *& age pœnitentiam*, *&* „ *fac priora opera*. Quod utique ei di„ citur, quem conſtat cecidiſſe, & quem „ Dominus hortatur per opera rurſus „ exurgere.

Nefas autem ſit omittere quæ auctor libri *ad Novatianum* litteris conſignavit: (*e*) „ Qui multos ex fratribus „ noſtris miſerrimos falſis ſuis adverſa„ tionibus perterritos, iterum fecit eth„ nicos; dicendo quod pœnitentia la„ pſorum ſit vana, nec poſſit eis pro„ ficere ad ſalutem; clamante Scriptu„ ra, & dicente: *memento unde ceci*„ *deris*, *& age pœnitentiam; ſi qui*-

mi-

(*a*) Epiſt. XIII pag. 57 *ad Clerum de his*, *qui ad pacem feſtinant*. (*b*) in Libro de Lapſis pag. 378. (*c*) Apoc. 2. (*d*) Epiſt. 52 pag. 155. (*e*) pag. XIII.

Digitized by Google

„ *minus*, *veniam tibi*, *niſi pœniten-*
„ *tiam egeris*. Et quidem ad ſeptem
„ Eccleſias ſcribens, ſingulis ſua quo-
„ que facinora, & delicta ingerens,
„ pœnitemini, dicebat. Quibus? niſi il-
„ lis ſcilicet, quos pretio magno ſui
„ ſanguinis redemerat.„

His adiungamus, quæ Bachiarius hoc ſuper argumento ad Januarium ſcripſit (*a*). „ Quid vero illud, quod dicit
„ ad Eccleſias ſuas in Apocalypſi, quę
„ inter fidelium numerum ſeptiformi-
„ bus candelabris ſub cuſtodia Angeli-
„ ca comparantur: *memento unde ceci-*
„ *deris*, & *age pœnitentiam*, & *prio-*
„ *ra opera fac; alioquin venio tibi cito*,
„ & *amovebo candelabrum tuum*. Et
„ in priore parte libri innumerum po-
„ pulum vidiſſe ſe dicit, qui in tribu-
„ latione laverunt ſtolas ſuas, & can-
„ didas eas fecerunt in ſanguine Agni,
„ quos dicit, *quia Agnus Dei deducat*
„ *ad vitæ fontes*. Quem tamen nos nu-
„ merum pœnitentium eſſe ſentimus,
„ quia nonniſi per tribulationem plan-
„ ctumque ſalvati ſunt. Et tu ergo la-
„ va ſtolam tuam in fonte lacrimarum.„

Accedat his omnibus S. Pacianus hæc elocutus (*b*): „ Ecce promitto, polliceor,
„ ſi ad Patrem veſtrum vera ſatisfactio-
„ ne redeatis, nihil ulterius errando, ni-
„ hil priſtinis adjiciendo peccatis, di-
„ cendo etiam humile aliquid & flebi-
„ le: *Peccavimus in conſpectu tuo Pa-*
„ *ter: jam non ſumus digni nomine*
„ *filiorum*; continuo de vobis & pecus
„ illud recedet immundum, & ſiliqua-
„ rum eſca deformis ..... Nec utique
„ non pœnitentibus comminaretur, niſi
„ ignoſceret pœnitentibus. Etiam ipſe
„ Deus dicit: *Memento*, *ecce unde ce-*
„ *cideris*, & *age pœnitentiam* .... ne-
„ minem veſtrum perire vult Dominus.
„ Etiam modici, & minimi requirun-
„ tur.„

Quod denique hiſce verbis minetur Dominus ſchiſmaticis, & peccatoribus pœnas, niſi reſipiſcant, & pœnitentiam agant, facile evincitur. Quid enim eſt adventus ille Domini, de quo hic dicitur, niſi viſitatio illa, quam alibi deſcribit iis verbis: *Viſitabo ſuper viros defixos in fæcibus ſuis?* Amotio autem candelabri de loco ſuo quid aliud eſt, niſi amotio ab eo Eccleſiæ loco, quem quis obtinet?

FINIS.

JOAN-

(*a*) In editio. Franciſci Florii pag. 117. n. 12.

(*b*) In Paræn. ad pœnit. pag. 74.

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI

IN SEQUENTEM HILARII EPISTOLAM

P R Æ F A T I O.

C A P U T I.

In quonam codice reperta, & cuinam [noſtra quidem ſententia] tribuenda ſit ea, quam nunc evulgamus, epiſtola.

1. SI ex diligentia, quam in perluſtrandis Bibliothecæ noſtræ codicibus adhibui, fructum non levem retuli, quum ſuperiorem libellum reperi, multo uberiorem ſane ſum aſſecutus, dum nobilem epiſtolam, quam tibi humaniſſime Lector exhibeo, in membraneo codice Hieronymi epiſtolas, & opuſcula complectente inveni (*a*). Nolim tamen illam Hieronymo tribuas; ſtylus enim eam Hieronymo abjudicat, atque adeo Ambroſio, & Auguſtino, quos nempe longe diverſam ſcribendi rationem fuiſſe conſectatos, manifeſta res eſt. Latine primitus ſcriptam, non ex greco converſam epiſtolam hanc, oſtendit locutio ipſa nihil græcitatis habens: latinum quoque ſcriptorem innuit ea Scripturæ verſio, quam ſequitur: quippe aut *Italica* ipſa eſt a veteribus ſæpe laudata, aut alia *Italicæ* affinis, ipſa quoque a veteribus latinis Patribus ſæpe adhibita. At cum præter Hieronymum, Ambroſium, & Auguſtinum (quos quidem hujuſce epiſtolæ auctores fateri vetat, uti diximus, ſcriptio ipſa), multi fuerint latini Patres, qui litteras ſcripſerint, inquirendum eſt nobis, cui epiſtolam hanc tribuamus.

2. Antequam Vulgata Bibliorum interpretatio ab Eccleſiis receperetur, eam fuiſſe compoſitam, compertiſſimum puto: differt enim plurimum a Vulgata ea verſio, quæ in epiſtola hac allegatur. Præit ergo ſeculum ſeptimum, quo ſcilicet tempore in Eccleſiis Occidentalibus fere omnibus Vulgata invaluit. At quarti ſeculi ſcriptorem ſatis indicat ſumma diligentia, & enixum ſtudium, quo Verbi divini conſubſtantialitatem, atque æternitatem ſtabilire ſtudet, & inculcare, ideoque Arianos, & Semiarianos refellere: præterit vero hæreſes deinceps exortas, atque adeo Macedonianam ipſam Semiarianorum tempore celebrem; immo de Spiritu Sancto loquens iis utitur locutionibus, quæ poſtquam hæreſis ea viguit, a viro Catholico, qualis procul dubio eſt ſcriptor noſter, adhiberi non potuiſſent. Scripta itaque eſt epiſtola hæc, antequam Macedonius novam hæreſim conderet. Inter eos porro, quos per ea tempora epiſtolas ſcripſiſſe novimus, &

 Ver-

(*a*) Codex iſte in vetuſto inventario eſt poſitus n. 21. Nunc vero eſt in pluteo XV ad lævam in parte ſuperiore plutei. Incipit vero a libro, quem Hieronymus *adverſus Jovinianum* ſcripſit. Hanc, quam edimus, epiſtolam habes pag. 118.

Verbi divinitatem, atque æternitatem vindicaſſe, eminent Hilarius Pictavienſis (*a*), & Euſebius Vercellenſis (*b*). At ſi quis epiſtolam hanc cum iis comparaverit Euſebii epiſtolis, quas Baronius evulgavit, manifeſto videbit, eam ab Euſebii ſtylo abeſſe plurimum, accedere autem ad eam loquendi rationem, quam Hilarius in libris ſuis conſectatus eſt: atque adeo in eo tantummodo ab iis differre, quod ii utpote oratorio ſtylo compoſiti, elatiores ſint, ac ſublimiores; epiſtola vero hæc humili, tametſi ornato, ac multum exculto conſcripta ſit: quod mirum non eſt; hujuſmodi enim loquendi genus epiſtolæ illi congruit, quæ in Eccleſiaſtico conventu ad plurimorum eruditionem legenda foret (*c*). Neque ſane auctore illo indigna eſt, de quo hæc Hieronymus tradit (*d*): *S. Hilarius Gallicano cothurno attollitur, & quum Græciæ floribus adornetur, longis interdum periodis involvitur, & a lectione ſimpliciorum fratrum procul eſt.* Neque in ea deſideramus ubertatem, ac nitorem, quem in Gallorum Scriptorum elucubrationibus enitere alibi teſtatur idem Hieronymus (*e*). Denique, ne multa proferam, in hac ſane epiſtola ſe prodit is, quem pediſertiſſimum fuiſſe evincunt illa ejuſdem pariter Hieronymi verba (*f*): *Nec diſertiores ſumus Hilario:* quippe qui teſte hic quoque Hieronymo (*g*) *Duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatus eſt, & numero* (*h*), *brevique libello, quem ſcripſit contra Dioſcorum medicum, quid in litteris poſſit, oſtendit.* Initium profecto hujus epiſtolæ valde nobile eſt, nec minus præſtantia quæ ſequuntur, ſic ut ſublimitatem illam, & eloquentiam, quam in Hilario commendant veteres, in ea quoque facile detegas.

3. Illud etiam in Hilario notarunt Critici, quod voces admodum infrequentes ſcriptis ſuis inſerat (*i*): atque id quidem in hac ipſa epiſtola occurrit. Quis enim voces has, *initiat*: *ſplendificare*: *ſacerdotare*: *conſuerit*, quas hic invenies, iis vocibus annumerabit, quas crebro adhibemus? Quod ſi explicationis, reique clarius illuſtrandæ cauſa græcas voces uſurpat in ſuis libris Hilarius: eæ quoque in Epiſtola hac occurrunt. Si a voce *homouſion* ad conſubſtantialitatem Verbi explicandam quoad poteſt, cavet Hilarius, illiuſque loco explicationes alias in libris ſuis ſubſtituit, ne ſcilicet de *nomine*, non de ipſa Verbi conſubſtantialitate, atque æternitate, ac præſtantia decertare videatur; id quoque hic peragit. Id pariter in epiſtola hac obſervans, quod in reliquis libris ſuis adverſus Arianos diſputans religioſe obſervarat: ut ſcilicet

(*a*) Nonnullas epiſtolas fuiſſe ab Hilario conſcriptas, docet Hieronymus lib. *de Viris illuſtribus* cap. 100. his verbis, *nonnullę ad diverſos epiſtolæ*: Hilarii enim & Euſebii Vercellenſis Epiſtolas de ſcriptoribus illorum temporum differens, tantummodo memorat: ſed expreſſe id docet Sulpicius Severus libro II. hiſto. cap. 57. *Hoſius* (inquit) *centenario major* (*ut S. Hilarius in epiſtolis refert*) *deliravit*.

(*b*) Vide quæ docet Baronius ad annum Chriſti 356. n. XCII. & ſequen. & præfationem ad editionem Veronen. Hilarii pag. VIII. n. 24.

(*c*) Humile ſcribendi genus interdum in epiſtolis ſuis perſecutum fuiſſe Hilarium, tradit his verbis Baronius, de epiſtola Hilarii ad filiam loquens ad an. 355. n. 71. *Videas in ea virum ſanctiſſimum, pariterque eloquentiſſimum, ſtylum ſuum natura ſublimem inclinare puellæ, & de induſtria humilem reddere, atque ad perſuadendum facilem, ſimplicibuſque Virginis auribus accommodare.* Illas vero epiſtolas, quæ ad eum finem ſcribebantur, ut in Eccleſiaſticis conventibus publice legerentur, ornatas fuiſſe, atque excultas, is facile fatebitur, qui ad hujus modi litteras (de quibus aliqua mox dicemus) animum advertet.

(*d*) epiſto. ad Paulinum olim 13, in Veronenſi editione 58. n. 10. (*e*) in epiſto. ad Ruſticum olim 4, in Veron. editione 125. n. 6. *Ut ubertatem* (inquit) *gallici, nitoremque ſermonis &c.*

(*f*) in epiſto. ad Pammachi. & Ocean. olim 65, in Veron. editio. 84. n. 7. (*g*) in epiſto. ad Magnum olim 84, in Veron. edit. 70. n. 5. (*h*) XII ſcilicet numero ſunt libri *de Trinitate*, ad quos reſpicit hic Hieronymus. (*i*) Eraſmus in præfatione præpoſita editioni Operum S. Hilarii.

Digitized by Google

cet eorum quidem errores vehementer redarguat, at neminem nomine appellet: atque ab odioſo *Arianorum*, & *Semiarianorum* vocabulo prorſus abſtineat: quam quidem ob rem Lucifero Calaritano diſplicuit, & plus æquo mitis apparuit. Quid? quod eædem paulo liberiores phraſes, præſertim cum de Spiritu Sancto, de Incarnationis myſterio, & de rerum creatione diſſerit, quæ in libris Hilarii *de Trinitate* occurrunt, occurrunt pariter in ea, quam evulgamus, epiſtola; ſententiæ quoque eædem extant; nec diſſimilis, uti diximus, ſermo eſt: atque id ſane fatebitur, qui annotationes, quas eidem epiſtolæ adjiciemus, expendet: eo enim non modica illarum pars reſpiciet, ut adductis Hilarii verbis oſtendatur, cum reliquis illius libris epiſtolam hanc non modo in doctrina, verum etiam interdum in locutione ipſa, verborumque diſpoſitione, ac circuitu convenire.

Accedit ad hæc affinitas nonnulla nominum Hilarii, & Hieronymi; iiſdem enim litteris utrumque nomen incipit. Hinc ſuſpicor Hilarii nomen duabus tantum prioribus litteris indicatum (*a*), & huic epiſtolæ præpoſitum inducere facile potuiſſe amanuenſem noſtrum non admodum fortaſſe peritum, ut Hieronymo tribueret libellum iſtum, qui Hilario utique fuerat tribuendus.

4. Atque his quidem conjecturis ducor, ut Hilario Pictavienſi, ideoque præclariſſimo, & valde vetuſto ſcriptori epiſtolam hanc adſcribam. Nolo tamen diſſimulare eas, quas mihi vir clariſſimus, quique primas in litteraria Republica tenere viſus eſt (*b*), mihi objecit difficultates. Nimirum I. ad martyrium vult ſcriptor iſte paratos eos, quibus epiſtola hæc legenda erat. Antiquior ergo Hilario auctor illius eſt; quippe qui Imperatorum Eccleſiam perſequentium ætate vixit. II. fatetur epiſtolæ hujus ſcriptor, fidem ſuam fuiſſe in dubium revocatam. *Et ſciant æmuli fidei meæ præſtitam rationem, & convenire cum Eccleſia recognoſcant.* At quis id de Hilario audeat dicere? qui, ut Auguſtini verbis utar (*c*), *Eccleſiæ catholicæ adverſus hæreticos acerrimus defenſor; catholicus, & inſignis Eccleſiæ Catholicæ doctor; & non mediocris auctoritatis in tractatione Scripturarum, & in aſſertione fidei vir appellatus eſt.* His ſcilicet ad hunc modum occurro. Conſtantii tempore extitiſſe multos, qui propter Orthodoxæ fidei defenſionem non modo in exilium miſſi, verum etiam martyrio functi ſint, indubitatis monumentis aſſequimur. Merito itaque ad martyrium paratos eſſe cupiebat fideles noſter egregius Scriptor, ad teſtificandam ſcilicet ſanguine ſuo Orthodoxæ confeſſionis veritatem. An non etiam dubitari merito poterat, ne mortuo Conſtantio ad hominem vetuſtæ ſuperſtitioni addictum transferretur imperium, eoque regnante iterum exagitaretur Eccleſia? Quod ſi regnante Juliano vis epiſtolam hanc conſcriptam, quam recte ad ſubeundum martyrium paratos fideles cupiebat Hilarius, quos ſummum in modum a Gentilibus, quibus palam Imperator ipſe favebat, vexatos novimus?

5. Quamquam porro eas laudes meruerit Hilarius, quibus ab Auguſtino, Hieronymo, Caſſiano, aliiſque celebratiſſimis viris ornatus eſt, indubitatum eſt tamen, de illius fide fuiſſe ab aliquibus nimio plus ſeveris, auſteriſque dubitatum. Id facile fatebitur, qui ad librum ab Hilario ad ſuæ Fidei defenſionem adverſus Luciferi Calaritani accuſationes compoſitum, animum adverterit. Legas illum obſecro, & manifeſto conſpicies coactum fuiſſe Hilarium, ut fidem ſuam a criminationibus hujuſce Epiſcopi vindicaret. (*d*)

(*a*) *Hi*: (*b*) Ludovic. Muratorius in Epiſtola ad me ſcripta. (*c*) lib. I. contra Julia. cap. 3; lib. 2. cap. 7, & lib. VI. de Trinita. cap. 10. (*d*) Tomo II. Oper. Hilar. pag. 511.

CAPUT II.

Ad quemnam eadem Epiſtola miſſa ſit: quale illius argumentum; & quonam tempore conſcripta fuerit.

1. AT imminet quæſtio altera: cui ſcilicet miſſa ſit hæc epiſtola. Abeſt enim id a noſtro codice. Epiſcopum, qui populum regendum paulo ante ſuſceperat, eundemque Catholicum, qui inſtructionem coram populo legendam ab Hilario popoſcerat, indicant ea verba, quæ ſub hujuſce epiſtolæ finem occurrunt. *Veniam ante omnes* (*a*) *a tui populi ſinceriſſima ſanctitate orans, ut tua ſanctitas, cui peritior via a Deo, & ſanctior comprobata eſt, in omnibus, in quibus mediocritas mea vel prætermiſit, vel inventa melius explanare non potuit, correcta reformare, & ſupplere dignetur: aut ſi probaveris, ut eſt a nobis opuſculum cœptum te petente, & Deo adjuvante perfectum, non habere quod deſit, in orationibus tantuis ſanctis, quam omnium fratrum memoriam mei habeas.* Atque ea ſane verba: *cui peritior via a Deo, & ſanctior comprobata eſt*, probum innuunt; doctum quoque, aut certe in dicendo, ſcribendoque aliquoties exercitatum, qui vel ſibi minus fidens, vel ad conciliandam fidei ſuæ, ſibique ipſi auctoritatem, vel etiam ut cumulatiſſimam haberet, quam populo ſuo traderet, inſtructionem, eam ab Hilario popoſcerat epiſtolam, in qua & fidei dogmata ſummatim proponerentur, & dirigerentur ad pietatem mores. Quod quidem mirum non eſt; in magna enim apud omnes æſtimatione erat Hilarius (*b*), quem eximia probitas, miracula edita, doctrina non vulgaris, exilium quod pertulerat, laboreſque, quos pro Catholica fide toleraverat, & mira adverſus Catholicæ Eccleſiæ hoſtes conſtantia ſummopere commendabant. Aliunde etiam novimus celebriores Antiſtites ab Epiſcopis nuper electis exoratos litteras ad eos miſiſſe, quibus populi inſtruerentur, atque ad pietatem excitarentur: cujus quidem rei exemplum tibi præbet epiſtola ea, quam Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus Vigilio Epiſcopo nuper electo dedit (*c*): in qua complectitur ea fere omnia, quæ aut perquirere, aut effugere Epiſcopus debet. Nobiliorum porro Epiſcoporum litteras in ſacris fidelium conventibus fuiſſe perlectas cum alia multa teſtentur, tum id ſane liquido oſtendit, quod Cyprianus Cornelio Papæ ſcribens his verbis docet (*d*): *Et quamquam ſciam, frater cariſſime, pro mutua dilectione quam debemus, & exhibemus invicem nobis, florentiſſimo illic Clero tecum præſidenti, & ſanctiſſimæ atque ampliſſimæ plebi legere te ſemper litteras noſtras; tamen nunc & admoneo, & peto, ut quod alias ſponte, atque humaniſſime facis, etiam petente me facias, ut hac epiſtola mea lecta, ſi quod illic contagium venenati ſermonis, & peſtiferæ ſeminationis irrepſerat, de fratrum auribus, & pectoribus exuatur, & bonorum integra, ac ſincera dilectio ab omnibus hæreticæ detrectationis ſordibus repurgetur.*

2. Atque hæc quidem epiſtola propterea majori in pretio habenda eſt, quod & perraræ inveniuntur in ipſis Veterum libris hujus generis litteræ,

(*a*) &

(*a*) fortaſſe *omnia*. (*b*) Quanta apud veteres in æſtimatione fuerit Hilarius, facile diſcimus ex iis laudibus, quibus ab iis ornatus eſt. Conſule obſecro quæ hoc de argumento exhibet poſtrema editio Operum S. Hilarii pag. I, & II *præfationis generalis*: & rurſus *ſelecta veterum teſtimonia de S. Hilario*, quæ pag. 157 Clariſſimus editor ex Congregatione S. Mauri edidit.

(*c*) in editione PP. Benedictinorum XIX ea eſt. *Popoſciſti a me inſtitutionis tuæ inſignia &c.* (*d*) in editio. Baluzii epiſt. 55. pag. 186. editio. Vene.

Digitized by Google

(*a*) & eæ ipſæ quæ habentur, incitamenta quidem ad pietatem, virtutemque habent, at myſteria Fidei, & dogmata aut prorſus prætereunt, aut breviſſime attingunt. Contra hæc utrumque complectitur, fideique myſteria diligenter explicat: ad virtutes quoque aſſequendas luculenter hortatur, & incitat.

3. Quod porro abſit a Codice noſtro nomen Epiſcopi ad quem eadem epiſtola miſſa eſt, facit, ut tempus ignoremus, quo ea conſcripta ſit ab Hilario: quod quidem tempus facile innotuiſſet, ſi nomen Epiſcopi illius haberemus; novimus quippe annum, quo præſtantiores ſaltem per eam ætatem latini Epiſcopi (ad quorum aliquem epiſtola illa miſſa videtur) Eccleſiarum ſuarum regimen ſuſceperint.

4. Extremis tamen, quibus Hilarius vixit annis, eandem epiſtolam conſcriptam arbitror. Etenim ſtudium illud, ac diligentia, quam is impendit in illuſtrando, & luculenter exponendo catholico dogmate, quo Filii divinitas nobis credenda proponitur, eoque vindicando a ſubdolis Arianorum, ac Semiarianorum explicationibus, eam ætatem innuit, quæ omnes Valentis, Urſacii, aliorumque his affinium machinationes, & malos dolos jam detexerat. Atque in hac quidem opinione confirmor, quum animum intendo ad eas locutiones, explicationeſque, quæ ex libris *de Trinitate*, & ex Commentariis in Pſalmos deſumptæ videntur: conjicere quippe ex ea re commode poſſumus, conſcriptis jam evulgatiſque iis, quos diximus, libris, epiſtolam hanc fuiſſe ab Hilario compoſitam. Atque hanc ſuſpicionem meam comprobant verba illa ſub epiſtolæ finem poſita: *Et ſciant æmuli fidei meæ præſtitam rationem, & convenire cum Eccleſia recognoſcant*: etenim ſatis indicant diſſidium antea exortum Hilarium inter, & Luciferum Calaritanum, vocatamque ab eo in dubium Hilarii pietatem, ac religionem, adeo ut coactus ſit Hilarius explicationem librorum ſuorum texere, illiuſque præſertim, qui *de Synodis*, ſeu *de fide Orientalium* inſcribitur. Vide obſecro opuſculum, de quo loquimur, quodque *Apologetica ad reprehenſores libri de Synodis reſponſa* inſcripſere PP. S. Mauri (*b*).

5. His poſitis, manifeſto vides, quam excellens ſit epiſtola, quam evulgamus, quippe quæ plurima, eaque valde præſtantia continet documenta ab eo conſcripta, qui *Magiſter Eccleſiarum* (*c*) propterea a veteribus appellatus eſſe videtur, quod non modo exemplo, multorumque librorum ſcriptione Arianis obſtiterit, verum etiam quia Epiſcopos ipſos, ideoque populos eis ſubjectos epiſtolis ſuis inſtruxerit; eaque ratione *per profectus aliorum creverit* (*d*). At ſatis prælocuti jam ſumus. Ecce itaque Epiſtolam ipſam.

D. HI-

(*a*) Inter Ambroſii epiſtolas, duas tantummodo invenies, quæ ad hoc genus ſpectent: nempe II ad Conſtantium, & eam, quam nuper allegavi, ad Vigilium: nullam vero inter Hieronymi, nullam inter Auguſtini epiſtolas. Ea porro, quæ ab Ambroſio ad Conſtantium directa eſt, piis quidem inſtructionibus referta eſt, at pauciſſima de Eccleſiæ firmitate, & de Scriptura habet: de reliquis vero fidei noſtræ dogmatis mentionem vix facit. Ea vero, quæ Vigilio data eſt, morum inſtructionem tantummodo reſpicit, dogmata vero & myſteria fidei ne attingit quidem.

(*b*) pag. 521. tom. II. editio. Veron.

(*c*) Vide Caſſ. lib. 7. de incarna. cap. 24.

(*d*) *Hilarius vir virtutum omnium, atque ornamentorum; & ſicut vita, ita eloquentia inſignis; qui & magiſter Eccleſiarum, & ſacerdos, non per ſua tantum merita, ſed etiam per profectus crevit aliorum; & inter procellas perſecutionum ita immobilis perſtitit, ut per invicta fidei fortitudinem etiam Confeſſoris ceperit dignitatem*. Caſſia. lib. 7 *de incarn.* cap. 24.

D. HILARII PICTAVIENSIS

EPISTOLA

SEU LIBELLUS.

I. DAvid 1 glorioſus 2 in Pſalmo (a) ſic dicit 3: *In univerſam terram exivit ſonus eorum, & ad terminos orbis terræ verba eorum*. Ex hoc igitur intelligi datur, ſono ante præparato, ideſt Fidei principiis, poſſe ad intima & perfectiora fidei perveniri, ne rudimentis vacillantibus, dicatur nobis Domini voce increpantis (b): *Si in modico fideles non fuiſtis, quod majus eſt quis dabit vobis?* Sed quia video certam eſſe formam, quam egredi non licet, differentiæ inter Judæos, & Græcos, ideſt Gentiles 4; prius differentiam ediſſeramus (c): Judæis enim nihil aliud ad veritatem fidei credendum exiſtimo, niſi Jeſum Chriſtum filium Dei: per ipſum ſalvari & genus Iſrael, & Gentes etiam baptizari in nomine ejus 5: reliqua enim ſciunt per legem & Prophetas. At vero gentiles, quibus verus, & major eſt labor 6, tali admittendi, & docendi ſunt ordine 7. Et primo quidem ut ab Idolis, & ab omnibus voluptatibus hominum totis præcordiis recedant: ut amputatis & evulſis radicitus malis, bona poſſint & religioſa pectoribus ſeminari 8: hoc eſt, unum Deum credere; ipſum timere 9. Deinde ſcire, quod cuncta ipſe fabricaverit: & univerſa mundi vel quæ facta ſunt vel ipſo jubente, & volente, & faciente conſtiterint 10. Eſſe corpus Scripturæ: quod autem lex vocetur atque Prophetæ 11 quid hoc indiget 12: quod quidem per homines ſcriptum ſit, non ab hominibus 13? Spiritus enim Dei, qui omnia ſcit 14, inſpirabat homines ſanctos qui loquerentur 15, aut qui deſtruerent pravitatem, aut qui ædificarent fidem, aut ſpem erigerent, aut judicium comminarentur, aut promiſſa ſervarent 16. Deinde credendum illis, Jeſum Chriſtum filium Dei 17, per quem cuncta Deus fecerit, & ſine quo nihil eſt factum 18, per quem in principio Sermonem 19, ideſt rationem 20 univerſitatis accepimus, apud Deum fuiſſe. Sic enim glorioſus Euangeliſta Johannes initiat 21 dicens: (d) *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt: & ſine ipſo factum eſt nihil* 22. Deinde eſſe Spiritum Sanctum, 23 qui cuncta, quæ Deus per Sermonem fecerit, animaverit, & confirmaverit 24. Unum eſſe baptiſmum 25 quo homines regenerantur in Deo 26. Credendum etiam reſurrectionem mortuorum in eadem carne 27. Judicium futurum

(a) Pſ. 18. 5. (b) Luc. 16. 10. (c) Codex m. s. habet: *diſſeramus*.
(d) Jo. 1.

turum Dei, quo ſecundum facta hominis vel malis pœnæ rependantur (a), vel bonorum operum deſtinata præmia tribuantur 28. Tanta eſt differentia Judæorum convertentium, & gentilium credentium 29: Quid ſit 30 Deus, aut qualis, & quantus: Quis eſſet, & qualis filius Dei, & quis Spiritus Sanctus: Tres enim unum ſunt.

II. Sane illud ſcire convenit prudentiæ veſtræ nos de Deo hæc (b) loqui & poſſe, & ſcire, quæ aut ipſe de ſe apud homines voluit ſciri, aut ea ad quæ homini, permiſſu ejus, licuit accedere. Non illum in terris quærat homo, aut inter figmenta componat, ne cui ſimilem credat 31: Deum enim vera fides ita ſemper expoſuit: Non natum, non factum 32, incomprehenſibilem 33, inextimabilem 34, inviſibilem 35, & impaſſibilem 36: Et ideo ſolum verum Deum 37, qui quædam generaverit 38, quædam fecerit, diſpoſuerit, ordinaverit 39, exornaverit 40. Optimum, juſtum mandare Judicem 41. Et ideo inexcuſatus eſt omnis homo, qui factorem ſuum non agnoverit 42 in tempore agnitionis 43, habiturus poſt exitum Judicem juſtum: qui non ſuo tempore converti ſe putaverit: ſed ex præterito 44. Hęc fas eſt de Deo credere 45. Hęc qui crediderit, abſtinet ſe ab omni injuſtitia 46. Bona & juſta operatus æternam requiem habebit in vita 47.

III. Habentem 48 Filium: non ſtatim ut homines procreati ſunt, ita dicere me æſtimes generatum 49; ſed ut decet de Deo credere, & Deum filium habere ex ſe quidem natum 50 non diviſa ejus ſubſtantia, nec majeſtatis ejus diviſa ſubſtantia; ac per hoc paſſibilis videatur 51. Nec de ore Sermonem noſtri ſimilem eſſe prolatum: ut literis & ſyllabis conſtet: nec filius Dei compoſitus, ac per hoc diſſolubilis teneatur 52. Nec ex nihilo, ſicut reliqua facta ſunt, ne ſimilis & æqualis & ceteris, qui facti ſunt 53, jungeretur: ſed ſicuti ipſe ſcit qui generans, & ipſe qui generatus eſt: ipſo Domino in euangelio dicente (c): *Nemo novit Patrem niſi Filius: neque Filium quis novit niſi Pater*. Item in Scripturis legimus (d): *Myſterium meum mihi: myſterium meum mihi* 54. Et re vera abſconditum eſſe decet de generatione illa, in qua nullus interfuit: nec momentum quidem temporis 55. Ante ſecula enim, & antequam ſuſpicari quis auderet, natus eſt filius Dei ſine temporibus 56: quod græca lingua *Achronos* dicunt 57; ſemper enim filius, quia ſemper pater 58: nefas eſt enim Deo aliquid aſſignare poſtmodum, quod ante non habuerit: cum Deus ſemper perfectus ſit 59. Ut etiam quod propter nos poſtmodum fuerit fabricatum 60, apud illum jam fuerit & ſi non in ſubſtantia, plena diſpoſitione 61: Non minus enim erat impotens ſimul omnia facere 62, ſed ut ordinata & gradatim diſpoſita univerſa pro ſuo gradu & honore obſequerentur; & ne paſſiva & nulla inter ſe antiquiora inhonorifica permanerent 63. Nam ſi quæ noſtri cauſa a Filio Dei nativitas ſuſcepta eſt, incomprehenſibilis eſt, non nudata mortalibus; quanto magis 64 illa, quæ nulli niſi Deo Patri, & ſibi ſoli eſt cognita? Nam Gabriel Angelus ad Mariam ita loquitur, ſicuti Euangeliſta teſtatur (e): *Spiritus Domini ſuperveniet in te: & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi*. Quod obumbratur, abſconditur: nec omnibus notum eſt. Ergo ſi hæc nativitas, quæ noſtri eſt cauſa depoſita (f), nobis incognita eſt: quanto magis illa quæ a nobis longe remota eſt 65? Et quid dico a nobis, & non ab omni cæleſti creatura 66? Sufficit ergo hoc, quod vidimus, quod divinitas noſſe nos voluit. Nec ultra cognitio porrigenda eſt, ne ſa-

(a) Codex m. s. habet: *repœnitentur*. (b) Codex m. s. habet: *hoc*. (c) Matth. XI. 27.
(d) Iſa. XXIV. 16. (e) Luc. I. 35. (f) legendum videtur: *diſpoſita*.

Digitized by Google

ſacrilegus unuſquiſque teneatur, quiſquis conceſſos (*a*) terminos fuerit cognitionis egreſſus *67*.

IV. Chriſtum igitur accepimus *68* Dei Filium initio *69* Sapientiam (*b*) veram 70, Sermonem, ideſt rationem 71, ſpiritum (*c*), viam (*d*), lucem (*e*), brachium (*f*), fortitudinem (*g*), virtutem (*h*), veritatem (*i*), panem (*k*), vinum (*l*), Vitam (*m*), Oſtium (*n*), paſtorem (*o*), & alia plurima 72, quæ propter homines ſunt 73: & omnes in illo vivunt 74: quæ unuſquiſque proceſſu temporis Scriptura edocente perdiſcet 75. Si igitur Dei Filium cognitum confitemur: per ipſum Deum Patrem ſcimus & ſecula viſibilia, & inviſibilia condidiſſe: Non enim fas eſt ex eo Deum operatum credere, ex quo mundus genituræ ſuæ idem nativitatis initium ſumpſit, aut ceſſaſſe & deſiiſſe credendum eſt poſt mundi fabricam: cum Dominus loquatur & dicat (*p*): *Pater meus uſque nunc operatur* *76*. Otium illi vel antea, vel poſtmodum requiem illi aſſignat quiſquis illum infatigabilem neſcit: & ignorat quod nihil illi ſemper acciderit, ſed ſemper ſit 77: quod græca lingua *ἀναστιτεν* vocat: & in omnibus ſemper ſit ſpiritus perfectus 78.

V. Eſſe igitur plurima quæ per Filium fecerit 79: quorum aut ſola nobis nota ſunt nomina, aut nec ipſa ſunt cognita. Quanti enim ſunt throni? quantæ poteſtates? quantæ dominationes? quanti principatus? quanti ſpiritus? quanti Angeli? quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit 80? Quantam etiam claritatem putamus eſſe in inviſibilibus: nec extimare poſſumus, cum in his quæ nobiſcum ſunt, admiranda ſint omnia 81. Inter omnia enim etiam mundus, quem conſpicimus, per Filium fabricatus eſt 82. Et quidem lucem, qua cetera fierent perſpicua, eſſe juſſit, & fecit: cui *diem* nomen impoſuit (*q*). Tenebris *noctis* addidit nomen (*r*). Deinde *firmamentum*, quod inter aquas depulſaret, oſtendit: quod *Cœlum* voluit nuncupari (*s*): neve terrena 83 viſu cæleſtibus miſcerentur: ſed eſſet quod inter humana & divina diſcerneret. Jam enim ex nihilo materias ipſas, ex quibus omnia fierent elementa, condiderat. Poſt hæc aquas in unum congregari & convenire præcepit: ut *Arida* monſtraretur (*t*). Nec quęque ſunt privata nominibus. Nam congregatas aquas vocavit *mare* (*u*), ſeparatam aridam *terræ* vocabulum voluit poſſidere (*x*). Sed hæc minus inſtructa videbantur. Benignam itaque fœcunditatem his addidit, & decorem (*y*). Et miro modo illam primo generare præcipiens, quæ noviſſime fuerat fabricata 84, Non ordinem turbans, aut ignarus facturæ ſuæ: ſed voluit poſtremum habere primum aliquid, ne in omnibus jaceret extrema 85, & primis ſecunda conjunxit, ne prima inferiora contemnerent 86. Sic Dei filius Deus artifex Patre jubente moderatus eſt 87, ut ordinem mutando, diſpoſitionem melius ordinaret. Namque terras omnia pabula, lignaque cum ſuis ſeminibus redivivis imperavit educere (*z*), cęlumque luminaribus, ideſt Sole, & Luna, & Stellis ornavit (*aa*), quibus aut diei, aut noctis fines oſtenderet, aut ſignis ruſticos, aut nauticos erudiret (*bb*). Maria quæque incluſa in terræ limitibus (*cc*) ſua animalia procreare mandavit (*dd*): anima videlicet ipſas ma-

(*a*) Codex m.s. habet *conceuſſus*. (*b*) I. Corin. 1. 24. *Dei virtutem, & Dei ſapientiam*. (*c*) Joan. IV. 24. *Spiritus eſt Deus &c.* (*d*) Jo. XIV. 6. (*e*) Jo. I. 9, & rurſus III. 19. (*f*) Iſ. 53. 1. Et Joan. XII. 38. *Et brachium Domini cui revelatum eſt?* quod plurimi ad Chriſtum referunt. Vide Calmet in locum hunc. (*g*) Vide Calmet in ſuperiorem locum. (*h*) I. Cor. 1. 24. (*i*) Joan. XIV. 6. (*k*) Jo. VI. 35, 48. (*l*) Matth. IX. 17. & Joan. XV. 1. &c. *Ego ſum vitis vera*. (*m*) Joan. I. 4. & XIV. 6. & alibi ſæpe. (*n*) Jo. X. 1, 2, 7, 9. (*o*) Ibidem verſ. 11. &c. (*p*) Joa. V. 17. (*q*) Gen. I. 3. 4. (*r*) Gen. I. 5. (*s*) Gen. I. 6, & 7. (*t*) Gen. I. 9. (*u*) Gen. I. 10. (*x*) Gen. I. 10. (*y*) Gen. I. 11. &c. (*z*) Gen. I. 11. 12. &c. (*aa*) Gen. 1. 14. (*bb*) Ibidem, & verſ. 16. (*cc*) Job. 38. 8, &c. (*dd*) Gen. I. 20, & 21.

Digitized by Google

materias animaverat, ut naſcentibus poſtmodum animantibus animas commodarent 88. Sed quo fœcundiorem faceret (*) terram (*a*), poſt pabula, poſt ligna fructifera, poſt univerſa ſemina, quadrupedum genus, ferarum, & ſerpentium viva omnia & animata juſſit ejicere (*b*) *89*. Nec mora in his omnibus: *90* quippe quum Deus Pater juſſerat, Filius virtus ipſa ſine recraſtinatione imperium capeſſebat: nam cum juſſione & opus aſtabat *91*. Sed quoniam multum intererat ſubfœcundare terrena *92*, & poſt divina, humana deerant; hominem fecit, qui non totus eſſet e cælo, nec tamen de terra totus *93* iterum naſceretur *94*: quippe corpus ex omni limo terræ formavit (*c*) *95*, ſpiritum conceſſurus e cęlo (*d*) *96*: & cum omnia juſſione Patris Sermone obſequente formata ſint *97*, in hominis fictione etiam ipſe Pater fabricator acceſſit *98*, ut ad immortalitatem non præſcriberet terra, ſi immortales manus conſtituerent hominem *99*. Conceſſit etiam, ut homo Dei imaginem portaret in terris 100, daturus poſtmodum ſimilitudinem, ſi imago ſervaretur illæſa 101. Ad imaginem non putes eſſe formam hanc hominis exteriorem factam. Abſit. Quis enim credat Deum, ad cujus imaginem factus eſt homo, habere aliquam partem, quæ non audiat, quę non videat, quæ non omnia operetur? Hominis enim exterior forma non undique videt, non undique audit, non undique potens eſt. Deus autem totus lux, totus oculus, totus auris, totus manus eſt potentiſſima 102. Ergo mentiuntur Scripturæ? Abſit. Sed eſſe in homine quiddam interius, quod *Homo* quidem & ipſe vocetur, Apoſtolus Paulus nos inſtruit dicens (*e*): *Et ſi exterior noſter Homo corrumpitur, ſed interior quotidie renovatur* 103. Hic eſt ad imaginem Dei factus: quem νοῦν (ideſt mentem) vocamus: qui Deo poſſit ſimilis eſſe tunc, quando impaſſibilis 104: dum inconcuſſus, dum beatus, & ſanctus, & ſine fine (*f*) fuerit comprobatus 105. Liberumque arbitrium, & capacem animum dedit non ſine lege vivendi 10*6*, ne magnus, & ſolutus a lege, animantibus omnibus æquaretur: addita comminatione poſt legem, ut, ſi ſervaret legem, in æternitatem veniret; ſi non ſervaſſet, mortem ſibi pareret, amitteret & ſalutem (*g*) 107. Eſt autem hominis facti nomen *Adam* (*h*).

VI. Sed quia in omnibus animalibus ad procreationem ſexus uterque proceſſerat (*i*): homini quoque proviſum eſt, ut & ipſi propter generationem mulier pararetur (*k*): & facta eſt, ſicut Scriptura teſtatur: quæque *Heva* (*l*) nomen accepit 108: quam æquæ legis præſcriptio nec a mercede, nec a ſupplicio ſeparabat 10*9*. Sed poſtquam univerſa Deus per Sermonem ſuum (ideſt Filium) perfecta atque exornata vidiſſet; omnia quæ cum homine erant, ipſius tradidit poteſtati (*m*). Cui cum omnia tradita videret Lucifer, homini miſerandus invidit (*n*). (Nam eſt & ipſis non peccare liberum, & licitum, ſi juſſa ſervaverint, in beatitudine permanere). Dei legem & juſſa per mulierem tranſgredi perſuaſit (*o*): ut reus homo mandatorum fieret Dei, & in ſententiam caderet (*p*) 110. Ejectus eſt igitur in hunc mundum (*q*): nam in Paradiſo, dum ſine peccato fuiſſet, habitabat (*r*) 111. Sed quia poſt tranſgreſſionem homines generaverat, univerſum hominum genus ſecum ad mortem uſque perduxit 112. Non defuturus tamen bonus, vel juſtus: quoniam quidem liberum erat & poſtmodum natis non delin-

(*) Codex m.s. habet: *fecerat*.
(*a*) Gen. I. 24, & 25. (*b*) Ibid. (*c*) Gen. II. 7. (*d*) Ibidem. (*e*) II. Corin. IV. 16.
(*f*) *Sine fine, uſque in finem*, aut, ſi vis, *ſine infidelitate*, vel *in fide*. (*g*) Gen. II. 16.
(*h*) Gen. II. 19. (*i*) Gen. I. 22, & ſeq. (*k*) Gen. I. 27. Rurſus Gen. II. 20, 21. & ſequen.
(*l*) Gen. III. 20. (*m*) I. Gen. 28. (*n*) Gen. III. 1. &c. (*o*) Gen. III. 1. & ſequen.
(*p*) Gen. II. 17. (*q*) Geneſ. III. 17, & ſequen. (*r*) Gen. III. 23.

Digitized by Google

linquere, & Deus non ceſſabat quotidie commonere 113. Tunc divina bonitas, & paterna pietas larga multipliciter providebat: Et primo quidem per Juſtos Patriarchas: deinde per Moyſen, & Prophetas 114. Sed omnes hi in Adam moriebantur 115. In noviſſimis temporibus, ne in totum Diabolus triumpharet (nam hoc illi nomen eſt, poſtquam homini invidit) 116, & ne homo poſt tempora damnationis impleta contra miſericordiam Dei diu teneretur in pœna; ſalutem, quam ſola miſeratione merebatur, accepit 117. Deus namque pater omnipotens Filium ſuum Jeſum Chriſtum Deum ac Dominum noſtrum miſit, per quem cuncta condiderat: ne hoc quidem ſine illo fieri paſſus 118. Nec tamen quiſquam idoneus erat, qui hominem patienter tolerare (*a*) poſſet, aut noſſet, aut poteſtates hujus mundi & harum tenebrarum quiſquam poterat ſuperare, aut mortem vincere, interna reſerare, virtutem, & poteſtatem peccati eradicare penitus, & delere, niſi Filius Dei, qui in factura hominis particeps cum Patre fuerat, qui & ſe poſſet in homine celare, & hominem cum Deo mixtum virtutes perficere, & exhibere 119: per hunc deletis noſtris chirographis peccatorum (*b*) ad Deum Patrem pacati, & Dei filii facti (*c*) poſſemus accedere 120. Mittitur igitur Dei filius, & hominem latenter intravit (*d*): Non quo metueret quemquam qui erat omnium dominus; ſed ne Diabolus ad hominem, qui Deo mixtus erat, timeret accedere: & minus proſtratus Diabolus ab homine videretur, ſi ſine acceſſu, & certamine vinceretur 121. Ex Virgine igitur *Spiritu Domini ſuperveniente, & virtute Altiſſimi obumbrante* (*e*), ſecundum hominem Chriſti Nativitas celebrata eſt, & omnes tranſegit ætates, ut omnes fere diſcerent Deum 122: hæc omnia eſſe in lege & Prophetis ante prædicta, ut res mira omnibus, incredula non fieret ſubitatione: & præteriti, quibus hoc inſpicere oculis non contigit, ſi ſperarent ſine dubio in adventu ejus, qui prædicabatur, a contagio poſſent æternæ mortis evadere 123. Sic igitur in terris viſus eſt Deus tantus ac talis filius Dei, quantum vel qualem illum humanitas poſſet aſpicere. Nam qui in monte majeſtatis, & bonitatis ſuæ ſpeciem tribuens exhibuit Apoſtolis, cum facies ejus ſplendificaret (*f*), ut virtus ſolis proceſſiſſe videretur, veſtem autem ita geſtaret, ut nive candidior videretur; & tamen jam eruditi, jam docti, jam ſancti claritatem non potuerunt Jeſu ſuſtinere diſcipuli, ejus ſcilicet qui univerſorum hominum vitia ac peccata adhuc curanda ſuſceperat (*g*). Quid ſi Deus tantus veniſſet, ut claritatem, & poteſtatem hominibus oſtenderet? Forſitan omnis creatura invalida & caſura ſuccumberet. Sed ſalvare venerat filius Dei 124. Ita homo parto corpore, Deus in poteſtate (*h*) docebat ut magiſter (*i*), perſuadebat ut frater (*k*), efficiebat ut Deus (*l*), eligebat ut præſcius (*m*), curabat ut medicus (*n*), ut humanus compatiebatur (*o*) 125. Et jam peractis omnibus & completis, quæ aut lex, aut Prophetæ prædixerant, aut ſalus hominis exigebat (*p*); in noviſſimo per mortem hominis immortalis moriebatur (*q*) 126, ut ſublata mortalitate, hominibus immortalitatem donaret. Suſpenſus igitur ligno (*r*), populo Judaico proclamante (*s*), apud quos tanta magnalia perfecerat, ut in eo omnis

(*a*) Fortaſſe legendum eſt *tollere* (de poteſtate ſcilicet dæmonis). (*b*) Coloſ. II. 14. (*c*) I. Jo. III. 1. (*d*) Luc. I. (*e*) Luc. I. 35. (*f*) Matth. XVII. 1; Luc. IX. 29; II. Petri I. 17. (*g*) Jo. I. 29. (*h*) Joan. I. 1. &c. (*i*) Joa. XIII. 13. (*k*) Matth. XXVIII. 10. (*l*) Jo. XIII. 13. (*m*) Jo. 6. 71; XIII. 18; XV. 16. (*n*) Matth. VIII. 16. IX. 35. XI. 8. &c. (*o*) Hebr. IV. 15. (*p*) Joa. XIX. 28, 29, & 30. (*q*) Ibid. verſ. 30. (*r*) Matth. XXVII. 35. (*s*) Matth. XXVII. 23.

Digitized by Google

mnis invidia Diaboli vinceretur (*a*), in quo invidus hominem feſellerat, ad mortem voluntate properabat (*b*), futurus ſcilicet mortis mors; namque reſeratis inferis, & ſpretis conculcatiſque omnibus his, quæ in perniciem hominis & ſalutem apud inferos tunc valebant, omnes Juſtos & ſperantes in ſe illuminavit, & ad ſuperos revocavit: oſtendens Diabolo & poteſtatibus hujus mundi & harum tenebrarum, nequitiam eorum non valuiſſe: ipſos manere in pęnis, liberato, cui invidebant, homine (*c*) 127. Triumphans igitur homo cum Deo, jam devicta morte, non mortalis jam ad ſuperos evadebat 128. Sic igitur Chriſtus Jeſus Dominus noſter patiebatur, ut ſurgeret; ſurgebat, quia jam fuerat paſſus. Hoc ſcilicet docens, quia cum Deo quiſquis ſe conjunxerit, mori videri poteſt, non poteſt interire 129. Parum tamen videbatur ad ſupplicium inimicorum factum, ſi extincto inimico vitam homini dediſſet, & non adderet claritatem. Et ut Diabolo, & Angelis ejus pœna major accederet, cum triumpho hominem, qui carnem habebat iam non morituram, in Cœlum Angelis & poteſtatibus ſanctis monſtraturus invexit (*d*), Deo Patri liberatum hominem offerens munus 130. Mox pro ſe vicarium dimiſit Spiritum Sanctum (*e*), quem diſcipulis proximus paſſioni promiſerat (*f*), ut hominibus credentibus & auxilio eſſet, & ſanctificationi 131. Hic ordo eſt credulitatis noſtræ de Chriſto 132.

VII. Sed quia jam mentionem fecimus Spiritus Sancti, dicemus credendum eſſe in Spiritum Sanctum, per quem univerſa, quæ poſtmodum fierent, & inſpiraret, & ſanctificaret, ſuæ ſubſtantię (*g*)...... 133 Tamen.... *tres unum ſunt. Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus* 134. Deinde credendum, unum eſſe baptiſmum, quo homines purificati, & Dei filii facti in fide conſignentur; quo univerſa vel nativitatis, vel erroris veteris hominis delicta purgarentur; *in quo* (*h*) *non corporis deponuntur ſordes: ſed conſcientiæ puræ interrogatio eſt bona in Deum de reſurrectione Jeſu Chriſti* 135.

VIII. Poſt hæc ordo exigit credere reſurrectionem mortuorum in eadem carne 136. Conſtat enim, nec fas eſt aliud dicere, quod & ſapiens & præſcius ſit Deus, meliuſque elegerit ut ſapiens & præſcius, factum hominem æternum eſſe, quam non eſſe. Quod ſi melius putes non eſſe, in compendio habuerat, antequam feciſſet 137. Quod autem æternus ſit homo, qui ſit ex corpore & anima, Scripturæ plurimis locis docent nos: ſed pauca ad exemplum ponam. Salomon clamat dicens (*i*): *Deus condidit hominem ad immortalitatem* 138. Nec immerito in Geneſi prohibetur poſt peccatum homo ad arborem vitæ accedere, ne viveret in æternum (*k*) utique ut immortalis perſeveraret 139. Quis? niſi homo qui immortalis a Deo factus fuerat, & immortalitatem corpus non capiebat 140. Sed credo hoc movere lectorem, quod homo a vitæ ligno prohibebatur a Deo, ignorans & in hoc homini eſſe proviſum: jam enim erat in tranſgreſſione. Ante ergo hanc mortem, quæ a Deo pro remedio hominibus attributa eſt, & qua per ſeparationem corporis & animæ fit finis & evulſio peccati, ſi ad arborem vitæ acceſſiſſet; quia neceſſe fuerat communicatione vitæ fieri æternum, in immortali homine neceſſe erat perpetuum permanere peccatum 141. Ergo & hoc conſulte (*l*), & utiliter homini proviſum eſt, ut amputato interventu temporarię diſſolutionis vera factura Dei, excluſo malo excitetur in vitam 142. Ergo

 ſem-

(*a*) ***Regnavit a ligno Deus.*** (*b*) Joa. III. 14. &c. VIII. 28. &c. XII. 31, 32, 33, 34, &c.
(*c*) Codex habet *homini*. (*d*) Act. I. 9. Pſ. 46. 6. (*e*) Act. II. 1, &c. (*f*) Joan. XIV. 16, & 17.
(*g*) fortaſſe addendum *communicatione*. (*h*) 1. Petri 3. 21. (*i*) Sap. 2. 2. (*k*) Gen. 3. 22.
(*l*) fortaſſe *conſulto*.

Digitized by Google

ſemper homo 143. Sed cur morimur in hoc mundo? Superius comprehenſa eſt ratio: non interire hominem, ſed ſeparari 144: Nec aſsumere materias hominem, ex quibus corpus eſt fabricatum: ſed ad reſurrectionis diem judicium reſervari 145. Fas enim non eſt, ut aliquid deſit Deo judicanti, cum certum ſit Dei judicium poſt finem hujus ævi deſtinatum 146. Nam hoc quoque inſinuandum eſt: & expingi neceſſe eſt totum hominem: quoniam omnes aut in virtute invenientur eſſe, aut in crimine. Et hoc competit, ut remunerentur qui bene geſſerunt ſecundum voluntatem ejus, & mali æternis ſuppliciis deſtinentur. Unde nos appetamus præcepta legitima, & vitemus adverſa, ut obſequentes præmia conſequamur 147.

IX. Nunc ergo 148 de perſona tractemus. In perſona duo ſunt obtinenda: Pauper, & Dives. Et divitibus quidem hujus ſeculi (*a*) præcipiendum eſt, *non altum ſapere: nec ſperare in incerto divitiarum ſuarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis abundanter omnia ad fructum boni operis: divites eſſe, ſed in bonis factis communicatores eſſe: theſaurizare ſibi bonum in futurum: ut apprehendant, quam bona eſt vita*. Deinde ſcire debent non ideo acceptas eſſe, & habendas divitias, ut his ſolis beatitudinem ſe habere confidant, ut male utantur illis. Et ne deſpiciant pauperes, neve miniſterium malitiæ, aut inſtrumentum divitias libidinis computent, aut propter ſe ſibi traditas, aut ſe nunquam illas amiſſuros exiſtiment. Poſtremo ſciant, ſe diſpenſatores gratiæ Dei conſtitutos a Deo; ut & in diſtributione voluntas recta eorum, vel prava noſcatur 149: ut ſciant magis ſibi acceſſiſse per abundantiam, niſi ſapientes fuerint, tentamenta potiora. Diſcant erogare divitias. Sed ad comparationem immortalitatis diſtribuant facultates, ut ſint ſimiles Deo 150: Miſericordes: non profuſi ac perditores rei dominicæ judicentur. Et fidenter quidem hæc agant, & cum hilaritate. Ait enim Paulus Apoſtolus: (*b*) *hilarem datorem diligit Deus*. Non exiſtiment finiri poſſe, quod in uſus pauperum contemplatione præceptorum Dei 151 dependitur 152: Cum & ab ipſo acceptæ ſint, & neceſſariæ: & eas utiliter miniſtrare, & augere conſuerit. Unde enim temporalia deeſſe poſſunt, cum propter ipſa, ſi bene erogentur, æterna promiſſa ſint; & parata? Veritas loquitur, qui eſt Chriſtus, dicens (*c*), *Qui dimiſerit propter me domum, aut villam, aut parentes, aut reliqua: centuplum accipiet in iſto ſæculo; in futuro autem vitam æternam*. Et ſi hoc quidam tempori perſecutionis aſcribunt, ego tamen ſic audio Dominum noſtrum monentem, quod propter ſe quolibet tempore ad quodcumque opus ſanctum fuerit præceptum ejus impletum, non defuturum præmium deſtinatum. Non ſimus ſolliciti. Curam gerit pro nobis Deus. Clamat Propheta dicens: *Et pauperem, & divitem ego feci*. (*d*) *Et pro omnibus æqualis cura eſt mihi*. Curam gerit Deus: & quiſquam metuit, ne minuatur patrimonium? Unde Deo jubente erogatur. Timeamus magis, ne, ſi trepidi, & ſteriles, & infideles fuerimus in bonis operibus, egeni atque inopes judicemur. Timeamus potius impleri triſtitia, quia & de hujuſmodi divitibus in Euangelio in unius licet perſona, ad complexum tamen retulit dicens (*e*): *Abiit autem, cum audiſſet, contriſtatus: quia fuit habens poſſeſſiones multas.* Non timeat, *ne difficile ingrediatur regna cælorum* (*f*) 153. Sit immo humilis: ſit largus, ut beatior ex hoc judicetur: ſi nec in iſto ſęculo, nec in futuro ſentiat egeſtatem 154. Det pauperi, ut Deum fœneretur: Deum computet debitorem (*g*) 155. Sciat præpoſitam eſſe miſericordiam ſacrificiis 156. Gloriam conſecuturus & requiem, ſi de his di-

(*a*) 1. Timot. VI. 17. (*b*) II. Corint. 9. 7. (*c*) Matth. 19. 29. Marci 10. 29. (*d*) Prov. 22. 2, & expreſſius Sap. VI. 8. (*e*) Matth. 19. 22. (*f*) Ibid. verſ. 23, & 24. (*g*) Proverb. XIX. 17.

Digitized by Google

divitiis, in quibus alii & corrupti, & perditi judicantur; iſte fructus juſtitiæ ac miſericordiæ accipiat coronam. 157.

X. Pauper vero ita conſolandus eſt, ut ſciat in paupertate conſideranda magis ſibi bona. Et primo quidem quod a Deo ſit illi utiliter proviſum: præſcium Deum infirmitatem ejus conſideraſſe, & firmaſſe, quod divitiarum ſarcinam & ſolicitudinem ferre non poſſet. Deinde ſentiat, quantas tentationes, & quanta pericula tranſierit nomine paupertatis 158. Sed affluentia deeſt, quæ frequenter contraria eſt: ad animi tamen divitias quantocius ſine impedimento in paupertate tranſitur. Certe qualibus malis caruit, conſideret. Caret invidia, æmulatione, inſidiis, dolo, ſuperbia, contentione, & his quæ homini in hoc ſæculo divitiæ ſolent conflare; fluxu enim rerum, & ubertate copiarum animus ſolvitur, vigor mentis intringitur, virtus corporis enervatur. At in paupertate non laſciva convivia, non turpes potationes: omnia ſobria, omnia rigida, omnia humilia: non abjecta, quoniam conſcientia pura, & virtute ſunt plena. Non eſt abundans extraneis facultatibus: eſt juſtus. Non facile ad divitias animi, ideſt virtutes hujus mundi, dives accedit. Qui dicit enim (*a*), *difficilius divitem introire in regnum cælorum*, utique intelligit pauperem facilius. Ne ſe ob paupertatem alienum eſſe a cura Dei exiſtimet, Propheta teſtatur dicens (*b*): *Et pauperem, & divitem ego feci: & pro omnibus æqualis cura eſt mihi. Non eſt* (*c*) *enim Deus perſonarum acceptor* 159. Nec pro illo ſe curam gerere 160 profitetur tantum, qui ſæculi divitiis pollet, ſed pro omnibus, & pro pauperibus curam ſuſtinet: remuneraturus quem invenit aut in divitiis humilem, aut in paupertate patientem. Diſtributio veluti totius corporis humani, & miniſterium quæritur ſingulorum. Conſideret, hominis corpus *eſſe unum quidem corpus, ſed plurima membra* (*d*). *Nunquid omnia ſunt oculus, aut pes, aut reliqua membra?* Sed, ſicuti ait Paulus *doctor gentium in fide & veritate* (*e*): *Quæ inferiora ſunt membra, majorem his tribuimus honorem* (*f*). Et quemadmodum virtus ſingulorum membrorum in ſuo ordine atque officio demonſtratur, ita in totius generis humani corpore veluti membra Paupertas & Divitiæ collocantur; ut Pauperis patientia, & Divitis humanitas Dei examine comprobetur. Exultare debet pauper, & Deo gratias agere: quia multis patrimonii nexibus liberatus eſt. In die probationis non gravatur compedibus facultatum; facilius liber ſequitur diſcipulus Dominum nullis nexibus implicatus. Non deſit etiam ab ipſo, in quantum poteſt, miſericordia juſta in egenos (*g*), quia ſicut dives liberalitate, ita pauper juſtus efficitur de frugalitate, ſi inferioribus, & non habentibus erogarit. Non vereatur, ne ipſe deficiat, cum in uſu ſanctæ adminiſtrationis habeat promptiſſimam voluntatem: nihil deerit: per Prophetam Spiritus corroborat (*h*): *Non occidit Deus juſti animam fame*. Et Dominus in Euangelio (*i*): *Quærite primo regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis*. Non cupiat dives in hoc ſæculo fieri, ne mala plurima ſibi acquirat, dicente & monente glorioſo Paulo (*k*): *Habentes igitur victum, & veſtitum: his contenti ſimus. Qui autem volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & muſcipulam, & deſideria multa: quæ mergunt homines in perditionem* 161. Immo ſi vera fide, & propter ſalutem credere optavit, cæleſtes ſibi divitias cooptet, & comparet (*l*), quas unuſquiſque juſtitiæ, & miſericordiæ, & reliquis bonis actibus comparat, & aſſumit. Tempo-

(*a*) Matth. 19. 24. (*b*) Prov. 22. 2; & expreſſius Sap. vi. 8. (*c*) Actor. 10. 34; I. Petr. 17. (*d*) 1. Cor. 12. 14. (*e*) 1. Timot. 2. 7. (*f*) 1. Corin. 12. 23. (*g*) Tob. 4. 8. (*h*) Prov. x. 3. (*i*) Matth. 6. 33. (*k*) 1. Timoth. 6. 8. (*l*) fortaſſe reſpicit ad verſ. 6 cap. xxxxiii Iſai. *divitiæ ſalutis ſapientia & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus.*

poralibus æterna ſunt præponenda, caducis ſtabilia, ſollicitis ſecuriora, periculoſis libera, inhonorificis clariora. His monitis & Dives temperetur, & Pauper ſublevetur *162*.

XI. Nunc jam de ſexu loquamur. Sexus ille eſt maſculus, & femina; ideſt vir, & mulier. Et vir quidem poſt ea, quæ ſupra comprehendimus, ad inſtitutionem vitæ melioris etiam illud debet cum omnibus cuſtodire, ut (*a*) *Uxorem ſuam diligat, ſicut Chriſtus dilexit Eccleſiam:* ut omnia gerere uno animo (*b*) concordes rite poſſint (*c*): *Deum de omnibus deprecari, levantes manus puras ſine ira & diſceptatione*: ſed omnia fiant ad ædificationem Deificam. Deinde conjunctionis vinculum pudica, & communi caſtitate gerere; & tunc convenire, quando vel generationis eſt contemplatio, aut orationis non revocat tempus (*d*). Orationem autem illam computo, quæ omni ſacramentorum miniſterio, & communicatione celebratur *163*. Ceterum eſt deprecatio, & adoratio, exomologeſis, & interpellatio (*e*), & votum, quæ omnia ſua habent tempora *164*. *Virum igitur decet* (*f*) *intecto capite orare*: non comatum (*g*): Inceſſum eſſe ſimplicem, non jactatum, aut fucatum; ut non ſolum verbo credidiſſe, ſed & ceteris ſpeciem vitæ ſuæ præſtet. Viro enim omni competit ſacerdotare Deo (*h*). Et ita debet tam in catechiſmo (*i*), quam etiam in laica vita converſationem ſuam mundiſſimam exhibere, ut & ſi tempor: (*k*) munere atque officio Sacerdotali non fungitur, vitæ tamen ſimilitudine ſacerdotio coæquetur. At vero mulier *diſcat obſequi viro ſuo* (*l*), *etiam illum dominum vocans* (*m*): & quidem omnes viros revereatur; ſuo tamen ſerviat: *quoniam omnis mulieris caput vir* (*n*). Sciat & hæc caſte vivere cum viro ſuo (*o*): Quod & ille modis omnibus faciat: ita ut nullam aliam, præter uxorem, noverit (*p*). Noſſe enim debet tempora conventionis, & abſtinere a conjunctione, cum tempus eſt orationis *165*, vel cum mulier patitur, vel cum poſt partum intra tempora purgationis ſe eſſe cognoverit. Non enim ad impudicitiam matrimonium copulavit Deus, ſed ut generationi præberet obſequium. Diſcat filios educare pie (*q*), verecundam eſſe, non litigioſam, non vinolentam (*r*), non ſuperbam viro (*s*), tametſi patrimonio major videatur *166*: ſed & inceſſu pudicam, non fucata forma procedere (*t*): aut circumdatam auro, aut veſte precioſa: non ſtudere capillorum incriſpationibus. Sed ut decet fœminas Chriſtianas promittentes caſtitatem non tantum verbis, ſed per bonam converſationem (*u*). Sciat ſe tacere debere in Eccleſia; loqui enim illis non eſt congruum (*x*). Debere obſequi non tantum majoribus natu, & Sacerdotibus, verum etiam omnibus fratribus (*y*) *167*. Neque ſe ulli præponere viro contemplatione ſexus (*z*) *168*: quoniam & cum omnia legitime perfecerit, in virum conſummabitur perfectum (*aa*). Immo appetat virtutem conſecuturam gloriam, ſexus infirmitate non retardata, ſanctitate & virtute animi, & omni continentia & paſſione devota viris juſtiſſimis coæquetur.

XII. Jam ætatum ſermo habeatur in manibus *169*. Et primo quidem arbitror infantiam differendam in doctrina, quia vel qualitate temporis, vel ætatis,

(*a*) Epheſ. V. 25. (*b*) Codex m. s. habet: *ut omni generi unianimo.* (*c*) 1. Timoth. 2. 8. (*d*) 1. Cor. 7. 5. (*e*) 1. Timoth. 2. 1. (*f*) 1. Corin. XI. 4, et 7. (*g*) Ibidem verſ. 14. (*h*) 1. Timot. 2. 8. (*i*) ideſt in inſtructione. (*k*) ita legitur in m. s codice. (*l*) Eph. V. 22.
(*m*) 1. Petri 3. 6. (*n*) Eph. V. 24. (*o*) Tit. 2. 5. (*p*) 1. Corin. VII. 1, 5, etc.
(*q*) 1. Timo. 5. 10. *Si filios educavit.* (*r*) Tit. 1. 7. Coloſs. 3. 18. Eph. 5. 22; 1. Petr. 3. 1.
(*s*) Gen. III. 16. Et Tit. II. 3. 4. 5. *Subditas viris ſuis.* Et 1. Timo. 2. 12. *neque dominari in virum.* (*t*) 1. Timo. II. 9, et 10. Rurſus 1. Petr. 3. 3. (*u*) 1. Pet. 2. 12. Rurſus III. 1. 2. (*x*) 1. Timo. II. 11, et 12. Et 1. Corin. 14. 34. (*y*) 1. Petri 2. 13.
(*z*) 1. Petri 3. 7. (*aa*) Epheſ. IV. 13.

Digitized by Google

tatis, verbum doctoris non poteſt ſuſtinere 170. Et quibus omnibus ætatis defectu in malitiam, & innocentiam naturalem dari præcepta non poſſunt, in horum admonitionem parentes ſunt conſtringendi: quamquam accedente ætate Eccleſia non deerit, nec ceſſabit admonendo. Pueris autem illud inſinuandum primo, ut nullo audiendi deſint tempore, quia nec ſemel poſſunt omnia perdoceri. Deinde ut innocentiam ſimplicitati conjungant, ne pueritiam in malitiæ perſeveratione continuent. Cuſtodiendum, & obſervandum, ne in ceteris ætatibus corrumpantur 171. Naturali bonitati fidei quoque bonum, & deificum munus adjungant, ut ſemper boni, ſemper ſancti, ſemper innocentes, ſemper Dei opus, & non naturæ, traditione credulitatis perſeverent. Conſiderandum illis 172, ut caſti vel pudici permaneant, frequentius ad Eccleſiam venire debere, quia frequentius ſunt confirmandi 173; frequentius commonendi, quibus adhuc propter ætatem minus ſtabilem pugna diaboli futura ſit gravior 174. Obſervanda illis omnia cum timore, & ante omnia cavendum a fornicatione, quæ initium idolatriæ habet: & neceſſe eſt utrumque noverit, qui ſecutus fuerit alterum 175. Ergo quomodo credere intelligitur & deſiiſſe a gentibus, ſi ea quæ gentiles deſignant, recolit? Sane obſequentes ſint non ſolum parentibus (*a*), ſed & omnibus ætate majoribus (*b*), ſi tamen eorum monita, & oratio nihil legitimi afferet impedimenti. Deum ſe computent habere Patrem (*c*): illius ſperare debent hæreditatem (*d*), quæ non in temporalibus conſtat, ſed in æternis. Quin etiam ſi Deus illis utile eſſe præviderit, etiam temporalia præſtabit; maxime cum viderit unumquemque æterna ſectari: Filio ejus, Domino noſtro, dicente (*e*): *Primum quærite regnum Dei, & hæc omnia apponentur vobis.* Unde nulli dubium fore, his copiam neceſſariarum rerum in terris non defuturam, quibus cæleſtia præparantur (*f*). Ergo quia a Deo hæc ſperanda ſunt, nulli obſequendum: immo omnibus obſequendum, quia Deus vult: non quia ab ipſo temporarie ſperari debeat aliquid præmii: ſed quia Dei etiam in his legitima complere contendimus (*g*). Poſtremo gratulandum his, in primo exordio liberi arbitrii ſi ad Deum acceſſerint, omnem ætatem ſuam bono fidei comparantes: quod non conſummata ætate in errore, ut eſſent poſtmodum quod dolerent; ſed quod adhuc pueri, & innocentes, ad Dei non tantum veniam, quantum gratiam acceſſiſſent conſequendam.

XIII. Juvenes vero hoc ſunt admonendi modo, ut ſi uxores habent, doceantur caſte vivere cum uxoribus ſuis. Alienam ſciant ſceleratum eſſe contingere (*h*). In hoc dabit experimentum & documentum, renunciaſſe ſe vere vitæ præteritæ, ſi poſtquam crediderit, in melius vitæ ſit reformatio. Tunc enim deſinit eſſe gentilis, & eſſe initiat Chriſtianus, ſi univerſa legis caute cuſtodiens, caſtum ſe exhibeat & pudicum (*i*). Si vero uxores non habent, conſtringendi ſunt, ut aut habeant, aut omnino ſe contineant, ne putent ſibi eadem licere, quæ agebant antea (*k*). Renunciaſſe ſe debent ſcire Diabolo, non verbis, ſed factis. Admoneantur, & ſciant interdicta eſſe fornicationem, & adulterium. Nullam feminam licere contingere, excepta uxore, & ipſam deifice comparatam 176. Itaque aut illis ducenda eſt uxor (*l*); aut amplectenda continentia. Sane ne territi fidem differant, ſciant malum eſſe propter immunditiam non credere 177: deterius eſſe impudicos, poſtquam crediderint, inveniri. Conſiderandum Juvenibus, ut in omnibus

(*a*) Coloſs. 3. 20. (*b*) 1. Petri 5. 5. (*c*) Matth. 6. 9. (*d*) Ibid. & verſ. 10. Act. 20. 32. Rom. 8. 17. Coloſſ. 3. 24. (*e*) Matth. VI. 33. (*f*) ibid. & verſ. 34. (*g*) 1. Petri 2. 13. (*h*) 1. Corin. 7. 1. (*i*) 1. Corin. 7. (*k*) Coloſſ. 3. 5. Eph. 5. 3. (*l*) 1. Corint. VII. 9. *Qui ſe non continent, nubant.*

Digitized by Google

bus factis ætatem ſuam ſuperent, animo & virtute fortes: & apud interiorem hominem (*a*) juvenes; (*b*) inter ſenes Deo Judice collocentur 178. Gratulandum etiam quod non omni ætate conſummata, ſed in ipſo ætatum calore, & in ipſa adoleſcentia flagitiorum *auctori* Diabolo, & immundis factis renunciaverint: & renovati exhibeant ſe Deo puros in malitia (*c*): In tentationibus juvenes; in conſiliis, & cogitationibus ſenes graves 179. Et hos omnes monendos eſſe exiſtimo, ut omnibus propter Deum obſequantur (*d*): domum ſuam bene regere diſcant (*e*): ſi filios habent, pie tractent (*f*), & inſtruant rebus deificis: hæc enim ſigna ſunt fidei noſtræ, ſi non ſolum crediderimus, verum etiam aliis, quæ crediderimus, tradiderimus 180.

XIV. Milites Chriſti ſciant ſe in pace debere eſſe ſollicitos, & in perſecutione fortiſſimos. Ita nomen militiæ dediſſe, & donativa vel ſtipendia ſic ſperare vitæ ęternæ 181, ut præter quotidiana pacis certamina, quæ circa Diabolum, cui renunciavimus, gerimus, perſecutionis pugnam & prælia cogitemus 182. Non corporis ſupplicia metuenda; ſed conſideranda merita, vel promiſſa. Captivitas potius, & ſub hoſte ſervitus, & exilium cœleſtis Patrię, & Dei Judicium, etiam inſultatio inimici, & mors æterna, & æterna tormenta pertimeſcenda ſunt 183. Conſideremus, nos omnes eſſe mortales, & neceſſe eſſe nos mori. Quam glorioſum, & prædicandum, ſi quod neceſſe eſt pati, expugnatur in gloria. Aptandus omnis ſermo ad deſtructionem Idolatriæ, & martyrii coronam laudandam, ut omnifarie ad expugnandum hoſtem, & ejus jacula repellenda miles Chriſti munitus incedat 184. Is qui euangelizat, interrogetur quid agat. Si miles eſt, vel officialis, aut (*g*) Judex, ut moderetur. Ruſticus, ut non murmuret. Urbanus, ut non ſubdolus, & circumſpector ſit, & ne in rebus malis ſuum exerceat ingenium. Negotiator, ut non pejeret. Agricola, ut annonam non captet. Opifex, ut non illudat, aut fallat 185.

XV. Eſt autem fides, ut definit Apoſtolus Paulus (*g*), *Subſtantia rerum, quas ſperamus, & index rerum, quas non videmus*. Credere & fide quis debet, quod Deus ea quæ promiſit, potens eſt & implere, & ſpem ſuam in futurum transferre. Et tunc fide plena poterit ad ea, quæ promiſſa ſunt, facillime pervenire (*i*). Hæc nobis inviſibilia ante oculos ponit. Ad hanc ingreſſi, & Diaboli, & poteſtatum hujus mundi, & harum tenebrarum univerſa deſerimus, (*k*): Deo cum fiducia proximamus 186. Credere enim, & ſperare neceſſe eſt quæ Deus juſſit, cum quæ Diabolus inſeruerat, abnegamus 187.

XVI. Fidem ſpes ſequitur. Itaque de ipſa loquamur. Eſt igitur ſpes *expectatio rerum omnium futurarum, quas in fide habemus*: per quam ſalvamur, Paulo ſcribente Apoſtolo (*l*): *Spe enim ſalvati ſumus*. Spes autem, quæ videtur, non eſt ſpes. Quod autem videt, quis ſperat? Si autem quod non videmus, ſperamus, per patientiam expectamus. Hęc in ſe habet timorem: non illum dico, cujus oblivіſci, & quem foras debet mittere quiſquis in fide vivit; ſed qui unus de ſpiritibus, quibus repletur Jeſus, ſicut Iſaias teſtatur (*m*): *Exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet, & requieſcet ſuper eum ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit illum ſpiritus timoris Domini*: Illum ſpiritum, quem David canit dicens (*n*): *Timete Dominum Juſti ejus*. Unde & beati efficiuntur, eodem proteſtante, & dicente (*o*): *Beatus vir qui timet Dominum*. Illum timorem dicit, qui caſtus eſt, & pudicus. *Quoniam timor*

(*a*) II. Corin. IV. 16. (*b*) I. Corin. XIV. 20. (*c*) Ibidem (*d*) I. Petr. 2. 13. (*e*) I. Timo. 5. 4. (*f*) Ibid. verſ. 10. Tit. 2. 4. (*g*) Codex m. s. habet, *an*. (*h*) Hebr. XI. 1.
(*i*) Heb. XI. 1. (*k*) Eph. VI. 11. &c. (*l*) Rom. 8. 24. (*m*) Iſa. XI. 1. (*n*) Pſal. 33. 10. (*o*) Pſal. CXI. 1.

Digitized by Google

timor Domini caſtus, inquit David (*a*), *permanet in ſeculum ſeculi*. Ergo duplex eſt etiam timor, & unus appetendus, & alius fugiendus. Eſt igitur timor appetendus admonitio, & cuſtodia rerum omnium, quas credimus, aut ſperamus: timeamus enim Judicium, quia ſperamus; & metuamus Dominum, quia fortem illum Judicem credimus.

XVII. Sed quoniam caſtus eſt timor Dei, & eſt caſtitas ſpecies continentiæ; de continentia, & ejus virtutibus nunc tractandum eſt. Eſt autem continentia *appetendarum omnium rerum malarum refrenatio*. *Malarum* ideo addidi, ne Judices putent, diffinitionem iſtam communem eſſe in rebus bonis, & malis. Nam qui ſe a bonis retinet, non bene eſt continens; ſed a malis, recte. Sed in omnibus ſane præceptis duplex conſideratio, & doctrina eſſe debet. Et hoc retinendum, & obſervandum in ceteris arbitror, ut, cum unam partem tractaveris, contrariam noveris: & ita rerum ipſarum inſtitutio exigit, ut, cum alteram partem tenueris, alteram neceſſe eſt deſeras 188. Malorum ſane ſubſtantiam ab initio nullam eſſe comperimus; quippe inobedientia.... *juxta bonum malum eſt* (*b*). Et quæ ſi nuſquam comparentur ſibi: boni tutela ſervatur 189.

XVIII. Continentia igitur docenda eſt, & tenenda in malis rebus. In bonis aviditas exigenda eſt. David pronunciat, & docet dicens (*c*): *Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupiet nimis*. Item continentem debere eſſe in malis, & appetentem bonorum, in alio præmonet pſalmo, ſic dicens (*d*): *Contine linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur inſidioſa. Evita a malo, & fac bonum; quære pacem, & conſequeris eam* 190.

XIX. Placet etiam de continentibus conferre 191: multos enim video juxta conjunctionem conjugalem continentes tantummodo 192, & in reliquis continentiæ partibus omnibus, gentilibus eſſe deterrimos. Si enim conſideres, quam plurimi illorum & iracundi ſunt, & ebrioſi, & procaces, & ſuperbi, & ex forma veluti continentiæ magis inflati, percuſſores, maledici, cupidi, tumidi, multum ſibi placentes, ut magis judices, illam ipſam, quam ſe proferunt habere 193 continentiam, fomitem & flammam, & materiam magis *criminum* ſubminiſtraſſe 194. Cum utique hæc præſecanda ſint, in quibus quotidie reprehendimur, & tunc magis in aliis omnibus vitiis virtus continentiæ retinenda: & ad conſummationem non conjunctio reſpuenda, ſed pudicitia præponenda eſt. Nam cum Apoſtolus Paulus Eccleſias commoneret, non uniformem mandavit continentiam, ſed in quibus appetenda, & invenienda ſit, ſic monuit dicens. *Ut ſit*, inquit (*e*), *ſancta corpore, & ſpiritu:* definiens non eſſe continentem, qui non utraque parte continentiſſimus comprobatus ſit 195. Multos vel plurimos ſic flagrare cupiditate..... ſicuti exitus docet, ut univerſa genera pœnarum perpeti velint, vel quamlibet Eccleſiæ ſententiam ſuſtinere, quam a familiari converſatione diſcedere: neſcientes Deum præſcium dixiſſe de talibus (*f*): *Quicunque reſpexerit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo*. Non poſſunt hujuſmodi excuſare culpam ſuam, quod non ad concupiſcentiam oculos ſuos porrexerint, quando & ſimul, & ſub uno cubant tecto, aut in uno dormiunt lecto: Unde & reprehenſi, ſpiritualiter hoc agere profitentur, adjicientes extraneis nomina affectuum, vel pietatis. Sane quoniam & Diaboli ſubſtantiam accipimus ſpiritualem, debet addi: ſed *nequitiæ & malitiæ ſpiritualis* (*g*) a Deo propter ſcandalum Eccleſiæ, & ruinam 196: cum a ſe nec perſuaſione, nec interdictu majorum natu, nec metu præ-

(*a*) Pſal. 18. 10. (*b*) Eccleſiaſtic. XXXIII. 15. (*c*) Pſal. CXI. 1. (*d*) Pſal. XXXIII. v. 14.
(*e*) I. Corin. 7. 34. (*f*) Matth. V. 28. (*g*) Epheſ. VI. 12.

ſentis ſententiæ, vel futuri Judicii inde velli poſſint: cum frequentius etiam quos legitimæ copulavere nuptiæ, leve jurgium ſeparet 197. Quid hoc mali eſt? quid mali individua caritas, ut ab alienæ conſanguinitatis affectu ſeparari non poſſint? Turpe eſt dicere, quod illos non pudet facere. Certe vel ab oſculo immunes non ſunt, quod eſt pignus, & arra ſerpentis 198. Sane cum increpaveris, mox hæc proferunt verba: poſſe integritatem ſui corporis comprobari; cum ab ipſis prius mentis requiratur integritas, quamquam nec in corpore omnino examinari poſſint. Non enim conſcientiæ latebras hominibus ſcire, aut nudare permiſſum eſt, dicente Scriptura: (*a*) *Homo videt in facie. Deus autem in corde. Deus ſolus intima & ſecreta conſpicit.* Sed manifeſta eſt vox Domini monentis (*b*): *A fructibus eorum cognoſcetis eos.* Si conſideretis, qualis eorum aſpectus; quam turbata fronte, quam inverecunda reſpiciunt; quantum audaciæ in vultu, quantum conſtantię gerunt, impudicus in quibuſdam cultus, & affectatus inceſſus profeſſione jactantiæ 199. Et ad hoc hujuſmodi profeſſionis veluti devotio procedit, ut propter nomen, quod ſolum portant, virginitatis, appetibiles fiant. Inde eſt, quod ſe indicant, cum ſe celare debuerant, Deo exhibentes tantummodo obſequium ſuum, a quo remunerationem pudicitia ſperat 200. Ideo ingreſſæ limina Domus Dei ad Orationes intecto capite initiantur, interpretantes Apoſtolum (cohibentibus corruptoribus ſuis) de mulieribus maritatis, non de virginibus ſtatuiſſe: neſcientes quod ubique maſculos cujuslibet ætatis *Viros* nominat; omnes feminas *Mulieris* appellatione deſignat. Scio me exceſſum feciſſe a propoſito tractatu continentiæ; ſed neceſſarie: ut deinceps omnes homines cujuslibet ſexus plena continentia docti ſciant, & quibus ſe abſtineant; & quæ debeant cuſtodire: aut ſi in una ſpecie, quolibet genere continentiæ fuerit obſervator, nec ad alias velit monitus accedere, non ſe jactet in numero eſſe continentium: ne & ipſam partem, in qua ſibi plaudebat, obſtinatione videatur amittere. Ergo qui ad continentiam docetur, & vult accedere, non in corpore, aut in una parte corporis tantummodo debet continentiam quærere, ſed in toto animi motu, continentiæ debet obſervationes agnoſcere. Nam qui iracundiam retinet, is magis eſt continens, quam qui linguam a convitio, a maledicto, a detractione, a mendacio, a perjurio, & a ceteris linguæ malis affectibus ſubtrahit. Qui ipſum denique cogitatum a tota nequitia compeſcit, & omni denegat iniquitati, is plenus eſt continens, & illum non cum hominibus comparo, ſed cum Angelis ſanctis ſimillimum recognoſco.

XX. Nunc jam nobis de Patientia, & de ejus omnibus bonis loquendum eſt 201. Eſt igitur *Patientia omnium injuriarum, & paſſionum tolerantia, & expectationum omnium ſine præcipitatione ſufferentia.* Quam ſi quis intellexerit, & habuerit, contraria vitæ gravia bajulat; bona omnia continet 202. Sororem habet ſpem 203. Quamquam ſuperius comprehendi, affines eſſe ſibi res bonas omnes. Patitur enim libenter, quia ſperat, & ſperanda tolerat: impatienter enim fertur, quod non ſperatur: & 204 quando nihil ſperatur 205. Omni autem virtute patientia perfert, quod ſpe pereunte dignoſcitur. At ſi ſpem fructus patientię ſubſequatur, hæc matre gaudet fide, gubernaculum habet Dei, continentia genus propinquitatem. Inde juſti, dum omnia patienter operantur (*c*), glorioſi Dei teſtes efficiuntur, dum fide pleni, dum Dei timore ſolliciti, dum continentiæ diſcipuli, dum filii ſpei duce ſapientia reperiuntur. Deinde cohæredes Chriſti, dum illum uſque ad mortem (*d*) pa-

(*a*) 1. Reg. 16. 7. (*b*) Matth. 7. 20. (*c*) Rom. V. 3, & 4. (*d*) *Si tamen compatimur &c. ſequamur veſtigia ejus.*

Digitized by Google

patientiæ virtutibus (*a*) imitantur 206.

XXI. Sed jam de Juſtitia diſſeramus. Eſt igitur *Juſtitia ſingularum rerum, & perſonarum æquiſſima diſtributio*: quam ſi quis obtinens, & cui quis adhærens, vitam ſuam recte diſpoſitam, & ſine conturbatione conſervat; cuſtodit in omnibus æquitatem; ſcit, quid Deo debeat; quid ſanctis, & coæqualibus reddat; quid non deneget poteſtatibus hujus ſæculi; quid ſibi retineat; quid proximo competat; quid alienis concedat, aut congruat. Juſtum enim eſt Deum colere, & diligere ex toto corde, & ex tota anima, & ex tota virtute: ſanctos; & coæquales honorare: tributa pendere poteſtatibus (*b*): ſuperbum non eſſe, ſed magis mitem, & humilem (*c*): proximos tanquam ſe diligere (*d*): alienos, & inimicos non perſequi odio, ſed amare: ſubjectum eſſe prioribus, vel ætate majoribus (*e*). Quia & Dominus cum eſſet omnium dominus, a Johanne, quia prior ab illo in nativitate hominum erat, baptizatur (*f*), & ſic *implere omnem juſtitiam* proteſtatur (*g*). Ex hac miſericordia naſcitur, obſequium deificum generatur. In his omnibus quiſquis invenitur, non immerito *in Chriſto dicitur permanere* (*h*): quoniam hæc omnia ipſe Chriſtus eſt. Paulus nos glorioſus 207 informat, & inſtruit de Chriſto dicens (*i*): *Qui eſt nobis a Deo juſtitia, & ſanctificatio, & redemptio.* Alio item loco (*k*): *Qui eſt miſericordia, pax, & dilectio* 208, quam Græci ἀγάπην vocant 209; ad quam nunc tranſitum faciamus, quia in omnibus major eſt inter ceteras: ſic fatetur beatus Apoſtolus (*l*): *Manent autem tria hæc, Fides, Spes, Dilectio* 210.

XXII. Eſt ergo *Dilectio vinculum animorum, caſta, & ſincera, & ſine æmulatione: Caritas eſt conſummatio omnium mandatorum*. Hæc vis omnium præceptorum, quam quis cum habuerit, *omnia habet* 211; ſine hac, malus remanet, & imperfectus. Et ut cognoſcat veſtra prudentia, quantum caritas valeat, legamus reſponſum Domini in Euangelio dicentis: cum interrogaretur, ſic ait (*m*): *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute tua; & diliges proximum tibi tamquam te. In his duobus præceptis tota lex pendet, & Prophetæ.* Vides in hac ſola univerſa legis capita pendere 212. Vere quiſquis hanc habet, jam Deus, & Dei filius dici poteſt 213. Ex hac ſola Deo te ſimilem eſſe conſidera 214. Qui Deum diligit, numquid ſperat? numquid timet? numquid fidit? Non: ſed tantum diligit 215. *Deus*, inquit Paulus (*n*), *cum dilexiſſet mundum, miſit unicum filium ſuum in ſimilitudine carnis peccati: ut de peccato condemnaret peccatum in carne*. Inde & Paulus præponit illam omnibus bonis rebus, dicens (*o*): *Et ſi locutus fuero linguis hominum, & Angelorum, caritatem autem non habeam, nihil ſum: ac ſicut æramentum tinniens, aut cymbalum concrepans. Et ſi habuero Prophetiam, & cognovero omnia myſteria, & omnem ſcientiam; & ſi habuero fidem, ita ut montes transferam; & ſi diſtribuero omnia mea in cibos pauperum; & ſi tradidero corpus meum ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil ſum. Caritas magnanima eſt. Caritas benigna eſt. Caritas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non irritatur, non confunditur, non quærit quæ ſua ſunt, non cogitat malum, non gaudet ſuper injuſtitiam: gaudet autem veritate. Omnia ſubſtinet, omnia credit, omnia ſperat. Caritas nunquam excidit* 216. Ergo qui hanc veluti ſpeciem voluerit invenire, totæ illi Scripturæ ſunt referandæ: omnis aperienda lex: omnes Pro-

(*a*) fortaſſe *certaminibus*. (*b*) Rom. 13. 7. (*c*) 1. Petri cap. 2. verſ. 13, & 14.
(*d*) 11. Timoth. 3. 2. (*e*) 1. Petri V. 5. (*f*) Luc. 7. 28.
(*g*) Matth. 3. 15. (*h*) Epiſt. 1. Joan. 2. 6. (*i*) 1. Corinth. 1. 30. (*k*) Judæ 2.
(*l*) 1. Corin. XIII. 13. (*m*) Matth. XXII. 37. (*n*) Rom. 8. 3. (*o*) 1. Corin. 13. 1.

Digitized by Google

phetæ inſinuandi: omnes virtutes Chriſti, actus, mandata inſinuanda, Apoſtolorumque doctrina aperienda penitus, & docenda. Et quamvis omnes, quas ſupra tractavimus ſpecies, ad plenum tractatum hominibus incomprehenſibiles ſint; multo magis ea, in qua omnes conſummantur, & pendent: maxime cum Johannes Euangeliſta interdixerit nobis in Epiſtola ſua diſputare, cum illam & Dei filium, & Dei Patrem docet eſſe, ſic dicens (a): *Deus dilectio eſt*. Si poteſt quis de toto dicere Deo, poteſt & de dilectione, quæ Deus eſt. Ergo ſi ſacrilegium eſt de Deo tantum, quantum non licet, diſputare, tacere religioſum 217; & alienum.... de dilectione ſentiendum. Tanta enim de ipſa, quanta de Deo; quoniam *Deus dilectio eſt*... 218. Unuſquiſque igitur ſe cognoſcat; quia ſi quis habet in ſe dilectionem, habitaculum eſt Dei, quia Deus, *qui dilectio eſt*, *manet in illo* 219. Decet jam finem ſpecierum, in dilectionis plenitudine, & omnium rerum bonarum conſummare, maxime cum omnia ſint retractata 220: aut ſi quid prætermiſſum eſt, in mundi plenitudine videatur eſſe concluſum. Veniam ante omnes (b) a tuo populo ſinceriſſima ſanctitate orans, ut tua ſanctitas, cui peritior via a Deo, & ſanctior comprobata eſt, in omnibus, in quibus mediocritas mea vel prætermiſit, vel inventa plenius explanare non potuit, correcta reformare, & ſupplere dignetur: aut ſi probaveris, ut eſt a nobis opuſculum cœptum te petente, & Deo adjuvante perfectum, non habere quod deſit, in orationibus tam tuis ſanctis, quam omnium fratrum memoriam mei habeas: Et ſciant æmuli fidei meæ, præſtitam rationem, & convenire cum Eccleſia recognoſcant 221, & magis myſterium ſumant, ut non ſolum gratulemur nos credidiſſe, verum etiam aliquantulum inimicis, & credentibus profuiſſe 222.

F I N I S.

IN

(a) Epiſt. I. cap. 4. verſ. 8. (b) fortaſſe *ante omnia*.

Digitized by Google

IN SUPERIOREM HILARII EPISTOLAM

ANNOTATIONES.

1 Diu dubitavi, num aliquid præter nomen Epiſcopi, ad quem miſſa epiſtola eſt, hic deeſſet. Sed nihil vetat, ne integram facias: poteſt quippe ſatis apte hujusmodi initium habere hoc genus epiſtolarum.

2 Tametſi in malam partem Latini veteres vocabulum hoc *glorioſus* ſæpius acceperint (*a*), ab Eccleſiaſticis tamen Scriptoribus fere ſumitur pro excellenti, & egregio. In vetuſtiſſimo ipſo Romanæ Miſſæ canone *glorioſa Aſcenſio dicitur*. In eo etiam libro Sacramentorum, quem Leoni tribuit Clariſs. Joſephus Blanchinus (*b*), hæc invenio. *Vere dignum. Quia tu es glorioſus in Sanctis tuis = Quia tu es glorioſus in omnibus Sanctis tuis* (*c*). Et deinceps (*d*): *Grata tibi munera noſtra ſint, Domine, quæ tuis ſunt inſtituta præceptis, & Sanctorum feſtivitas glorioſa commendat. Per &c.* Rurſus (*e*): *Exercentes Domine glorioſa commercia &c.* Et paucis interjectis (*f*): *Vere dignum. Qui nos Sanctorum martyrum tribuis glorioſas indeſinenter celebrare victorias. Glorioſa confeſſio; Glorioſa reſurrectio; Deus glorioſus auctor ſolemnitatis* deinceps dicitur (*g*), & expreſſiſſime *glorioſus præcurſor unigeniti* (*h*). In illo quoque Sacramentorum codice, quem Optimus Cardinalis Thomaſius edidit (*i*), *glorioſa* Martyrum *paſſio* appellatur: hæc quoque Oratio in Natali S. Felicis dicenda præcipitur. *Da quæſumus omnipotens Deus, ut qui Beatus Felix donis tuis extitit glorioſus &c. Glorioſa* quoque in eodem codice compluries dicitur Virgo Maria (*k*). Adeo vero ſubſequentibus temporibus in pretio epitheton hoc fuit, ut viris dignitate, & nobilitate præſtantiſſimis veluti argumentum quoddam, & nota ſummi honoris tribueretur. Conſule, obſecro, quæ docet hac de re Du cange (*l*).

3 Ob librarii indiligentiam (niſi plane fallor) deeſt numerus, quem Pſalmus ille in Pſalmorum ſerie obtinet. Sane veteres doctores noſtri pſalmos allegare ſoliti erant, aut deſignato vel per numerum, quem in ſerie habet, pſalmo, vel per verba, quibus idem pſalmus incipit: aut generatim ad hunc modum: *in pſalmis*, ſeu potius in *libro pſalmorum*.

4. Multum dubitavi, num verba hæc: *ideſt Gentiles*, gloſſema forent vocis *Græcos*, quod a margine deductum fuerit in epiſtolam ipſam. Cum tamen viderim crebro deinceps adhibitam vocem *Gentiles*, eam reliqui; arbitratus Hilarium ſubſtituta voce *Gentiles*, eos denotaſſe, quos alii *Græcos* appellabant, vetuſtæ ſcilicet *Græcorum* ſuperſtitioni adhuc addictos (*m*). Hinc Theodoretus eas, quos ad vindicandam chriſtianam Religionem orationes edidit, *de curandis Græcorum affectionibus* inſcripſit. Vide quæ ad vocem *Gentiles* adnotavit Du-cange. Emendavi vocem *diſſeramus*, quæ in codice habetur, illique ſubſtitui alteram *ediſ-*

(*a*) Celebris eſt Plauti Comœdia *Miles glorioſus* inſcripta. Plinius quoque epiſtola nona libri tertii: *Miſerat*, inquit, *etiam epiſtolas Romam ad aniculam quandam jactantes, & glorioſas his verbis: Io, io &c.* (*b*) tom. IV. Anaſt. Biblio. editionis Romanæ an. 1735. pag. XII, & ſequen. (*c*) pag. XIII, & XIV, &. XV; *quoniam tu es glorioſus in Sanctis*. (*d*) Ibidem, ideſt pag. XIV. (*e*) Ibidem. (*f*) pag. XV. (*g*) pag. XVI, & XVII. (*h*) pag. XX. (*i*) lib. II. pag. 142 vete. edit. (*k*) Vide preces in miſſa Annunciationis dicendas, pag. 148, & 149. (*l*) in Lexico ad vocem *Gloria = Gloria titulus honorarius &c.*

(*m*) Act. IX. 29; XI. 20. XIV. 6; XVIII. 4, Rom. I. 16; 1. Corin. I. 22, & 24. Gala. III. 28.

Digitized by Google

ediſſeramus, id expoſcente ſyntaxi.

5 Norunt omnes, quam pertinaciter obſtiterint Judæi ad fidem converſi, quó minus ad eam Gentiles admitterentur (*a*). Paulus in epiſtola ad Romanos in id potiſſimum intendit, ut non minus Judæos, quam Gentiles ad Chriſtianam religionem vocatos doceat. Hoc itaque ut fateantur Judæi, antequam baptiſmum ſuſciperent, Hilarius expoſcit. De Baptiſmo in *Chriſti nomine* collato omnes fere Theologi agunt: atque in primis clariſſ. Joannes Joſeph Orſi, ad quem Lectorem amando.

6 Ut Gentiles ad fidem adducantur, *verus*, & *major labor eſt*, tum quia Scripturas non habent, quibus verus Deus traditur, novaque lex, & Chriſtus promittitur; tum etiam quia majoribus inquinati plerumque ſunt vitiis, quæ deſcribit Paulus Apoſtolus (*b*).

7 Ordinem in edocendis Catechumenis, antequam ad baptiſmum admitterentur, conſtanter ſervavit Eccleſia, ab unitate, & omnipotentia Dei exordiens, ut eos inſtrueret, atque ad Idolorum vanitate averteret. Conſule antiquas Catechumenos edocendi formulas.

8 Quod hic paucis Hilarius, copioſe, ac ſæpe exſequitur Paulus, iis præſertim verbis (*c*): *Hoc igitur dico*, & *teſtificor in Domino*, *ut jam non ambuletis ut gentes ambulant* &c.

9 Quod hic Hilarius tradit his verbis: *hoc eſt*, *unum Deum credere*, *ipſum timere*, tradiderat jam Apoſtolus Paulus hæc ad Hebræos ſcribens (*d*): *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo: credere enim oportet accedentem ad Deum*, *quia eſt*, & *inquirentibus ſe remunerator ſit*. Quod ſi inquirentibus ſe remunerator eſt, an non ultor in eos erit, *qui cum cognoviſſent Deum*, *non ſicut Deum glorificaverunt*, *aut gratias egerunt*, *ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis* (*e*)? *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem*, & *injuſtitiam hominum eorum*, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent* (*f*). Quis porro hæc de Deo credat, illumque non timeat? Conſule obſecro, quæ hoc ſuper argumento tradit Irenæus (*g*).

10 Deum cunctorum conditorem propoſitum fuiſſe ad credendum Catechumenis, antequam ad baptiſmum admitterentur, vetuſtæ omnes Symboli formulæ apertiſſime docent. *Apoſtolicum* quod dicimus *Symbolum* ſic incipit: *Credo in unum Deum*, *patrem omnipotentem*, *factorem cæli*, *et terræ* (*b*), Seu, ut vertit Rufinus (*i*): *Credo in Deo patre omnipotente* &c. Idem etiam tradunt *Conſtitutiones*, quas *Apoſtolicas* appellamus (*k*). Id ipſum inculcat Nicęni Concilii formula his verbis in latinum ab Hilario translatis (*l*): *Credimus in unum Deum patrem omnipotentem*, *omnium viſibilium*, & *inviſibilium factorem*. Irenęus (*m*): *Eccleſia* (inquit) *accepit eam fidem*, *quę eſt in unum Deum Patrem omnipotentem*, *qui fecit cælum*, & *terram*, & *mare*, & *omnia quæ in eis ſunt*. Atque idem deinceps inculcat (*n*). Hinc Tertullianus (*o*): *Stabat igitur fides ſemper in Creatore*, & *Chriſto ejus* &c. Error caſu irrepſit in typos: legendum eſt enim: *quæ vel facta ſunt*, *vel ipſo jubente*, *et volente*, *et faciente conſtiterint*: Sic enim habet Codex. Porro particulam *vel* (*quæ vel facta ſunt*, *etc.*) aut hic accipe, ut in vetuſtis Eccleſiaſticis libris ſæpiſſime accipitur, ideſt pro &, ſeu *ac*; adeo ut non ſit particula disjungens, ſed conjungens: id eſt, *et quæ facta ſunt*, & *ipſo jubente*, *et*

(*a*) Act. XIII. 45. *Videntes autem turbas Judæi, repleti ſunt zelo &c.* & verſ. 50. *Judæi autem concitaverunt mulieres religioſas &c.* (*b*) in epiſtola 1. ad Corin. VI. 10; I. ad Timo. 1. 9, & 10; Tit. III. 3. (*c*) Ephe. 4. 17. (*d*) Heb. XI. 6. (*e*) Rom. 1. 21. (*f*) Rom. 1. 18. (*g*) lib. 1 cap. olim XI, nunc X, pag. 48 Tomi 1 editio. Veneiæ 1734. (*b*) Vide *Codicem Sacramen. Roma. Eccle.* editum a Card. Thomaſio, lib. 1. pag. 56. (*i*) Commen. in Symbo. Apoſto. n. 3, pag. 55 Tomi 1 edi. Veron. anni 1745. (*k*) lib. 7. cap. 41. (*l*) *de Synodis*, ſeu *de fide Orientalium* n. 83. pag. 510. to. II. editio. Veron. (*m*) lib. 1. contra Hæreſes cap. X. n. 1. (*n*) lib. II. cap. 1. n. 2, & ſeq. (*o*) lib. 1. *Adverſus Marcionem* cap. XXI.

Digitized by Google

te, *et volente*, *et faciente conſtiterint:* Vel ad eum modum accipe, quo accepit Auguſtinus, cum hæc ſcripſit (*a*): *Diviſiſſe Deum inter lucem, & tenebras, eo ipſo quo lux facta eſt, oportet accipi, quod aliud eſt lux, aliud illæ privationes lucis, quas in contrariis tenebris ordinavit Deus. Non enim Deum feciſſe tenebras dictum eſt: quoniam ſpecies ipſas Deus fecit, non privationes, quæ ad nihilum pertinent... quas tamen ab eo ordinatas intelligimus, cum dicitur:* Et diviſit Deus inter lucem, & tenebras, *ne vel ipſæ privationes non haberent ordinem ſuum... Sicut in cantando interpoſitiones ſilentiorum certis moderatiſque intervallis, quamvis vocum privationes ſint, bene tamen ordinantur ab iis qui cantare ſciunt, & ſuavitati univerſæ cantilenæ aliquid conferunt. Et umbræ in picturis eminentiora quæque diſtinguunt, ac, non ſpecie, ſed ordine, placent. Nam & vitiorum noſtrorum non eſt auctor Deus; ſed tamen ordinator eſt, cum eo loco peccatores conſtituit, & ea perpeti cogit quæ merentur.* Articulum hunc ſi explicatum cupis, conſule Irenæum (*b*), Cyrillum Hieroſolymitanum (*c*), Rufinum (*d*), Auguſtinum (*e*), & auctores, quibus ſermones debemus, qui eo ſuper argumento, præpoſito Auguſtini nomine, prodierunt (*f*).

11 Aliqui inſunt in Codice errores, quos amanuenſi tribuas oportet, leves ii tamen, & qui facile conjectura emendentur. Sed nolui ex ingenio lectionem immutare. Arbitror altero ex his modis emendari vitioſam lectionem poſſe. *Quod autē lex vocetur, atque prophetę quid hoc* noſse *indiget* (ideſt, neceſſe eſt), cum *per homines quidem ſcriptum ſit, ſed non ab hominibus?* Vel ad hunc modum: *Eſſe corpus Scripturę: quod lex vocetur, atque prophetę: quid hoc indicet: quod quidem etc.* Prior emendatio haud contemnenda eſt. Altera quoque valde probabilis eſt, plana illa quoque; nam hunc ſenſum verba illa habent: Docendi gentiles ſunt, quum ad baptiſmum recipi petunt, eſſe Scripturas in unum corpus collectas: quod quidem corpus duas partes continet, quarum una *lex* vocatur (etenim ſæpe ſubiunctivo pro indicativo utitur Hilarius), *prophetæ* altera. Noſſe autem oportet eum, qui baptizatur, quid *legis*, quid vero *prophetarum* vocabulis indicetur. Celebratiſſima porro diviſio eſt Scripturæ totius veteris teſtamenti in *legem*, ſeu Moyſen totam legem quinque libris a ſe conſcriptis comprehendentem, & prophetas. Porro ſub altero horum membrorum libri hiſtorici comprehenduntur; ac præſertim ſub *prophetarum* titulo: vel quatenus tam multa prædicuntur in ipſis hiſtoriarum libris, ut propterea dici commode poſſint *prophetici* hi quoque libri: vel quia prophetæ nomen hic latius accipitur, indicatque quemlibet Sacrum Scriptorem. Utcunque ſit: ea quæ ad fidem inſtruendam, moreſque dirigendos pertinent, in Moyſe haberi, & prophetis, ſubſequentia Euangelii dicta declarant (*g*). *Habent Moyſen, & prophetas: audiant illos.... Si Moyſen, & Prophetas non audiunt, neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit, credent.* Lucas quoque in eundem ſenſum locutum fuiſſe Chriſtum affirmat his verbis (*h*): *Et ipſe* (Chriſtus) *dixit ad eos: O ſtulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti ſunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam? Et incipiens a Moyſe, & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturis, quæ de ipſo erant.* Videtur quidem poſtea (*i*) pſalmos a prophetis ſejungere his verbis: *quæ ſcri-*

(*a*) de Gen. ad litte. lib. imperſ. 25, alias cap. v. (*b*) locis nuper allegatis; ideſt lib. 1. contra hæreſes cap. x. &c. (*c*) catech. ix. (*d*) Commen. in Symbo. n. 3. pag. 55. tom. 1 edi. Veron. an. 1745. (*e*) Tom. v. Serm. 213. alias 119 *de tempore*, ſerm. 214. 215. & Tom. vi. ſerm. *de Symbolo ad Catechu.* pag. 547. (*f*) Sunt porro ſermo 235, 236, 237, 238, 239, 240, & ſubſequentes tres in appendice ſermonum. Rurſus ſermones tres de Symbolo tom. vi. Oper. Auguſtini pag. 555. (*g*) Luc. 16. verſ. 29, & 31. (*h*) cap. 24. v. 25. (*i*) verſ. 44.

Digitized by Google

ſcripta ſunt in lege Moyſis, & prophetis, & pſalmis de me. At hæc eundem habere videntur ſenſum, quem habent alia ejuſdem Chriſti verba (*a*): *dicite diſcipulis, & Petro:* ideſt, præſertim Petro: in pſalmis enim frequentius, &, niſi fallimur, etiam apertius, quam in aliis quibuslibet ſacris libris, prædicitur Chriſtus, ejuſque geſta, paſſio, & reſurrectio (*b*). Ceterum pſalmos *legis* vocabulo comprehendi, manifeſto diſcimus ex Joannis Euangelio (*c*).

12 *Quid hoc indiget*. Recole ſuperiorem Annotationem.

13 *Quod quidem*. Subſtitue, *corpus Scripturæ*, de qua rurſus ſermonem habet. Dum porro illud appellat *per homines ſcriptum, non ab hominibus*, reſpicit procul dubio ad illa Pauli verba (*d*): *Omnis Scriptura divinitus inſpirata utilis eſt &c.* Quod expreſſius docet Petrus (*e*): *hoc primum* (inquiens) *intelligentes, quod omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt ſancti Dei homines*.

14 Innuit aut alterum ſubſequentium teſtimoniorum, aut potius utrumque. *Spiritus* (*f*) *Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia, ſcientiam habet vocis: propter hoc qui loquitur iniqua, non poteſt latere*. Et (*g*): *Ipſe ſpiritus, qui ſcrutatur corda, ſcit, quid deſideret ſpiritus*.

15 Recole quæ adnotatione XIII diximus. Adde hæc ex Hilario deſumpta, ex quibus perſpicue aſſequeris ſententiam eandem utrobique apparere (*h*). *Aut Moyſen prophetam, & ducem præficit, & latorem legis inſtituit; aut prophetas in omni tempore legis inſpirat*.

16 Quod hic tradit Hilarius, deſumptum videtur ex his Jeremiæ verbis (*i*): *Dixit Dominus ad me: Ecce dedi verba mea in ore tuo. Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes, & ſuper regna, ut evellas, & deſtruas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes.....* (*k*) *Ego quippe dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum, ſuper omnem terram, regibus Juda, principibus ejus, & Sacerdotibus, & populo terræ.* Et alibi (*l*): *Probationem dedi te in populo meo robuſtam: & ſcies, & probabis viam eorum, omnes principes declinantes, ambulantes fraudulenter, æs, & ferrum: univerſi corrupti ſunt*; & affinia alia in Prophetarum libris valde frequentia. Prophetis vero aliquando fuiſſe impoſitum, ut Domini promiſſa ac mandata exſequerentur, multis exemplis diſcimus. Unum hic innuam deſumtum ex cap. IX libri IV Regum; plurima ſcilicet, antea per Prophetas promiſſa, Prophetarum miniſterio executioni mandata conſpicimus. Locum hunc conſulat, obſecro, Lector.

17 Omnes, qui noſtræ fidei articulos exhibent, ſecundo loco iſtum proponunt: *Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum filium Dei* (Patris omnipotentis); veluti Irenæus, Symbolum Apoſtolicum, aliique. Ita porro articulum hunc accipiendum omnes monent, ut non adoptione, & gratia, uti nos filii Dei Patris ſumus, ſed natura ſit filius: quod rectiſſime in apoſtolico ſymbolo traditur, dum *unicus* dicitur (*m*). Cur enim unicus eſt, niſi quia unus *natura* filius eſt, cum nos adoptione & gratia (quod diximus) filii ſimus? Patres ejuſdem Symboli interpretes minime affero, cum eos quiſque facile conſulere per ſe poſſit. Unum hic Hilarium

(*a*) Marci 16. 7. (*b*) Act. II. 25. *David enim dicit &c.* Rurſus Act. IV. 11. *Hic eſt lapis &c.* (*c*) Jo. X. 34. *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra* (ideſt Pſal. 81. 6): *Ego dixi: dii eſtis &c.*
(*d*) II. ad Timo. 3. 16. (*e*) epiſt. II. cap. 1. verſ. 20, & 21. (*f*) Sap. 1. 7. (*g*) Rom. VIII. 26, & 27.
(*h*) In Pſalmum LII. n. 5. pag. 56 Tomi I. (*i*) cap. 1. verſ. 9. (*k*) Ibid. verſ. 18.
(*l*) Jerem. VI. 27. (*m*) *Et in Jeſum Chriſtum, filium ejus unicum, Dominum noſtrum.*

Digitized by Google

rium excito, a quo argumentum hoc pertractatur numero ſecundo libri V *de Trinitate* (*a*). Et num. 43 libri VI item *de Trinitate* (*b*) Rurſus n. 41, ideſt poſtremo libri VII pariter de Trinitate (*c*). Vehementiſſime autem id ipſum inculcat n. 36, & ſubſeqq. libri VI etiam de Trinitate. Hæc tantum ſeligo ex numero 41, quæ hic deſcribam: „ Scribendi igitur Euangelii non aliam prętulit cauſam, quam ut omnes crederent Jeſum eſſe Chriſtum filium Dei. „ Si ſufficit ad ſalutem, Chriſtum credere; cur adjecit filium Dei? Si vero Chriſtum credere ea demum fides „ eſt, non Chriſtum tantummodo, ſed „ Chriſtum filium Dei crediſiſſe; non „ eſt nomen filii in Chriſto unigenito Deo ex adoptionis conſuetudine, „ quod proprium eſt ad ſalutem. „ Temere ergo aſſertur Hilarius quaſi Elipando, & Felici Urgelitano ſavens.

18 Reſpicit procul dubio ad verſiculum III capitis I Euangelii Joannis. Porro uberrime hac de re, & ſæpe diſſerunt Patres. Tertullianus obſcure quidem, ut ſolet, & preſſe, ea tamen tradit, e quibus eundem ſenſum elicias. Conſule obſecro quæ docet ille capite XVIII libri adverſus Hermogenem: perſpicue autem cap. XIX libri V. adverſus Marcionem „ Si non eſt, inquit, Chriſtus „ primogenitus conditionis, ut Sermo Creatoris, per quem omnia facta ſunt, & „ ſine quo nihil factum eſt; ſi non in „ illo condita ſunt univerſa in cęlis, & „ in terris, viſibilia, & inviſibilia, ſive „ throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates; ſi non cuncta per illum, & in illo ſunt condita „ (hæc enim Marcioni diſplicere oportebat); non utique tam nude poſuiſſet Apoſtolus: Et ipſe eſt ante omnes. „ Quomodo enim ante omnes, ſi non „ ante omnia? „ Et alibi apertius (*d*): *λόγον Dei... eundem, qui verbo omnia faceret, & feciſſet*. Cyrillus Hieroſolymitanus in eandem ſententiam (*e*): *Vis vero addiſcere, quod cum Patre etiam ante inhumanationem eſt Chriſtus Dominus; ut non ſolum fide recipias id quod dicitur, verum etiam demonſtrationem habeas ex veteri Teſtamento? Accede ad primum librum, qui Geneſis eſt. Ait Deus*: Faciamus hominem *non ad imaginem meam; ſed*, ad imaginem noſtram. *Et poſtquam factus eſſet Adam, dicit: Et fecit Deus hominem: ad imaginem Dei fecit illum. Nec enim ad Patrem ſolum divinitatis dignitatem reſtrinxit, verum una etiam Filium comprehendit: ut declararetur hominem non ſolius Dei opus eſſe, ſed Domini quoque noſtri Jeſu Chriſti, qui & ipſe verus eſt Deus. Hic ipſe Dominus, qui cum Patre cooperatur, cooperatus eſt & circa Sodoma, juxta Scripturam ajentem: Et Dominus pluit ſuper Sodoma, & Gomorrha, ignem & ſulphur, a Domino de cælo*. Sed ceteris fortaſſe copioſius Hilarius numero 15, & ſubſequentibus libri II de *Trinitate*. Ea vero præſertim te conſulere lector optime cupio, quę tradit ille numero decimo nono. (*Apoſtolus enim docuit, &c.*) Ea quoque conſulere te opto, quæ docet in pſ. 91 (*f*). Rurſus quæ tradit num. tertio, & quarto tractatus in Pſ. 148 (*g*), & n. 44 libri IX de *Trinitate*: denique num. 43 lib. XII *de Trinitate*. Reſpicere porro videntur hi Patres non modo ad caput I Joannis, verum etiam ad verſiculum 6 pſalmi 32: *Verbo Domini cæli firmati ſunt*.

19 Nonnihil obſcuritatis habet hic locus, in quo etiam amanuenſem erraſſe puto; deſunt quippe (mea quidem ſententia) ea verba, quibus indicetur hæc tradita fuiſſe a Joanne; veluti iſta, aut affinia: *uti nos docet Joannes* = *quem ad modum ex Joanne Euangeliſta conſtat*. Tum vero Epi-

(*a*) Tom. II pag. 105. *Sed nos ſapientiam &c.* (*b*) pag. 166. *Et cum hic verus Dei filius &c.* (*c*) pag. 208. *Credi itaque &c.* (*d*) Apolog. cap. 21. (*e*) Catech. X. n. VI. interprete Clariſs. Antonio Auguſtino Toutee. (*f*) num. 3, & ſeqq. (*g*) pag. 645 tomi I.

Digitized by Google

ſtolæ hujus verba ſic explica. *Per quem* (Joannem ſcilicet Euangeliſtam) *accepimus, ſermonem, ideſt rationem univerſitatis, ſuiſſe apud Deum.* Joannes quippe hæc tradidit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Neque vero mireris me hic Sermonem pro Verbo Divino ſumere: quamvis enim, uti notat Petavius (*a*), ſecundam Trinitatis perſonam *Verbum* potius, quam *Sermonem* appellare voluerint Veteres, ii præſertim, qui Nicænum Concilium ſunt ſubſecuti; negari tamen minime poteſt eandem ipſam ſecundam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam *Sermonis* vocabulo fuiſſe ſignificatam, non ab iis tantum, qui Nicænum prævivere (*b*), verum etiam ab iis, qui illud ſunt ſubſecuti. Hoc modo Paulinus Nolanus (*c*):

> *Chriſte Deus Felicis ades, da nunc mihi verbum*
> *Sermo Deus, da perſpicuam Sapientia mentem.*

Ruſticus quoque (*d*): *Si ergo modis omnibus ſic Verbum ſempiternum eſt, ſicut Pater, impaſſibiliſque idem Dei Sermo, & invertibilis ſicut Pater.* Auguſtinus pariter (*e*): *Miſit Sermo Dei legem per ſervum ſuum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano.* Alibi vero (*f*): *Non liberaretur humanum genus, niſi Sermo Dei dignaretur eſſe humanus.*

Quin & Hieronymus primam Theophili Alexandrini Epiſcopi paſchalem epiſtolam in latinum vertens, ſic eundem Theophilum ſcribentem inducit (*g*): *Quod ſi regnat Sermo Dei, utique Deus eſt &c.* Atque ea quidem hujuſce vocis uſurpatio adeo nonnullis placuit, ut in latinam ipſam Sacræ Scripturæ interpretationem eam inducerent; quippe monente Auguſtino (*h*) in quibuſdam codicibus *Sermo* legebatur, ubi nunc *Verbum* legimus. Ille etiam Arnobius, qui *junior* dicitur, propterea quia poſt Leonis Magni tempora vixiſſe creditur (*i*), hæc habet (*k*): *Ergo Sermo Patris ex ore procedens virtute plenus facit omnes viſibiles creaturas.* Merito itaque non modo in Opuſculo, quod illuſtramus, verum etiam in aliis libris ſuis in eandem ſententiam vocem *Sermo* Hilarius adhibet: veluti libro II de Trinitate hæc elocutus (*l*): *Nunquid audieras in Deo, & non apud Deum, ut ſermonem reconditæ cogitationis acciperes? .... ſtatum Verbi, & nomen expecta; dicit namque:* Et Deus erat verbum (*m*). *Ceſſat ſonus vocis, & cogitationis eloquium. Verbum hoc res eſt, non ſonus: natura: non ſermo: Deus, non inanitas eſt* (*n*). Eadem alibi inculcat, in locis ſcilicet, quos ad paginæ calcem noto (*o*). Merito etiam Eccleſia ipſa eadem voce ad denotandum Verbum utitur. Etenim ſic divinum Patrem alloqui-

(*a*) lib. VI. *de Trinita.* cap. 1. n. 5. (*b*) Tertull. *contra Hermo.* cap. 20. Contra Praxeam cap. 15. Novatianus (ſi is auctor eſt libri *de Trinita.*) cap. 31. Cypria. lib. II. *teſtimo.* cap. 3. & de *Unit. Eccle.* Lactan. lib. 4 inſtitu. cap. 4. *λόγος enim & ſermonem ſignificat, & rationem quia ille & vox eſt, & ſapientia Dei*: & Capite 8. ubi hæc eloquitur: *merito ſermo, & verbum Dei dicitur.* Ruſſus cap. 9. *ſed melius Græci λόγον dicunt, quam nos verbum, ſive ſermonem.* (*c*) Natal. VI. S. Felicis verſ. 25. (*d*) in initio diſputationis contra Acephalos; Biblio. Pat. Pariſ. T. IV. pag. 798. (*e*) lib. 12. Contra Fauſtum cap. 35.
(*f*) Serm. 8 de *verbis Apoſtoli* n. 1. (*g*) Epiſt. in veron. edit. 96 n. 7. (*h*) Tracta. ſeu Sermone 108. in Joan. n. 3. *Et in quibuſdam codicibus poſitum eſt: Verbum tuum veritas eſt, ſicut in quibuſdam codicibus etiam ibi ſcriptum eſt: in principio erat Sermo.* (*i*) Bellarmi. de ſcripto. Eccle. & Biblioth. Patr. edit. Pariſ. tom. XV. pag. 352. (*k*) ibid. pag. 355. (*l*) num. 15. pag. 36 Tomi 2. (*m*) Joan. 1.
(*n*) Sic interpunxi, ut conſuetudini, aliorumque exemplo me accommodarem. Ceterum aliter interpungi poſſe fateor: ita tamen, ut denotetur *Sermonem* hunc aliquid ſubſtantiale, & verum deum eſſe.
(*o*) lib. VII *de Trinit.* n. 18. pag. 181. *Et ubi refertur: Ego dixi, loquentis potius eſt Sermo;* & n. 19. *ſe cæleſtis ſermo &c.* Ruſſus n. 11. lib. X. *de Trinitate.* Et expreſsius n. 10. libri XII *de Trinit.* pag. 430. *ſed dei ſermo &c.* Etiam in libro *de Synodis*, ſeu de fide Orientalium, n. 46. *Hæretici perimentes &c.*

Digitized by Google

loquitur (*a*): *Dum medium ſilentium tenerent omnia, & nox in ſuo curſu medium iter haberet, omnipotens Sermo tuus Domine de cælis a regalibus ſedibus venit.* Transfert ſcilicet ab alia ſignificatione, accommodatque feſtivitati huic, quod verſ. 14, & 15. cap. 18. libri *Sapientiæ* traditur.

En itaque quid his verbis credi jubet Hilarius: *Sermonem* ſcilicet *Divinum* non ſimplicem vocem, ſed extantem perſonam eſſe, eamque apud Deum, ideoque divinam perſonam! Ea porro non eſſe cœpit in tempore, ſed *apud Deum* fuit *in principio*, ideſt ante quævis tempora *etiam imaginaria, & fictitia* (ut ſæpe ajunt Patres), & ab æternitate ipſa. Atque his, quæ expreſſiſſime tradiderat libro II (*b*), & XII (*c*) *de Trinitate* idem Hilarius, affinia docent Athanaſius (*d*), Nyſſenus quoque (*e*), & Auguſtinus. Vide quæ hoc ſuper argumento docet Petavius (*f*).

20. Veteres Patres non modo *Sermonem*, aut *Verbum* ſecundam Trinitatis Sanctiſſimæ perſonam, verum etiam *rationem* appellavere: quæ quidem vox variis de cauſis Divino Verbo convenire poteſt. Aut ſcilicet majoris cujuſdam, efficaciorisque, &, ſi vis, illuſtrioris etiam explicationis vocis *ſermo* cauſa, veluti colligendo ſynonyma: aut quia Divinum Verbum ea *ratio* eſt, ſeu idea, ad quam Pater in mundo condendo unice reſpexit: *ratio*, inquam, & idea ingenita, & conſubſtantialis Deo: aut etiam quia ſicut ratio in egregio opificio primas, potiſſimaſque habet partes, ſic Divinum Verbum in mundo condendo primas, potiſſimaſque habuit partes: aut pariter quia ſicut in egregio opificio recta ratio apparet, eminetque, & ſingulis illius partibus veluti ineſt, ita divina Verbi virtus, ac ſapientia in mundo creando ſe ſe prodidit, & veluti eminuit, & ſingulis illius partibus quodam modo inhæſit, & ineſt. Rurſus quia ſicut ratio ad praxim deducta artificem exprimit, ac declarat, ita Verbum, illiuſque tum generatio, tum operatio Patrem, ejuſque præſtantiam, ac divinitatem mundo declaravit, notamque effecit. Denique (& en poſtrema explicatio) non deſunt, qui ideo Divinum Verbum *rationem* appellatum ajunt, quia rationem, ſeu reſpectum, ac relationem habet ad Patrem.

Atque in prima quidem ſignificatione vocem hanc videtur ſumere Tertullianus, quum ita Gentiles alloquitur (*g*). *Jam ediximus, Deum univerſitatem hanc mundi Verbo, & Ratione, & virtute molitum. Apud veſtros quoque ſapientes λόγον, ideſt Sermonem, atque Rationem conſtat artificem videri univerſitatis.... Et nos etiam ſermoni, atque Rationi, itemque virtuti, per quę omnia molitum Deum ediximus, propriam ſubſtantiam Spiritum inſcribimus* (*h*).

In eandem etiam ſententiam librum, quem de *Oratione* inſcripſit, ſic eſt exorſus: *Dei ſpiritus, & Dei ſermo, & Dei ratio, ſermo rationis, & ratio ſermonis, & ſpiritus utrumque Jeſus Chriſtus dominus noſter.* Et ſane vocem hanc *ratio*, cum ad Unigenitum Dei denotandum adhibetur, eſſe veluti ſynonymam vocum *Sermonis*, & *Verbi*, edocere videntur, ut de aliis ſileam, Lactantius, Ambroſius (ſi is eſt auctor libri, qui *de filii divinitate, ſeu de fide Orthodoxa contra Arianos* inſcribitur), & Auguſtinus (*i*), ſeu, ſi vis, ſcriptor alius

(*a*) in introitu Miſſæ Dominicæ infra octavam Nativitatis, & in antiphonis ad *Magnificat*, & *Benedictus* ejuſdem diei. Hanc ipſam antiphonam a priſcis uſque Eccleſiæ temporibus adhibitam diſcimus ex libro, quem *Reſponſoralia, & Antiphonaria Romanæ Eccleſiæ* inſcripſit, ediditque optimus Cardinalis Thomaſius anno 1686.

(*b*) n. 13 *Reſpice ad Mundum &c.* (*c*) n. 43. (*d*) orat. III, & V. (*e*) lib. II Contra Eunomium. (*f*) lib. VI *de Trinit.* cap. I n. 6, & ſequen. (*g*) In Apolog. cap. 21.

(*h*) legunt alii *adſcribimus*.

(*i*) Lactantius lib. IV inſtitutionum cap. 9, hæc ait. *λόγος enim & ſermonem ſignificat, & rationem, quia ille eſt & vox, & ſapientia Dei.* Auguſtinus, ſi Auguſtinus is eſt (nam

cum

ſub Auguſtini nomine latitans. An vero hujuſce rei cauſam ex eo repetemus, quod, ut Tertulliani verbis utar (*a*), *oſtenderit ſe ſe λόγον Dei*, ideſt *Verbum illud primordiale primogenitum, virtute, & ratione comitatum, & ſpiritu fultum?* An potius, *quia* (ut jam docuit (*b*) Petavius), *Sermo idem eſt ac ratio*, hinc ſermo rationis, & ratio ſermonis dicitur? Sane Hilarius in hac ipſa, quam illuſtramus epiſtola, hæc habet (*c*): *Dei filium ſapientiam veram, ſermonem, ideſt rationem, &c.*

Secundam ſignificationem, quæ ſcilicet denominationem hanc derivat ex eo quia unigenitus dei ea ratio, ſeu idea eſt, ad quam unice in mundo condendo reſpexit Pater, proponit is, cui debemus librum *de divinis nominibus* (*d*); ſive Dionyſius Areopagita is ſit, ſive alius quiſpiam vetuſtus ſane, & probabilis ſcriptor; hæc enim tradit Petavio interprete (*e*): *λόγος in ſacris litteris celebratur Deus, non ſolum quia rationis, & melioris ſapientiæ diſtributor eſt, ſed etiam quia cauſas omnium in ſe ſe ſimpliciter ante complexus eſt: & quia contendit, et penetrat omnia, ut ſacrę litteræ teſtantur* (*f*). Quem locum commentariis illuſtrans Maximus, ideo ait (*g*) *divinum Verbum vocari λόγον, quoniam naturæ totius rationes inſunt illi, tanquam cauſæ ac principio creaturæ omnis; per ipſum enim exiſtunt omnia. Quin et ideæ, atque exemplares formæ in illo ſunt, quę ſunt æternæ notiones, ac rationes omnium effectrices: adeoque natura ipſa: ſiquidem natura ipſa ratio eſt cauſam, naturamque continens, quoniam non temere, ac fruſtra naturæ ſunt exiſtentium rerum.*

Tertiam explicationem, quam in eo ſitam diximus, *quod ſicut ratio in egregio opificio primas, potiſſimaſque habet partes, ſic divinum Verbum in mundo condendo primas potiſſimaſque habuit partes:* tertiam, inquam, explicationem ii proponunt, quorum ſententiam deſcribit Auguſtinus, cum teſtatur (*h*), *Unigenitum Dei Rationem minus recte vocari, quam Verbum, ut ſignificetur non ſolum ad Patrem reſpectus, ſed ad illa etiam, quæ per Verbum facta ſunt, operativa potentia*. Ii quoque proponunt, qui vocem *ratio* ſynonymam voci *ſermo*, & *λέγος* volentes eſſe, monent *Divinum Sermonem*, quatenus etiam pro perſona ſumitur, potiſſimas partes in mundo condendo habuiſſe. Qua de re annotatione decima octava nonnulla diximus, & rurſus dicemus deinceps. Hic tantum affero Nazianzenum hæc elocutum (*i*): *Quod ſi quis etiam, quia rebus omni-*

eum librum PP. S. Mauri Auguſtino demunt, nec temere demunt, ut conſtat ex admonitione huic operi præpoſita pag. 2 Appendicis Tomi VIII) in libro de quinque hæreſibus cap. 6 hæc habet: *In principio erat Verbum. Melius græce dicitur λόγος:* logos *quippe Verbum ſignificat, & rationem.* Ambroſius demum, ſi eſt, uti antea dixi, auctor ejus libri (Vide admonitionem præpoſitam huic tractatui a Patribus S. Mauri pag. 343 *Appendicis* Ambroſii) in libro, qui *de Filii divinitate* inſcribitur, cap. 6. *Ratio quædam eſt* (inquit), *quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, & filium perſonas, vel vocabula diſtinguit, quia & ipſe filius ratio dicitur.* Quæ quidem verba habet etiam ſermo olim 190 *de tempore* inter Auguſtinianos, nunc 113 inter rejectos in appendicem, num. 2, in quo etiam recitatis ſuperioribus verbis hæc ſubjiciuntur: *Quæ tamen ratio multis nominibus appellatur: modo verbum, modo virtus, modo ſapientia, modo dextera, modo brachium, modo margarita, modo theſaurus, modo retia, modo aratrum, modo fons, modo petra, modo lapis angularis, modo homo, modo agnus, modo vitulus, modo aquila, modo leo, modo via, veritas, & vita, cum ſit Deus omnia in omnibus: ut per hæc vocabula divinarum diſpoſitionum myſteria cognoſcantur, non ut ipſa majeſtas filii Dei proprie definita monſtretur.*

(*a*) Apolog. cap. 21. (*b*) lib. VI *de Trinita.* cap. 1. n. 6. (*c*) cap. IV. pag. 40. (*d*) cap. 7.
(*e*) lib. VI de Trinit. I. 3. (*f*) Uſus ſum, uti dixi, interpretatione Petavii, nam alii aliter vertunt. Et ſane nonnihil ab interpretatione Petavii differt interpretatio Ambroſii Camaldulenſis. Eundem tamen interpretationes omnes ſenſum habent. (*g*) Petavio interprete lib. VI de *Trinit.* I. 3. (*h*) lib. 83 quæſt. cap. ſeu quæſtio. 63. (*i*) orat. 36.

Digitized by Google

omnibus ineſt, λόγον appellari velit, a ratione non abhorrebit: quid eſt enim, quod non Verbo conditum ſit? (*a*).

Quartam explicationem in eo ſitam affirmavimus, *quod ſicut in egregio opificio recta ratio apparet, eminetque, et ſingulis illius partibus veluti ineſt; ita divini Verbi virtus, ac ſapientia in mundo creando ſe prodidit, et veluti eminuit, & ſingulis illius partibus quodam modo inhæſit, & ineſt*. Huic porro favere dicitur Nazianzenus prioribus illis verbis modo allegatis: *Quod ſi quis etiam, quia rebus omnibus ineſt, λόγον appellari velit, a ratione non abhorrebit*. Sed certe ii favent, qui vocem *ſapientia* ſynonymam vocis *ratio* eſſe ajunt (*b*), tum verſiculum viceſimum quartum capitis VII, & primum capitis VIII libri *Sapientiæ* ad Divinum Verbum referunt. Nimirum hæc in allegatis locis leguntur: *Omnibus enim mobilibus mobilior eſt ſapientia: attingit autem ubique propter ſuam munditiam... Attingit ergo a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter*.

Quintam explicationem eam eſſe diximus, quæ docet, *quod ſicut ratio ad praxim deducta artificem exprimit, ac declarat; ita Verbum, illiuſque tum generatio, tum operatio Patrem, ejuſque præſtantiam, ac divinitatem mundo ſignificavit, notamque effecit*. Hæc, niſi nos virorum ampliſſimorum auctoritas fallit, proponitur a Nazianzeno, qui filium Dei ὅρον καὶ λόγον τοῦ πατρὸς appellans, ideſt, ut interpretatur Petavius (*c*), *definitionem, & rationem Patris*, cur ita appellet, deinceps explicat his verbis a Billio in latinum verſis (*d*): *Verbum porro* (ſubſtitue, ſic appellatur), *quod ita ſe habet ad Patrem, ut ſermo ad mentem, non modo propter generationem paſſionis omnis expertem, verum etiam propter conjunctionem ipſius cum Patre, vimque enunciatricem: fortaſſe etiam quia eodem modo ſe ad Patrem habet, quo definitio ad definitum. Nam definitio quoque λόγος dicitur; qui enim Filium cognovit, ait Chriſtus* (*hoc enim ſignificat illud*, qui vidit (*e*)), *Patrem quoque cognovit; ac brevis & compendioſa, faciliſque paternæ naturæ declaratio eſt filius: omne enim quod genitum eſt, genitorem ſuum tacita quadam voce definit*.

Poſtremam vero explicationem (quæ ſcilicet docet, *ideo divinum Verbum rationem fuiſſe appellatum, quia rationem ſeu reſpectum, ac relationem habet ad Patrem*) proponunt Nazianzenus, quem modo excitavi, Auguſtinus quoque, cujus paulo ante verba retuli (*f*), ac denique, ne plurimos afferam, Ambroſius (ſi Ambroſium auctorem putas libri *de Filii Divinitate* inter Ambroſii opera): *Ratio quædam eſt*, inquiens (*g*) *quæ apud Græcos λόγος nuncupatur, quæ inter Patrem, & Filium perſonas, vel vocabula diſtinguit: quia & ipſe Filius ratio dicitur*.

En celebriores explicationes hujus vocis *ratio*, quum de divino Verbo enunciatur. Suſpicor adhuc tamen, Hilarium, quum Verbum *rationem univerſitatis* appellat, ad aliam etiam intendiſſe in eo poſitam, quod Unigenitus Dei unica ratio eſt, cur rerum univerſitas extet: unica, inquam, quia ipſe condidit omnia: unica etiam, quia illius incarnatio ratio fuit, ob quam univerſa condita ſunt: qua de re copioſiſſime Theologi. Hinc *initium viarum Domini* in Scripturis dicitur: *primogenitus* quoque *omnis creaturæ* (*h*) a Paulo dicitur, qui etiam hęc ſubjicit: *quoniam in ipſo condita ſunt uni-*

(*a*) Uſus ſum interpretatione Petavii, a qua vix differt vetuſta Billii interpretatio. Locum hunc habes pag. 590 Tomi I editionis Colonien. an. 1690.

(*b*) audivi, qui eam in rem ſubſequentia Lactantii verba allegaret: recte ne, an ſecus, alii judicent. λογὸς; *enim & ſermonem ſignificat, & rationem, quia ille & vox eſt, & ſapientia Dei*. Lactan. lib. IV inſtit. cap. 9.

(*c*) lib. VI *de Trinit.* cap. 1. n. 3.

(*d*) Tom. 1. pag. 590.

(*e*) Joan. 14.

(*f*) lib. 83 *quæſtio.* cap. 63.

(*g*) in libro *de filii divinitate* cap. 6; in appendice Oper. Ambroſii pag. 346. &c.

(*h*) Coloſſ. 1. 15.

Digitized by Google

univerſa in cœlis, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, ſive throni, ſive dominationes, ſive principatus, ſive poteſtates: omnia per ipſum, & in ipſo creata ſunt: & ipſe eſt ante omnes, & omnia in ipſo conſtant.

Atque hanc quidem conjecturam meam præveniſſe videtur Hieronymus, dum hæc Paulino ſcribit (*a*): *Logos græce multa ſignificat: nam & verbum eſt, & ratio, & ſupputatio, & cauſa uniuſcujuſque rei, per quam ſunt ſingula quæ ſubſiſtunt; quæ univerſa recte intelligimus in Chriſto.* Adnotatio hæc, quamquam aliquanto prolixior, Lectori tamen, ut puto, injucunda non erit.

21. Vox hæc *initiat* quatenus poſita eſt pro *incipit*, ſeu *exorditur*, ex iis vocibus eſt, quas in Hilario notarunt multi, veluti ab aliis perraro adhibitas. Alii tamen etiam ante Hilarium adhibuerunt. Vitruvius (*b*) *initiantes* appellat, quos reliqui *initiatos* appellare conſueverunt. Tertullianus ſimiliter (*c*): *Ex his initiata ſunt cetera:* ideſt, initium, ſeu exordium deduxerunt. Julius Firmicus etiam in eandem ſententiam: *Ver initiatum* (inquit), *cum primam arietis partem ſol fuerit ingreſſus.*

22 Ad refellendam ſtultiſſimam Arianorum perſuaſionem aptiſſimum eſſe caput primum Euangelii Joannis, docent omnes, qui eo de argumento diſputaverunt. Auguſtinum hic tantum modo indico (*d*), & Hilarium (*e*). Et profecto ideo potiſſimum Euangelium conſcriptum fuiſſe a Joanne, ut iis obſiſteret, qui divinam Chriſti originem denegabant, ex Hieronymo diſcimus (*f*).

23 Spiritum Sanctum tertiam Trinitatis Sanctiſſimæ perſonam fateri debebant omnes, qui Chriſtianæ Religioni nomen dabant. Id profecto Symbolum Apoſtolicum, Irenęus (*g*), Nicænum Symbolum (*h*), illud quoque Symbolum, quod Athanaſio tribuitur, & reliquæ Chriſtianæ fidei formulæ oſtendunt. Non eſt hic porro locus, in quo Spiritus Sancti divinitatem ego vindicem, quam copioſiſſime Catholici Theologi aſſerunt (*i*), & eam non obſcure aſſeruerunt ii ipſi Patres, qui Conſtantinopolitanum, atque adeo Nicænum Concilium ætate præiverunt (*k*). Ut ad Hilarium revertar, is a nonnullis audacioribus carpitur, quaſi Spiritus Sancti divinitatem aſſerere vereatur (*l*). Perperam tamen carpitur. Etenim de Spiritu Sancto hæc ſcriptis prodidit (*m*): *De Spiritu Sancto autem nec tacere oportet, nec loqui neceſſe eſt; ſed ſileri a nobis, eorum cauſa qui neſciunt, non poteſt. Loqui autem de eo non neceſſe eſt, qui, Patre, & Filio auctoribus, confitendus eſt. Et quidem puto an ſit, non eſſe tractandum: eſt enim; quandoquidem donatur, accipitur, obtinetur; & qui confeſſioni Patris, & Filii connexus eſt, non poteſt a confeſſione Patris, & Filii ſeparari: imperfectum eſt enim nobis totum, ſi ali-*

(*a*) epiſtola olim 103; in Veron. edit. 53. n. 4. (*b*) præfat. libri VII ſub finem. (*c*) *adverſ. Valen.* cap. XV. (*d*) Tracta. 1. in Joan. & alibi ſæpe. (*e*) lib. II de Trinita. n. 13. pag. 34, & 35, & alibi ſæpe. (*f*) *Noviſſimus omnium ſcripſit Euangelium rogatus ab Aſia Epiſcopis, adverſus Cerinthum, alioſque hæreticos, & maxime tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum ante Mariam non fuiſſe: unde & compulſus eſt divinam ejus nativitatem edicere.* Hieron. in libro, quem inſcripſit *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. IX.

(*g*) lib. I contra *hæreſes* cap. X. (*h*) Hila. de Synodis n. 84.

(*i*) Vide, ne cunctos enumerem, Petav. lib. II *de Trinita.* cap. XII, XIII, XIV.

(*k*) Irenęi loca divinitatem Spiritus Sancti teſtificantia collegit D. Renatus Maſſuet diſſert. III. n. 51 52, & 53. pag. 116, & 117 tomi II. editionis Venetæ ann. 1734. Tertullianus porro quamquam inter eos recenſetur, qui Montani errorem ſecuti de Trinitate, & expreſſe de Spiritu Sancto, prave ſenſerunt, antequam tamen ſe depravari fineret, Spiritus Sancti divinitatem apertiſſime profeſſus eſt capitibus VIII, IX, & XIII libri *contra Praxeam*: quę quidem loca ita conſulat volo Lector, ut reliqua etiam ejuſdem libri capita non prætereat.

(*l*) Vide Præfat. in lib. de Trinita. n. 12. pag. VIII tomi II. edition. Veron. (*m*) lib. II. *de Trinita.* num. 29. pag. 43 tomi 2.

Digitized by Google

ſi aliquid deſit a toto. Deinde per ea Scripturæ loca percurrit, quibus illius divinitas aſſeri conſuevit, & ſtabiliri. Alibi etiam (*a*) in hunc modum eloquitur: *Quamquam ad fidei Sacramentum, ideſt ad Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unitatem, ſed & ad trium gentium vocationem ex Sem, Cham, & Japhet, tres menſuras farinæ eſſe referendas, ſenſiſſe multos meminerim.... in Patre autem, & Filio, & Spiritu Sancto, ſine admixti extrinſecus fermenti neceſſitate in Chriſto, omnia unum ſunt*. Ab aliis Hilarii locis in eandem ſententiam adducendis conſulto abſtineo, ne actum agam: laborem quippe hunc præoccupavit præclariſſimus ille S. Mauri Monachus, qui poſtremam S. Hilarii editionem adornavit, evulgavitque Pariſiis. Vide, obſecro, quæ tradit ille n. XII, & ſubſequentibus præfationis in libros *de Trinitate*.

24 Spiritum Sanctum creationis participem Veteres omnes faciunt: & recte id quidem: Deus quippe eſt, & opera, quæ *ad extra* Theologi appellant, toti Trinitati communia ſunt. Baſilium hic tantummodo profero, quippe libro V adverſus Eunomium hæc ait (*b*): *Spiritus enim viventi Verbo ad creandum conjunctus eſt, viva potentia, & divina natura, quæ ineffabilis ex ineffabilis ore effulſit &c.* Perfectionem porro rerum, atque animationem earum, quæ vita fruuntur, plurimi Patres Spiritui Sancto tribuunt. Cur vero? An quia Spiritus Sanctus amor eſt; amoris autem eximii argumentum eſt rerum perfectio? An quia cum complementum veluti is ſit, & terminus ultimus proceſſionum divinarum, æquum erat etiam, ut complementum, & terminus ultimus *operationum ad extra* illi tribueretur? Ex Theologis hęc aſſequéris. Illud ſane conſtat, plurimos tum veteres, tum minus antiquos interpretes ad Spiritum Sanctum retuliſſe verba illa Geneſis I. 2. *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas* (ut eas ſcilicet fœcundaret, vimque productricem efficeret) (*c*): illa quoque verſiculi ſexti Pſalmi XXXII: *Et ſpiritu oris ejus* (Verbi) *omnis virtus eorum* (cęlorum). Spiritum conditum, ideoque a tertia Trinitatis Sanctiſſimæ perſona diverſum aliquando commemorat Tertullianus (*d*), qui alibi (*e*) eadem videtur tradere, quæ hic Hilarius.

25. Baptiſmi unitatem edocuit jam Paulus ad Epheſios ſcribens (*f*): *Unus Dominus* (inquit), *una fides*, *unum baptiſma*. Edocet quoque Cyprianus (*g*) (quamquam ipſe in eo poſtea errarit (*h*), ut ex unitate baptiſmi illum tantummodo in Eccleſia Catholica valide conferri poſſe cenſuerit), & Patres reliqui tum ante Concilium Conſtantinopolitanum, Symbolum explicantes, tum maxime poſtea, præſertim quum allegata Pauli verba commentariis illuſtrant. Vide, ut in Hilario conſiſtam, quæ tradit

(*a*) In Caput XIII Matth. num. 6. pag. 735. To. 1. (*b*) In noviſſima PP. Benedictinorum editione pag. 303 Tomi 1.

(*c*) Calmetus nonnullos, eos tamen præclariſſimos allegat. Adde, ſi vis, Prudentium (in apotheoſi), Victorem Vitenſem. (*in fidei ratione ad Hunnericum*), cujus hæc verba ſunt: *Ferebatur Spiritus Dei ſuper aquas, utpote creator virtute potentia ſua continens creaturam, ut ex iis viva omnia producturus ipſe rudibus elementis ignis proprii fomenta præſtaret*: Et, ne cunctos enumerem, Steuchum noſtrum in Coſmopœja. Prudentium porro, & Victorem Vitenſem præceſſit Auſonius: quippe hæc ait *in Precatione matutina*:

Unigeni cognoſco Patrem, miſſumque duobus
Qui ſuper æquoreas volitabat ſpiritus undas.

Et in carmine *de Dominica, Reſurrectione*:

Ille tuis doctus monitis hoc addidit unum
Ut ſuper æquoreas nabat qui ſpiritus undas
Pigra immortali vegetaret membra lavacro.

(*d*) *adverſus Hermog.* cap. 32. (*e*) lib. IV. *contra Marcionem* cap. 26. (*f*) cap. IV verſ. 3.

(*g*) Epiſt. ad Janu. 70. *Quando & baptiſma unum ſit &c.* (*h*) Epiſt. 73; epiſ. 74. lib. *de Unitate Eccleſiæ*; *quamquam aliud baptiſma præter unum eſſe non poſſit &c.*

tradit ille num. I, & II libri XI *de Trinitate (a)*. Ita porro unitatem baptiſmi explicant Magiſtri noſtri, ut unus ſit, quia cum is ſit a Chriſto inſtituta proteſtatio ſuæ fidei, certumque argumentum, & ad illam ingreſſus (*b*), aliam proteſtationem, & certum argumentum, atque ingreſſum temere quærimus. Aliter etiam explicat Cyrillus Hieroſolymitanus (*c*) hæc elocutus: *Non licet bis, aut ter lavacrum ſuſcipere; alioquin liceret dicere: Quod ſemel male ſucceſſerit, id altera vice perficiam. Sed ſi vel ſemel male ſucceſſerit, ea res emendationem non admittit:* unus enim Dominus, & una fides, & unum baptiſma. *Hæretici namque ſolummodo rebaptizantur; ſiquidem prius illud baptiſma non erat*. Vide, obſecro, quæ ad locum hunc adnotat Clariſs. Toutée.

26 In baptiſmo regenerari, renaſcique nos Deo, indicavit Chriſtus ipſe verbis his Nicodemum alloquens (*d*): *Amen amen dico tibi: niſi quis renatus fuerit denuo, non poteſt videre regnum Dei (e)*. Expreſſiſſime porro id Petrus in prima epiſtola (*f*) docuit, & Paulus capite III. epiſtolæ ad Titum (*g*). Id quoque inculcant, explicantque ii omnes, qui Symbolum Apoſtolicum, aut Conſtantinopolitanum ſermonibus ſuis, concionibuſque, & ſcriptis illuſtrarunt. Sępiſſime id quoque tradit Eccleſia veluti in iis precibus, quas in Miſſa feriæ V poſt Paſcha recitat (*h*): iis quoque, quas feria VI ejuſdem hebdomadæ dici jubet (*i*). Eadem habes in Pentecoſte (*k*). Patres ſi addam, infinitus propemodum ero. Ne multos afferam, Zenonis, & Hilarii loca tantummodo indico (*l*). Ea, ſi vult, per ſe conſulat Lector.

27 Reſurrectio mortuorum non modo in Symbolo Apoſtolico, verum etiam in reliquis fere omnibus Eccleſiaſticis monumentis traditur, in quibus fides noſtra ſummatim exponitur. Qua in re mirari deſines, cum noveris articulum hunc in eorum numero eſſe, per quos maxime a Gentilium, & præſertim Epicureorum pravis opinionibus recedimus. Hanc inculcavit Apoſtolus Paulus, cum Athenienſibus in areopago Chriſtum nunciavit: eamque ob rem, & quod Chriſtum nunciaret, ab iiſdem *Epicureis, & Stoicis philoſophis* habitus contemptui eſt (*m*). Eandem tamen reſurrectionem ſæpe ipſe annunciavit, ne ſcilicet ea de re dubitari poſſet a quopiam. Nonnulla loca ad paginæ calcem indico, quæ per ſe conſulat Lector (*n*). Illud etiam certo conſtat, ea de re perſuaſos, fuiſſe Judæos (*o*), & adeo perſuaſos ut hæreticis accenſerentur Sadducæi, qui eam negabant. Vide, obſecro, quę tradit Philaſtrius hæreſi V, atque ea his adjunge, quæ optimus Canonicus Galeardus adnotat; multa quippe Scripturarum, aliorumque probabilium aucto-

(*a*) pag. 373 tomi II. *Unum itaque &c ... Sed nec in unius baptiſmi &c.* (*b*) *Euntes baptizate omnes gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti &c.* Matth. XXVIII. 19.
(*c*) In Protocatecheſi n. 7. (*d*) Joan. III. 3. (*e*) Vide interpretes in locum hunc, &, ut ceteros prętermittam, vide Commentaria Janſenii Iprenſis. (*f*) cap. I. verſ. 23. *Renati non ex ſemine etc.*
(*g*) verſ. 4, & 5. Conſule interpretes in locum hunc. non Catholicos modo, verum etiam externos, in quorum numero laudem non levem ſibi promeruit Grotius. (*h*) In ſecr. *Deus, qui diverſitatem gentium &c.* (*i*) in ſecr. *Hoſtias &c.* Et Poſtcomm. *Reſpice quaſumus &c.*
(*k*) In Vigilia ad miſſam. *Praſta quaſumus omnipotens Deus . . . qui per gratiam tuam renati ſunt.*
(*l*) Zenon. lib. II. tracta. XXX. & ſequen. pag. 227. editio. Veron. adornatæ a Fratribus Balleriniis. Hilar. lib. I de Trin. n. 22. pag. 15 tomi II. Et in pſal. 63 n. 11. pag. 182 Tomi I. Et in Caput X. Matthæi n. 24. pag. 719 tomi item primi.
(*m*) *Quidam autem Epicurei, & Stoici philoſophi diſſerebant cum eo; & quidam dicebant: Quid vult ſeminiverbius hic dicere? Alii vero: novorum dæmoniorum videtur annunciator eſſe, quia Jeſum, & reſurrectionem annunciabat eis*. Actor. 17. 18. (*n*) Actor. 23. 6. Rurſus cap. 24. verſ. 14, & 21. Et cap. 26. verſ. 8, & 23. Rom. VI. 5. I. Corin. XV. 12. & toto fere capite deinceps. II. Timoth. 2. 18. Ep. 1. Theſſa. IV. 12. &c. Heb. VI. 2. Petri I. 4, 5. *Qui paratus eſt judicare vivos, & mortuos*. (*o*) lib. II Machab. 12. 44. *Niſi enim eos reſurrecturos ſperaret* (Judas Machabęus), *ſuperfluum videretur, & vanum orare pro mortuis.*

Digitized by Google

auctorum loca eam in rem allegat. Eandem mortuorum reſurrectionem inter eos articulos recenſet Irenæus (*a*), qui a Catechumenis credendi forent.

Explicant hunc articulum copioſe ii omnes, qui vel Apoſtolicum Symbolum, vel etiam Conſtantinopolitanum, vel illud ipſum, quod Athanaſii dicimus, commentariis illuſtrant. Multam in ea ipſa re aſſecutus eſt laudem Cyrillus Hieroſolymitanus (*b*). Auguſtinus, aliique etiam tum veteres, tum minus antiqui doctores noſtri eo de argumento diſſeruerunt. Nec ſane te legiſſe pœnitebit, quæ Gregorius Magnus ad eandem reſurrectionem aſſerendam ſæpe tradit. Hic mihi ſatis eſt locum unum indicare, quem tamen valde probabilem reor; homiliam ſcilicet VIII in Ezechielem (*c*). De Reſurrectione ſæpe agit Hilarius, veluti num. IX comment. in Pſal. LXIII. &c.

28 Conjunctiſſimus eſt articulus iſte cum ſuperiore. Cur enim reſurgemus omnes, niſi ut a Judice vivorum, & mortuorum Domino Jeſu Chriſto *referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum* (*d*)? Innuit eam, quam diximus, utriuſque articuli conjunctionem Paulus, cum in Epiſtola ad Hebræos *reſurrectionem mortuorum judicio æterno* jungit (*e*). Expreſſiſſime autem eam tradit Irenæus, dum inter dogmata a baptizandis credenda recenſet (*f*) *in carne in cœlos aſcenſionem dilecti Jeſu Chriſti Domini noſtri, & de cœlis in gloria Patris adventum ejus ad recapitulanda univerſa* (*g*), *& ad reſuſcitandam omnem carnem humani generis, ut Chriſto Jeſu Domino noſtro, & Deo, & Salvatori, & Regi ſecundum placitum Patris inviſibilis*, (*h*) omne genu curvet cœleſtium, & terreſtrium, & infernorum, & omnis lingua confiteatur ei, *& judicium juſtum in omnibus faciat* (*i*): *ſpiritualia quidem nequitiæ, & Angelos tranſgreſſos, atque apoſtatas factos, & impios, & injuſtos, & iniquos, & blaſphemos homines in ignem æternum mittat: juſtis autem, & æquis, & præcepta ejus ſervantibus, & in dilectione ejus perſeverantibus, quibuſdam ab initio, quibuſdam autem ex pœnitentia vitam donans, incorruptelam loco muneris conferat, & claritatem æternam circumdet* (*k*). Hunc ipſum articulum proponunt Symbolum Apoſtolicum, Nicænum (*l*), & reliqua etiam antiquiſſima Symbola. Quod mirum non eſt: etenim poteſtas *judiciaria* potiſſimum præmium eſſe videtur humanitati Chriſti tributum, propter humilitatem, quam in Cruce præſertim oſtendit: Ipſe vero adeo amavit diſcipulos ſuos, atque in primis Apoſtolos, ut eis ſedes in eodem judicio ſtatueret, in quibus *et Angelos judicarent* (*m*). Quod ſi quis explicatum hunc articulum optet, eos conſulat, qui Apoſtolicum Symbolum explicant, atque in primis Cyrillum Hieroſolymitanum (*n*); interpretes quoque in ea Scripturarum loca, quæ ad paginæ calcem indico (*o*).

29 Codex noſter revera habet: *Tanta eſt differentia Judæorum convertentium, & gentilium credentium*. Quod ſi quis legere cupiat *ſe convertentium*, per me quidem licet. His porro verbis, quocunque tandem modo ea legas, veluti epiphonemate quodam concludit Hilarius id, quod antea dixerat, ſcilicet aliter inſtruendos eſſe Hebræos Chriſtianæ fidei ſe ſe adjungentes, aliter eos, qui ex Idololatria ad Eccleſiam veniunt:

I

(*a*) lib. 1. cap. 10. *Et reſurrectionem mortuorum . . . Ad reſuſcitandam omnem carnem humani generis, &c.* (*b*) Catech. XVIII. n. 1. & ſequen. (*c*) num. VI, & ſequent. *ſed quia de carnis reſurrectione &c.* (*d*) I. Corint. V. 10. (*e*) cap. VI. verſ. 2. *Ac reſurrectionis mortuorum, & judicis æterni.* (*f*) lib. 1 cap. 10. (*g*) Vertit nova editio: *ad inſtauranda omnia.* Eph. 1. 10. (*h*) Philip. II. 10. &c. (*i*) Eph. VI. 12. (*k*) Idem Irenæus id alibi inculcat, nempe libro III. cap. 4. (*l*) Hilar. de Synodis num. 84. *Venturus judicare vivos, & mortuos.* (*m*) I. Corin. VI. 3. (*n*) Cate. XV. num. 3. & ſeq.
(*o*) Matth. XXIV. 29. & XXV. 31. Actor. XXIV. 25. Rom. XIV. 10. I. Corin. VI. 3. II. Corint. V. 10. I. Theſſa. IV. 13, & ſeq.

Digitized by Google

unt: a primis ſcilicet pauca credenda expoſcuntur, cum reliqua jam noverint: at a ſecundis expreſſior, copioſiorque confeſſio expoſcenda eſt; ea nempe, quam paucis comprehenderat, & paulo ante expoſuerat Hilarius, enucleatius eam deinceps expoſiturus. Neque vero mireris, tam pauca fuiſſe illis ad credendum propoſita. Etenim id ipſum aſſequimur etiam ex Irenæo, quippe *fidem, quam Eccleſia per univerſum Orbem uſque ad finem terræ ſeminata, & ab Apoſtolis, & a diſcipulis eorum accepit*, explicaturus, pauciſſimis capitulis comprehendit (*a*). Id quoque præſtitit Nicæna Synodus, fuſius quidem ſe ſe explicans circa Filii divinitatem, & dignitatem, de qua per ea tempora potiſſimum diſputabatur: at articulos reliquos ſummatim comprehendens (*b*). Quod mirum non eſt; etenim hi ipſi articuli articulos eos aut complectuntur, aut innuunt, quos Apoſtolicum Symbolum tradit; adeo ut hi ipſi, quos attuli, Patres minime eorum perſuaſioni obſiſtant, qui Symbolum Apoſtolicum ab Apoſtolis ipſis dictatum affirmant.

30 Epiſtolam hanc pro diverſitate argumentorum in tres partes dividere poſſumus. Priorem partem, in qua hactenus perſtitimus, habet ſumma articulorum fidei noſtræ; partem alteram, quam nunc aggredimur, accuratior explicatio eorundem articulorum. Porro ne quid diſſimulem, diu ſuſpicatus ſum, ne legendum eſſet potius *quis ſit* (ſeu, ſi vis, *quis eſt*), *& qualis filius Dei*. Suſpicatus pariter ſum, ne addita fuerint deinceps verba illa: *tres enim unum ſunt:* etenim reſpicere verba hæc videntur ad nobile illud Joannis (*c*) teſtimonium: *Tres ſunt qui teſtimonium dant in cœlo &c.;* ad quod quidem aliis in locis minime reſpexiſſe videtur Hilarius. Nihil tamen mutandum duxi etiam in ſubſequentibus: etenim rectiſſimus eſt adhuc ſenſus, ſi legas, *quis eſſet, & qualis filius Dei:* immo cum non de præſenti, ſed de antiquiſſimo, ut ita loquar, & æterno ſtatu filii Dei Arianos inter, & Catholicos diſputaretur, merito ſcribere potuit Hilarius, *quis eſſet* (ab æternitate ſcilicet, & ante tempora *fictitia* etiam) *filius Dei*. Verba porro illa, *tres enim unum ſunt*, potuere poni ab Hilario non ad Arianos, ut olim, quum libros de Trinitate componeret, ſed ad Catholicos ſcribente, ideoque ad agnoſcentes vim teſtimonii illius, quod & ante Hilarium indicatum fuerat a Cypriano. Vide quæ de teſtimonio hoc adverſus recentes Arianos Catholici diſputant. Profecto rectiſſime propterea poſitæ ſunt voces illæ, quia rationem reddunt, cur Filium, & Spiritum Sanctum Patri jungat, declaretque deinceps accuratius, quid de his credere Catholica Religio præcipiat. Itaque ſi teſtimonium iſtud in libris *de Trinitate* omiſit, ne extraneam de illius *authenticitate* (liceat porro ita loqui) controverſiam inſtitueret, Catholicos nunc alloquens authenticum illud eſſe fatentes, merito adducit, utpote aptiſſimum ad divinarum Perſonarum conſubſtantialitatem aſſerendam.

31 Multa ad ſuperiorem illam ſententiam, *Sane illud ſcire convenit prudentiæ veſtræ*, confirmandam ſiquis ex Hilario ipſo deſumere optat, atque eundem ex locorum illorum, & hujus, quem hic expendimus, comparatione utriuſque elucubrationis ſcriptorem oſtendere cupit, ea conſulat, quæ ſtatim noto; ſcilicet numerum 19 libri I *de Trinitate*: *Et vos quidem, quos fidei calor &c.* Numerum 19, & 26 libri III *de Trinitate*. Num. 14, & 38 libri VII. Ea pariter, quæ n. 17 libri VI *de Trinitate*, ea denique, quæ n. 2 (*d*), & 33 (*e*) de

(*a*) lib. 1. cap. x. Rurſus lib. III. cap. 3, olim 2. *traditionem annunciantem unum Deum &c.* Etiam capite IV ejuſdem libri *traditionem cuſtodiendam hanc* eſſe dicit: *in unum Deum credere fabricatorem cœli, & terræ.* (*b*) Hilar. de Synodis n. 84. *Credimus in unum Deum &c.* (*c*) in epiſto. I. cap. V. (*d*) n. 2. *& Dei ex Deo fidem unus tantum nobis Deus in confeſſione diſſolvat.* (*e*) n. 33. *non enim fides ex arbitrio noſtro, ſed ex dictorum eſt ineunda virtutibus.*

Digitized by Google

de Trinitate ille docet. Præclariſſima ſane in poſtremo hoc loco eſt Hilarii ſententia: *Non relictus* (hominum) *eloquiis de Dei rebus alius, quam Dei ſermo: omnia reliqua & arcta, & concluſa, & impedita ſunt, & obſcura.*

Quæ vero deinceps Hilarius iis verbis tradit: *non illum in terris quærat homo, aut inter figmenta componat, ne cui ſimilem credat*, ea ipſa ſunt, quæ ſæpe Scriptura de Deo inculcat; veluti in Deuteronomio (*a*): *Non vidiſtis aliquam ſimilitudinem in die, qua locutus eſt vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis ſculptam ſimilitudinem, aut imaginem maſculi, vel feminæ &c.* Et apud Iſaiam (*b*): *Cui aſſimilaſtis me, & adæquaſtis, & comparaſtis me, & feciſtis ſimilem &c.* Ea porro omnia, quæ Theologi adverſus Anthropomorphitas diſputant, hic locum habent. Satis mihi erit, ſi ad nonnullos Hilarii locos digitum intendam, quibus ſuperior ſententia confirmetur. Ecce primum (*c*). *Si quæ vero nos de natura Dei & nativitate tractantes, comparationum exempla afferemus, nemo ea exiſtimet abſolutæ in ſe rationis perfectionem continere. Comparatio enim terrenorum ad Deum nulla eſt: ſed infirmitas noſtræ intelligentiæ cogit ſpecies quaſdam ex inferioribus, tamquam ſuperiorum indices quærere; ut rerum familiarium conſuetudine admonente, ex ſenſus noſtri conſcientia ad inſoliti ſenſus opinionem educeremur. Omnis igitur comparatio homini potius utilis habeatur, quam Deo apta; quia intelligentiam magis ſignificet, quam expleat: neque naturis carnis, & ſpiritus, & inviſibilium, ac tractabilium cogquandis præſumta reputetur, proteſtans & infirmitati ſe humanæ intelligentiæ neceſſariam, & ab invidia eſſe liberam non ſatisfacientis exempli. Pergimus itaque de Deo locuturi Dei verbis, ſenſum tamen noſtrum rerum noſtrarum ſpecie imbuentes.* Superioribus affinia tradit idem Hilarius numero II libri IV, & num. IX libri VI, ac denique, ne cuncta loca, in quibus id ipſum docet, enumerem, numero XVIII libri VII. Tanti porro articulum hunc fecit auctor libri, qui *de Trinitate*, ſeu *in Symbolum Apoſtolicum* inſcribitur, & inter Ambroſii opera extat, ut ab eo exordium dicendi ſumpſerit (*d*).

32 Emendationem, quam hic adhibui, Lectori candide expono. In codice ita legitur: *Natum: non factum*. Poſui vero: *non natum, non factum*. Vel ſcilicet Deum *in eſſentia* (ut Scholaſticorum phraſi utar) & *præciſe* inſpectum hic accipe, vel Patris perſonam. Sume porro, ut libet: legendum omnino eſt *non natum*. Quando enim divina eſſentia nata eſt? Quandonam natus Pater? Dum autem hic ait Hilarius Deum *non natum*, originis, aut principii cujuſque, multoque magis cauſæ expertem, ac neſcium eum dicit, idque docet, quod Patres omnes, & Theologi tradunt, dum Patrem *innaſcibilem* eſſe monent, quodque idem Hilarius his verbis expreſſiſſime dixerat (*e*). *Novit unum innaſcibilem Deum, novit & unum unigenitum Dei filium. Confitetur Patrem æternum, & ab origine liberum &c.* Copioſius vero id perſequitur idem Hilarius non modo in iis locis, quos allegat Petavius (*f*), verum etiam n. 58 libri de Synodis (*g*): Et rurſus numero 47 libri XI *de Trinitate* (*h*), quem, ſi libet, conſule. Adde, ſi vis, eos Patres, quos recenſet Petavius capite V libri V *de Trinitate* (*i*). Adde Auſonium, quem deinceps afferam.

33 Deum incomprehenſibilem ſæ-

(*a*) cap. 4 verſ. 15. (*b*) cap. 46 verſ. 5. (*c*) lib. I de Trinita. n. 19. (*d*) *Nullus igitur qui ſanum ſapit, omnipotentem Deum, qui Trinitas, & ſpiritus eſt, corpus aliquod viſibile, aut palpabile arbitretur.* (*e*) lib. IV *de Trinita.* n. 6. (*f*) lib. V *de Trinita.* cap. V. n. XIII. (*g*) *ex non nata ſubſtantia perfecta nativitas &c.* (*h*) pag. 404 Tom. II. (*i*) n. XIII, XIV, & XV.

piſſime docent Patres, ii præſertim qui adverſus Arianos, & Anomæos diſputaverunt. Nazianzenus magnam partem orationis quartæ & triceſimæ impendit, ut oſtendat neque nos aſſequi poſſe, *quid Deus ſit*, neque illius præſtantiam oratione deſcribere. Chryſoſtomus hoc ipſum argumentum copioſiſſime perſequitur. Seligo locum unum, quem hic afferam (*a*). *Vocemus itaque* (inquit Chryſoſtomus) *ipſum ineffabilem, inintelligibilem Deum, inviſibilem, incomprehenſibilem, humanæ linguæ vim ſuperantem, mortalis mentis comprehenſionem excedentem, Angelis non veſtigabilem, Seraphinis inviſibilem, Cherubinis inintelligibilem, inaſpectabilem Principatibus, poteſtatibus, virtutibus, ac ſimpliciter omni Creaturæ, a ſolo autem Filio, & Spiritu Sancto cognitum.*

Idem inculcat Hilarius numeris V, & VI libri II *de Trinitate* (*b*); & numero 62 libri de Synodis (*c*). Hunc prorſus legas, velim. Novatianus quoque, ſi is eſt auctor libri *de Trinitate*, qui præpoſito ejus nomine aliquando evulgatus eſt, & inter Tertulliani opera editus, Novatianus, inquam, in eandem ſententiam conſentit (*d*): *Id enim* (inquiens) *quod eſt, ſecundum id quod eſt, nec humano ſermone edici, nec humanis auribus percipi, nec humanis ſenſibus colligi poteſt.*

Hujus autem incomprehenſibilitatis origo eſt, ut ita loquamur, *infinitas*, ideſt infinita illius perfectio ac virtus: cum enim hæc illimitata ſit prorſus, & (quod jam dixi) infinita, facit, ut comprehendi omnino non poſſit. Hanc infinitatem ſæpiſſime Scripturæ tradunt. Sed mihi Theologi partes hic minime agenti ſatis erit, ſi unum tantum locum allegem. Eſt porro notiſſimus libri Job (*e*): *Forſitan veſtigia Dei comprehendes, & uſque ad perfectum Omnipotentem reperies? Excelſior cœlo eſt, & quid facies? profundior inferno, & unde cognoſces? Longior terra menſura ejus, & latior mari.* Porro vel incomprehenſibilitas, ut ita loquar, extenſionis omnipotentiæ hic proponitur; vel incomprehenſibilitas perfectionis ipſius, & infinitatis divinæ, ideoque ea incomprehenſibilitas, quæ propterea Deum indicat vincentem ſcientiam noſtram, quia eximia, & ſuper omnem modum excellentiſſima, perfectione is pollet. Enimvero ad hæc Jobi verba ita Gregorius Magnus diſſerit (*f*). *Excelſior itaque eſt cœlo, quia ipſi quoque electi ſpiritus viſionem tantæ celſitudinis perfecte non penetrant.... Excelſior itaque cœlo ſit, cum ipſa in eum noſtra deficit contemplatio.*

Merito itaque de Deo concludit Auguſtinus (*g*), *facilius dici a nobis, quid non ſit, quam quid ſit.* Quin etiam hæc ſubjicit: *Hoc ſolum potui dicere, quid non ſit. Quæris, quid ſit? Quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit. Non eſt ſimilis tibi in diis Domine, & non eſt ſecundum opera tua.* Simillima his edocet n. 9 tractatus XXI in Joannis Euangelium. Hic ſi ea adduxeris, quæ *ineffabilem* Deum deſcribunt, recte adduces. Cur enim ineffabilis eſt? Profecto quia incomprehenſibilis eſt. Porro plurima & Scripturarum, & Patrum loca eo ſpectant, ut Deum ineffabilem deſcribant. Hic Fulgentium unice affero hæc docentem (*h*): *Non eſt ignorabilis Deus, cum ſit inenarrabilis: ſed a fidelibus cognoſcitur, ut ametur; quamvis nec humanis linguis, nec Angelicis enarretur.*

34 *Inextimabilem* poſitum eſt pro *ineſtimabilem*. Ea porro, quæ in annotatione ſuperiore diximus, facile oſtendunt Deum *ineſtimabilem* eſſe. Quis enim eum ſatis æſtimet, qui incomprehenſibilis eſt? Si quis tamen aliqua-

lan-

(*a*) Orat. III contra Anomæos pag. 463 tomi I. editionis Clariſs. Montfauconii.
(*b*) pag 30. tomi II. (*c*) pag. 497 tomi II. (*d*) cap. 7. (*e*) cap. XI verſ. 7, 8, & 9.
(*f*) lib. X Moral. cap. 8, alias num. 13, & ſeqq. (*g*) in pſ. 85. n. 12. (*h*) in lib. *contra object. Arianorum*, objection. & reſponſ. II.

Digitized by Google

ſanctorum Patrum expreſſa teſtimonia, ad ſententiam hanc confirmandam, afferri a me cupiat, en ſtatim Tertullianum (*a*): *Inviſibilis eſt* (inquit ille), *et ſi videatur : incomprehenſibilis, & ſi per gratiam repræſentetur : inæſtimabilis, & ſi humanis ſenſibus æſtimetur: adeo verus, & tantus eſt. Ceterum quod videri communiter, quod comprehendi, quod æſtimari poteſt, minus eſt & oculis, quibus occupatur, & manibus, quibus invenitur. Quod vero immenſum eſt, ſoli ſibi notum eſt. Hoc eſt quod Deum æſtimari facit, dum æſtimari non capit. Ita eum vis magnitudinis & notum hominibus objecit, & ignotum. Et hæc eſt ſumma delicti nolentium recognoſcere quem ignorare non poſſunt.*

Quem viſus eſt Ambroſius ſequi (ſi Ambroſius eſt is, cui librum *de Divinitate Filii* tribuis; de quo vide quæ diximus annotatione (*i*) ad num. 20. pag. 59, & 60), dum hæc de Deo ſcripſit (*b*): *Hic eſt de quo & cum dicitur, non poteſt dici: cum æſtimatur, non poteſt æſtimari : cum comparatur, non poteſt comparari; cum definitur, ipſa ſua definitione creſcit.*

35 *Inviſibilem* (Deum). Copioſe de hoc dogmate Theologi diſputant. Nos, quibus propoſitum eſt hiſce in annotationibus diſputationes effugere, muneri noſtro ſatisfeciſſe arbitramur, ſi Lectorem amandemus ad Petavium, qui copioſiſſime hac de re diſſerit. Vide itaque, obſecro, Tomum I lib. VII capite primo; ibi quippe collegit Veterum teſtimonia. His ea adde, quæ docet Hilarius in Commentariis in Pſal. CXVIII (*c*). Ea quoque, quæ ex commentariis in Pſalmum 135 annotatione 38 allegabimus, quippe ibi Deus *inconſpicabilis* dicitur. Sed quoniam antea Auſonium me allegaturum fore dixi, en illum, cujus quidem auctoritate & id, quod nunc agimus, & ea, quæ num. 32, & ſubſequentibus duobus tradita ſunt, facile confirmantur. Sic porro ille Deum Patrem deprecatur (*d*).

Omnipotens, quem mente colo, pater unice rerum,
Ignorate malis, & nulli ignote piorum,
Principio, extremoque carens, antiquior ævo,
Quod fuit, aut veniet, cujus formamque, modumque
Nec mens complecti poterit, nec lingua profari,
Cernere quem ſolus, coramque audire jubentem
Fas habet, & patriam propter conſidere dextram
Nongenito genitore Deus.

36 *Et impaſſibilem.* An paſſiones a Deo hic arcet Hilarius, an mutabilitatem? an utrumque? An potius ad Patrem hæc refert, quippe qui carnem minime aſſumpſit, in qua paſſus eſt Filius? Judicet Lector. Profecto ut denotet Filium Dei Verbum eſſe Deum, Patrique conſubſtantialem, docet naturam impaſſibilem fuiſſe illi a Patre communicatam. *Omnibus Creaturis* (inquit ille (*e*)) *ſubſtantiam voluntas Dei attulit; ſed naturam Filio dedit ex impaſſibili, ac non nata ſubſtantia perfecta nativitas* (*f*). Impaſſibilitatem ſane expreſſe amovet a Patre in Divini Filii generatione in libro de Synodis (*g*). Et alibi (*h*) *Novit* (inquit) *in ſpiritu Deum ſpiritum impaſſibilem, & indeſecabilem.*

37 Is cui tituli hi, & attributa deſunt, fictitius eſt, non verus Deus. Hæc autem ideo expreſſe tradit, ut puto, Hilarius, ut confeſſionem ſuam opponat confeſſioni Arii, qui ut fucum incautis faceret, perfectiones, & attributa Dei expreſſe recenſuit, expoſuitque. *Novimus unum* (ajebat ille (*i*)) *Deum, ſolum infectum, ſolum ſempiternum, ſolum*

(*a*) cap. 17. Apologet. (*b*) *De Divinit. Filii* cap. 6. (*c*) Litt. VIII. n. 7. ad verba illa, *deprecatus ſum faciem tuam in toto corde meo &c.* (*d*) in *precat. matut.*
(*e*) De Syno. n. 58. pag. 495. (*f*) Præter ſuperiorem locum, vide quæ tradit n. 59.
(*g*) *Et ſi ipſa paterni nominis, per quod impaſſibilis origo naſcentis, &c.* n. 24. (*h*) lib. IV. *de Trinit.* n. 6. (*i*) apud Hilar. lib. IV *de Trinit.* n. 12, & lib. VI *de Trinit.* n. 5.

lum ſine initio, ſolum verum, ſolum immortalitatem habentem, ſolum optimum, ſolum potentem, omnium Creatorem &c. Eaque ratione Catholicos ſugillare in animo habebat; quippe qui (eo judice) Deum in perſonas dividentes, divinas perfectiones imminuerent. Hilarius itaque Orthodoxorum cauſam defendendam ſuſcipiens, hæc quoque a ſe admitti fatetur, ideoque admitti fatetur etiam in perſonarum Trinitate *Deum non factum, incomprehenſibilem &c.*

38 Aliquando dubitavi, num verba iſta, *qui quædam generaverit*, obſcuriore quadam ratione divinam Verbi generationem innuerent; cum enim ſuperiora verba facile referri poſſint ad Patrem, ſuſpicabar ne (quod jam dixi) divina generatio his vocibus indicaretur. Sed deinceps ſuſpicionem omnem amovi. Quis enim putet, unigenitum Dei filium, quem tam crebro, tam perſpicue a creaturis ſecernit Hilarius, communi illa voce *quædam* fuiſſe, deſignatum? Arbitror itaque longe conſultius eſſe, ut generationem illam, cujus hic Hilarius meminit, ad eas referamus creaturas, quas intelligentia etiam ornatas voluit: intelligentia enim Deo ſimiles, gratia *divinæ naturæ* quodam modo *conſortes* facit (*a*), & filiorum Dei titulo, ac dignitate honeſtat. Sane verba illa Job (*b*): *cum .... jubilarent omnes filii Dei*, de Angelis plerique intelligunt, propter egregiam eorum intelligentiam, & gratiam. Quid? quod Hilarius ipſe hæc tradit (*c*): *Sed cum regionem cognitioni ſuæ, qui infinitus eſt, collocaret; cœlo ſuperiore atque primo, eodemque in orbe collocato terminum quemdam virtutibus, quæ primæ ad cognoſcendum ſe gignerentur, incluſit. Neque enim gignendæ creationes virtutem inconſpicabilis Dei ferre potuiſſent, niſi naturæ temperatioris objectu ſedem hanc moderatæ ad infirmitatem habitationis incolerent.* Alibi tamen monet, eos ipſos, quos & *filios*, & *genitos* dici poſſe fatetur, *cum proprietatis* tamen *ſignificatione* minime dici; nam ſi proprie loqui volumus, nos per gratiam filii efficimur, non naſcimur filii; ideoque *adoptione*, & *electione*, non generatione, rigoroſe ſcilicet, & proprie accepta (*d*).

In eo itaque ſenſu nos a Deo *genitos* dicere Hilarius potuit, quo ſenſu *Dei genus* nos appellari docet Paulus; quippe hæc in Areopago concionem habens, dixerat (*e*). „ *In ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus: ſicut & quidam veſtrorum Poetarum dixerunt:* ipſius enim & genus ſumus „. Ea quæ diſſertatione III copioſe dicemus, ad hunc locum illuſtrandum afferri commode poterunt.

39 Locus hic paulo obſcurior eſſe videtur. Suſpicatus ſum aliquando, amanuenſis licentia legi *ordinaverit*, *exornaverit*, cum fortaſſe in primævo exemplari legeretur, *exornaverit*, *ordinaverit:* Ordinaverit, inquam, *optimum, juſtum mandare judicem:* ideſt conſtituerit optimum, & juſtum judicem mandare, ſeu imperare, & judicium juſtum exercere. Deinceps tamen adverti, legi adhuc poſſe, uti in noſtro codice legitur,

(*a*) II. Petri I. 4. (*b*) cap. 38. verſ. 7. (*c*) in tractat. in Pſal. 135. n. 8, ad verba illa: *qui fecit cœlos in intellectu*.

(*d*) „ Niſi forte in eo quod ait: *Filius primogenitus ejus Iſrael*, quiſquam hoc quod *primogenitus meus* dixit, ad detrahendam Filio proprietatem generationis intelliget; ut quia & de Iſrael dixerit *meus*, aſſumtio factorum filiorum pro nativitatis proprietate uſurpata ſit; & idcirco non ſit nativitati Dei proprium, quod de eo dictum eſt, *Hic eſt Filius meus dilectus*, cum *meus* etiam illis proprium eſſe dicatur, quos non natos eſſe manifeſtum eſt. Non natos autem eſſe, licet nati eſſe dicantur, vel ex eo docetur, cum dicitur, *Populo qui naſcetur, quem fecit Dominus*. Ergo populus Iſrael naſcitur ut fiat: neque per id quod naſci dicitur, non intelligitur & fieri. Ex adoptione enim eſt filius, non ex generatione; neque ei proprietas, ſed nuncupatio eſt. „ Hilar. lib. XII *de Trinit.* num. 14.

(*e*) Act. 17. verſ. 28.

gitur, ideſt *ordinaverit*, *exornaverit*. Recole hic, quod paulo ante poſitum fuerat: *Deum vera fides ita ſemper expoſuit. Non natum &c.* Tum porro ſenſum hunc habent allegata verba: *Vera fides ita ſemper expoſuit, ut agnoſcamus non natum .... eumque optimum juſtum mandare judicem*.

Quod ſi quæras, quænam fecerit Deus, quænam diſpoſuerit, quænam ordinaverit, quænam vero exornaverit; ajo, naturas omnes, earumque genera, et ſpecies ab initio a Deo fuiſſe factas: *In principio creavit Deus cælum, & terram &c.* Neque vero corporalia tantummodo condidit Deus, verum etiam ſpiritualia. Vide quæ tradidimus adnotatione X, & XVIII. Diſpoſuit ſolem, & lunam, & ſtellas, *ut dividant diem, ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cæli, & illuminent terram* (*a*). Diſpoſuit proinde temporum viciſſitudines omnes, & intervalla. Res quoque ipſas diſpoſuit: raras enim ubique obvias invenies; ſed cuncta fere locis ſuis diſpoſuit, & aptavit. Nonnulla eo de argumento habet liber Job (*b*), quem conſulas opto, & apertiſſime liber Sapientiæ (*c*): *Omnia in menſura, & numero, et pondere diſpoſuiſti*. Et inter profanos auctores Virgilius: *Non omnis fert omnia tellus*. Cur vero? quia, uti diximus, cuncta *in menſura, & numero, & pondere diſponens* Deus, quamlibet portionem Mundi carere aliquibus voluit, quæ ab aliis repeteret regionibus, ut homines mutuis ſe officiis adjuvarent.

Ordinavit autem (Auguſtino judice) privationes etiam, & peccata. Recole quæ adnotatione X diximus; quibus ea adde, quæ idem Auguſtinus in Pſalmum LI (*d*) docuit. Quæ quidem omnia experientia nituntur, & vetuſto illo Salomonis effato (*e*): *Univerſa propter ſe met ipſum operatus eſt Deus: impium quoque ad diem malum*. Dum porro peccatores, eorumque errores a Deo ordinari affirmo, ægritudines, morbos, aliaque hujus generis peccati quidem pœnas, ſed tamen meriti noſtri occaſiones, atque incitamenta ad patientiam, ordinari etiam ajo.

40 Exornavit porro Deus non pauca in hoc mundo, atteſtante id experientia, & Scriptura verbis illis (*f*): *Igitur perfecti ſunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorum*. Atque a cœlorum quidem ornatu, eorum auctorem innoteſcere facile poſſe, manifeſto conſtat ex illis verbis (*g*): *cæli enarrant gloriam Dei, et opera manuum ejus annunciat firmamentum*. Sicut autem cœlorum ornamenta ſtellæ ſunt, ita terræ ornamenta frutices, arbores, & herbæ ſunt, quorum omnium innumera, ac varia genera Deum omnipotentem illorum auctorem oſtendunt (*h*), adeo ut *inexcuſabiles ſint, qui Deum agnoſcentes, non ſicut Deum glorificaverunt* (*i*). Vide quæ de hoc argumento Theologi diſputant, ac præſertim Petavius tomo I Theologic. dogmat. cap. I. Nefas porro ſit, dum Hilarium illuſtro, alium ejuſdem Hilarii prolixiorem locum non adducere: Hæc ſcilicet alibi tradit (*k*): *Docemur etiam conſequentibus monitis ad ordinem obſequelæ, Propheta, vel Spiritu per Prophetam ita admonente*: Dicite Deo, Quam terribilia ſunt opera tua! *Quis enim non trepidet ad Majeſtatem ejus, qui ſecula inſtituerit, mundum condiderit; tempora revolubili viciſſitudine curſuque dimenſus ſit, cælum aſtris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluſerit, hominem, ut his aut uteretur, aut dominaretur, elegerit? Per hæc enim omnia virtutis, ac poteſtatis ejus æternitas noſcitur, Apoſtolo dicente*: „*Quæ enim inviſibilia ejus, a* „*creatura mundi ipſius factis intellecta* „ *ad-*

(*a*) Gen. I. 14. & Pſ. cxxxv 7, 8 & 9. (*b*) cap. 38. verſ. 4, 5. &c. (*c*) cap. XI. verſ. 21. (*d*) n. XV. *Ne putetis gratis eſſe malos in hoc mundo &c.* (*e*) Prov. XVI. 4. (*f*) Gen. II. 1. (*g*) Pſ. 18. verſ. 1. (*h*) Sap. 13. 5. (*i*) Rom. I. 19, 20, &c. (*k*) in Pſ. 63. n. 6. pag. 197 tomi I.

Digitized by Google

„ *adſpiciuntur*, *æterna quoque virtus ejus* „ *& divinitas*. „ *Hæc terribile nomen conditoris efficiunt*: *& operum dignitas majeſtatem ejus*, *qui ea ſit operatus*, *oſtendit*. *Horum igitur operum conditor eſſe Deus & a nobis prædicandus eſt*, *& a ceteris confitendus*. Affinia habet in commentariis in pſ. 118 (*a*).

41 Recole quæ antea dixi, annotatione ſcilicet 39. Si quis tamen aliqua deeſſe, aut male conſcripta, hic velit, illi minime obſiſtam. Chriſtum judicem noſtrum conſtitutum eſſe vetuſtæ ipſæ fidei noſtræ profeſſiones agnoſcunt, Symbolum Apoſtolicum, Irenæus, & reliqui omnes de potioribus fidei noſtræ articulis ſermonem habentes.

42. Hæc referenda ſunt ad ea, quę paulo ante dixerat: *quædam fecerit &c*. Recole quæ dixi num. 39, & 40.

43. *Tempus agnitionis* videtur hic Hilarius ſumere aut pro tempore, quo vivit homo, atque eo quidem perſpicere poteſt, quæ Deus condidit: aut pro tempore, quo Deus gratia ſua uberius adjuvat, ſtudetque deducere ad ſe. Reſpicere porro videtur Hilarius ad duos valde nobiles Scripturæ locos, quorum primus is eſt, quem legimus Lucæ 19. (*b*) *Quia ſi cognoviſſes & tu*, *& quidem in hac die tua*, *quæ ad pacem tibi*: *nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis*.... *non relinquent in te lapidem ſuper lapidem*, *eo quod non cognoveris tempus viſitationis tuæ*. Alter is eſt, quem habet epiſtola Pauli ad Romanos (*c*) iis verbis: *Revelatur enim ira Dei de cælo ſuper omnem impietatem*, *& injuſtitiam hominum eorum*, *qui veritatem Dei in injuſtitia detinent*: *quia quod notum eſt Dei*, *manifeſtum eſt in illis*; *Deus enim illis manifeſtavit*.

44 Prior pars hujus ſententiæ, nempe: *habiturus poſt exitum Judicem juſtum*, perſpicua eſt: eaque reſpicit ad judicium particulare cujuſque mortem proxime ſequens: antea porro ſumma capita fidei noſtræ recenſens judicium univerſale commemorat. Atque in hoc quidem particulari judicio ſententiam quiſque accipit ſuam, pro meritis ſcilicet bonis, aut malis. Id ſane indicare videtur Paulus, cum hæc ait (*d*): *Statutum eſt hominibus ſemel mori*: *poſt hoc autem judicium*. Etenim verba illa *poſt hoc autem*, judicium proxime ſequens indicant. Id pariter oſtenditur Epulonis, & Lazari exemplo; Epulo enim ſtatim ad Inferos detruſus eſt, Lazarus autem aſſecutus etiam ſtatim ſinum Abrahæ. Profecto Auguſtinus poſtremo hoc exemplo ſummum in modum nititur, hæc ſcriptis mandans (*e*): *Rectiſſimè*, *& valde ſalubriter credit judicari animas*, *cum de corporibus exierint*, *antequam veniant ad illud judicium*, *in quo eas oportet jam redditis corporibus judicari*.... *Quis adverſus Euangelium &c.*

Eadem alibi indicat (*f*); agnoſcit enim *præter extremum judicium*, *judicia alia*; *in quibus Deus judicet etiam de ſingulorum operibus propriis*; *& homines plerumque aperte*, *ſemper occulte luunt pro ſuis factis divinitus pœnas*, *ſive in hac vita*, *ſive poſt mortem*. Etenim ſi poſt mortem punit ea facta judicio aliquo, quod extremum non ſit, præcedat neceſſe eſt particulare judicium judicium extremum. Et de priore hujuſce ſententiæ parte hactenus.

Venio ad alteram, quæ multo difficilior eſt: hanc nempe: *qui non ſuo tempore ſe converti putaverit*, *ſed ex præterito*. An ad Judicem referuntur ea verba: *qui non ſuo tempore converti ſe putaverit*, an potius ad eum, qui cum factorem ſuum non *agnoverit in tempore agnitionis*, habiturus eſt eum poſt exitum, judicem juſtum? Utraque explicatio

(*a*) litte. x. n. 2. pag. 334 tom. 1. *commune judicium eſt &c.* (*b*) verſ. 42. (*c*) cap. 1. verſ. 18. (*d*) Hebræ. ix. 27. (*e*) *De anima*, *& ejus origine* lib. 2. cap. 4, alias n. 8. (*f*) lib. xx de Civit. cap. 1. n. 2. *quia & nunc judicat*, *& ab humani generis initio judicavit*, *&c.*

Digitized by Google

catio defendi fortaſſe poterit; ſed orationis ſeries, ac continuatio indicare videtur, ad judicem ea verba referenda eſſe, qui cum ab homine, dum adhuc vivit, exorari ſe ſinat, poſt mortem obſecrationes quaslibet rejicit. Hinc voces illas, *ſed ex præterito*, ſic interpretor, ut denotent: *ſed jam tempus aptum elapſum eſt*. Agunt hoc de argumento Theologi, & præſertim P. Liberius (*a*). Ego, cui multa hic congerere propoſita brevitas vetat, Hilarium tantummodo allego, duo illius loca indicans, quæ quoniam paulo longiora ſunt, Lectorem deprecor, ut ea per ſe legat. Sunt porro numerus 23 commentariorum in Pſal. II (*b*) (*Confeſſio tantum in ſæculo &c.*) et numerus 4 Commentariorum in caput XXVII Matthæi, in quo quidem loco explicatur parabola decem Virginum (*Sponſus, atque ſponſa &c.*)

45 Ideſt, oportet hæc de Deo credere.

46 Si deeſſe putes (deeſſe autem poteſt ob amanuenſis indiligentiam) in noſtro codice, poſt vocem *crediderit*, particulam *&*; adeo ut legendum arbitreris: *qui crediderit, & abſtinet ſe .... requiem habebit &c.*; tum idem denotat hæc Hilarii ſententia, atque illa Gregorii Magni illuſtrantis nobilem Euangelii locum: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* „ Fortaſſe, inquit (*c*), unuſquiſque apud ſe „ met ipſum dicat: Ego jam credidi, ſalvus „ ero. Verum dicit, ſi fidem operibus „ tenet: vera etenim fides eſt, quę in „ hoc, quod verbis dicit, moribus non „ contradicit: Hinc eſt enim, quod de „ quibuſdam falſis fidelibus Paulus di- „ cit (*d*): *qui confitentur ſe noſſe Deum*, „ *factis autem negant*. Hinc Joannes „ ait (*e*): *Qui dicit ſe noſſe Deum, &* „ *mandata ejus non cuſtodit, mendax* „ *eſt* „. Immo id ipſum denotat etiam Hilarius numero IX commentariorum in pſalmum XIV: quem quidem Hilarii locum ſubſequenti annotatione allegabimus.

Si vero defuiſſe in primævo ipſo exemplari putes particulam *&*, legendumque ſit, uti in codice noſtro legitur, *qui crediderit, abſtinet ſe &c.*; tum ſic explica: Qui vere credit, is abſtinet ab omni injuſtitia, id ſcilicet executus, quod fides noſtra agere nos jubet. Apte Jacobus Apoſtolus (*f*): *Fides ſi non habeat opera, mortua eſt &c.*

47 Adeo frequentes ſunt promiſſiones, quibus certi efficimur, per proba opera æternam nobis requiem eſſe conferendam, ut inutile videatur teſtimonia multa ad id facientia congerere. Unicam, ſed perſpicuam Chriſti ſententiam hic proferam: poſcenti enim ab ipſo (*g*): *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam*, hęc repoſuit: *Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata .... Non homicidium facies: Non adulteraberis: Non facies furtum: Non falſum teſtimonium dices: Honora Patrem tuum, & matrem tuam: & diliges proximum tuum ſicut te ipſum.* Vitam (quod alibi dixi) hic intellige vitam eam, quæ alibi ſimpliciter *vita* (*h*), alibi *corona vitæ* appellatur (*i*).

Sed quænam, inquies, requies ea eſt, quam habebimus *in vita*? Ea, de qua ait Paulus (*k*): *Feſtinemus ingredi in illam requiem*; & de qua agit Muratorius in eo libro, quem inſcripſit *de Paradiſo contra Burnetum* (*l*); in eo quippe veterum Patrum loca collegit, ex quibus conſtet, requiei nomine veram, perfectamque beatitudinem intelligi. Mihi, cui paucis in his adnotationibus diſſerere licet, ſatis eſt unum allegare ex Eccleſiaſticis precibus deſumptum locum; quippe ante Pium V in vigilia Aſſumptionis Mariæ preces hæ reci-

(*a*) Tom. 1 controverſiarum tractat. III *de ſtatu animarum* par. 1. controv. 1.
(*b*) pag. 92 tomi 1. (*c*) homil. 29 in Euange. n. 3. (*d*) Tit. 1. 16. (*e*) 1. Joa. 2. 4.
(*f*) cap. 2. verſ. 17. (*g*) Matth. XIX. 16. (*h*) Matth. VII. 14. Rurſus XVIII. 8.
(*i*) Jacob. 1. 12. Apoca. 2. 10. (*k*) Hebr. IV. 11. (*l*) cap. IV. pag. 38, & ſubſeq.

Digitized by Google

recitandæ præſcribebantur. *Concede miſericors Deus fragilitati noſtræ præſidium, ut qui Sanctæ Dei genitricis requiem celebramus, interceſſionis ejus auxilio a noſtris iniquitatibus reſurgamus. Per eundem &c.* Quas ſi immutavit ſanctiſſimus Pontifex, non propterea immutavit, quia minus convenientes putaret, ſed ne ii, quibus cordi erat Eccleſiam Romanam ubique diſtringere, hanc habere vel minimam poſſent occaſionem, qua eam carperent, veluti ſubobſcure de cœleſti beatitudine loquentem.

Verum, ne, dum Hilarii dicta expendimus, ejuſque ſenſa inveſtigamus, alia ſancti Doctoris loca eodem ſpectantia negligere videamur, ecce illa, ex quibus ſane manifeſto conſtat, *quietis æternæ* nomine æternam ab eo intelligi beatitudinem. Commentariis illuſtrans verſiculum primum Pſalmi XIV: *Domine quis habitabit &c.*, hæc ait (*a*): *Oratio eſt ſimplex Dominum precantis, & optantis ab eo noſcere, qui mores, quod ſtudium, quæ voluntas ſit cohabitaturi cum Deo, & in excelſis ejus, & cœleſtibus quieturi.* Et numero nono (*b*) explicans hæc ejuſdem XIV Pſalmi verba: *qui non egit dolum in lingua ſua*, ſcriptis hæc tradidit. „Ut veritatem, quam ſentit, „non fallat in verbis; ut Catholicæ „doctrinæ profeſſionem, & ita ſentiendi, ac prædicandi judicium etiam operatio conſequatur: quia ſecundum Apoſtoli teſtimonium ut in corde creditur, ita in ore confeſſio fit ad ſalutem. Ergo ut ſit in Dei requiem „dignus adſcenſus, in verborum ac linguæ veritate vivendum eſt: ut per operationum fidem ſenſus noſtri verba „non falſa ſint.

Confer autem, obſecro, jam allegata præſentis epiſtolæ verba: *Æternam requiem habebit in vita*, cum iis, quæ docet Hilarius explicatione ſua illuſtrans Pſalmum LXII, videbiſque hac ipſa ſententiarum collatione, quam merito dixerim, ejus, de qua diſſerimus, Epiſtolæ auctorem Hilarium eſſe. Ecce porro quæ in illum Pſalmum Hilarius docet (*c*): *Eſt et vita poſt vitam, quia in Abrahæ ſinibus vivendum eſt, in qua Dei nomen pauperis quiete benedicitur.*

48 Aliqua deeſſe hic videntur, per quæ via ſternatur ad copioſiorem explicationem verborum illorum: *Deinde credendum illis, Jeſum Chriſtum filium Dei &c.*

49 Rejicit hic Hilarius perridiculas illas, & turpes deorum genituras, quas Ethnici confinxerunt, ſexuum commiſtionem minime veriti interdum inducere; quos imitari viſi ſunt nonnulli hæretici, quos refellit Irenæus (*d*), & recenſet Petavius (*e*). Alibi ſane Hilarius eundem errorem videtur refellere, cum hæc ait (*f*): *Novit* (Eccleſia) *in ſpiritu Deum Spiritum impaſſibilem, & indeſecabilem: didicit enim a Domino, ſpiritui carnem, & oſſa non eſſe: ne forte cadere in eum corporalium paſſionum detrimenta credantur.* Rejicit pariter illam Filii generationem, quam per ſummam amentiam excogitarunt nonnulli, Sabellii, ut puto, aſſeclæ, qui, ut verbis Hilarii utar (*g*), *vocem hanc* ὁμοούσιον *hoc ſenſu uſurparunt, atque elocuti ſunt, tanquam ipſe ſit pater, qui & filius, ex infinitate videlicet ſua protenſus in Virginem, ex qua corpus aſſumens, ſibi in eo corpore, quod aſſumpſerit, filii nomen addiderit.*

50 Eos pariter rejicit, qui purum hominem Chriſtum eſſe dixerunt (*h*): eos quoque, qui fingere eum poterant ſpiritum quendam Deo minorem, qui carnem deinceps in Virgine ſuſcepiſſet: vult quippe indubitate ex Deo genitum, ideoque verum Dei Filium, proindeque Deum verum.

51 Er-

(*a*) pag. 69. (*b*) pag. 74. (*c*) n. 7. in Pſal. LXII. pag. 174. (*d*) lib. I. cap. I. Rurſus lib. IV. cap. I. quibus adde quæ habet Epiph. hær. XXXI. (*e*) Vide quæ tradit Petavius lib. V *de Trinita.* 8, 9, & 12. (*f*) lib. IV *de Trinita.* n. 6.
(*g*) lib. IV *de Trinita.* n. 4. pag. 73 tom. II. (*h*) Vide quæ tradit Hilarius *de Syno.* n. 38. can. VI, & VII.

Digitized by Google

51 Error aliquis procul dubio in hæc verba irrepſit: *non diviſa ejus ſubſtantia, nec majeſtatis ejus diviſa ſubſtantia, ac per hoc paſſibilis videatur.* Scilicet aut gloſſema quoddam priorum verborum, *non diviſa ejus ſubſtantia*, ſunt poſteriora iſta verba, *nec majeſtatis ejus diviſa ſubſtantia*, quæ ex margine in epiſtolam ipſam irrepſerunt; aut legendum eſt, *nec majeſtatis ejus imminuta ſubſtantia.* At quomodo, inquies, cum ſuperioribus ſubſequentia congruunt, ac connectuntur: *nec majeſtatis ejus diviſa ſubſtantia, ac per hoc paſſibilis videatur?* An Filius ex eo quod ex indiviſa Patris ſubſtantia prodit, paſſibilis aut *videtur*, aut eſt? Aut itaque emendandus eſt rurſus codex, legendumque, *ne per hoc paſſibilis videatur*; foret enim paſſibilis Pater, ſi ſubſtantia ejus ſcinderetur: aut ita accipienda ſunt verba iſta, *ac per hoc paſſibilis videatur*, ac ſi diceret: Fatemur quidem ex ſe (ideſt ex Deo Patre) Filium *natum*, ſed ita ut individua permaneat illius (Patris) ſubſtantia; nam ſi dividuam facis, paſſibilis videtur, ſeu apparet: poſito ſcilicet ſubjunctivo, pro indicativo, quod ſæpe facit Hilarius (*a*). Nimirum Arius, illiuſque aſſeclæ Catholicos accuſabant, quod, dum Filii generationem explicare ſtudebant, in eorum errorem inciderent, qui divinam dividebant, ſecabantque ſubſtantiam, eam veluti partientes in Patrem, & Filium: hinc in ſuis fidei profeſſionibus illud extollebant maxime, quod divinitatem in uno Patre agnoſcentes, Deum minime ſecarent, dividerentve, ſed integrum, ut ita loquamur, ſervarent. Audi, obſecro, quid Arius ipſe ad Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum ſcribens effutiat (*b*): *Novimus unum Deum ſolum infectum .... nunc Deum generaſſe filium unigenitum ante omnia ſecula, per quem & ſeculum, & omnia fecit. Natum autem non putative, ſed vere obſecutum voluntati ſuæ, immutabilem, & inconvertibilem creaturam Dei perfectam, ſed non ſicut unum de creaturis; facturam, ſed non ſicut ceteræ facturæ; nec ut Valentinus prolationem, natum Patris commentatus eſt: nec ſicut Manichæus partem unius ſubſtantiæ Patris natum expoſuit; nec ſicut Sabellius, qui unionem dividit, ipſum dixit filium, quem & Patrem; nec ſicuti Hieracas, lucernam de lucerna, vel lampadem in duas partes; nec qui fuit ante, poſtmodum natum, vel ſupercreatum in filium &c.* Neque vero id Arius tantummodo tradidit. Euſebius Nicomedienſis Epiſcopus, magni nominis inter Arianos, Catholicos perſtringere non eſt veritus (*c*), quaſi hi *Deum unum in duos diviſum, vel corporale aliquid quod patiatur, aſſererent, tum ex ipſo, vel ab ipſo Patre fuiſſe, ſicuti partem ejus, aut ex affluentia ſubſtantiæ.*

Eunomius ſimiliter (*d*) *filii ſubſtantiam a Patre genitam eſſe* ait, *non extenſione prolatam, nec incremento perfectam, non mutatione formatam:* quibus quidem verbis non modo ſuam ſententiam exponere, verum etiam Catholicos incuſare creditur, & reprehendere.

Hilarius itaque, ut eorum vafritiem eludat, & Catholicos a reprehenſione vindicet, non modo in eo libello, quem explanamus, verum etiam in libris aliis illud ipſum dogma inculcat, cujus

(*a*) Unicum porro affero, ſed notiſſimum exemplum deſumptum ex commentariis in Matthæum (canone 27, alias cap. XXVII. in Matth. 24. 48. atque eo quidem loco utimur in lectionibus tertii Nocturni in communi *Confeſſoris* Pontificis ſecundo loco). *Quia adventum deſperaverit, quia mandatis non obtemperaverit, quia præſentibus ſtuduerit, quia vita gentium vixerit, quia deſperatione judicii commiſſam ſibi familiam fame, ſiti, cæde vexaverit:* pro, deſperavit: non obtemperavit: ſtuduit: vixit: vexavit. Et ne ab hac ipſa epiſtola diſcedamus, paragr. III. pag. 30. hæc habet: *ut etiam quod propter nos fuerit fabricatum*: ideſt, *fuit fabricatum.* (*b*) Epiſtolam hanc habet græce Epiphanius hære. 69. n. 5. Sed ego latina Hilarii interpretatione utor lib. IV. *de Trinita.* n. 12. & lib VI. *de Trini.* n. 5.

(*c*) in epiſto. ad Paulinum Tyri Epiſcopum, quam commemorat Victorinus in præfatio. Operis *contra Arianos.* (*d*) Apud Nyſſenum lib. III contra Eunom.

cujus cauſa ſe a Catholicorum partibus receſſiſſe ajebant Ariani. Libro 2 *de Trinitate* (*a*) hæc ait. *Sed neque pars Patris in Filio eſt .... Neque natura habet omnia eſſe, quod portio eſt. Perfectus autem a perfecto eſt: quia qui habet omnia, dedit omnia. Neque exiſtimandus eſt non dediſſe, quia habeat, vel non habere, quia dederit.*

Libro 3 de Trinitate (*b*): „ Igitur perfecti Patris perfectus Filius, & ingeniti Dei unigenita progenies, qui ab eo, qui habet omnia, accepit omnia, Deus a Deo, ſpiritus a ſpiritu, lumen a lumine, confidenter ait: *Pater in me, & ego in Patre*: quia ut ſpiritus Pater, ita & Filius ſpiritus; ut Deus Pater, ita & Filius Deus; ut lumen Pater, ita & Filius lumen. Ex iis ergo quæ in Patre, ſunt ea in quibus eſt Filius, id eſt, ex toto Patre totus Filius natus eſt; non aliunde, quia nihil antequam Filius; non ex nihilo, quia ex Deo Filius; non in parte, quia plenitudo Deitatis in Filio; neque in aliquibus, quia in omnibus: Sed ut voluit qui potuit, ut ſcit qui genuit.

Rurſus in eandem ſententiam (*c*): „ Deum nemo noſcit, niſi confiteatur & Patrem, patrem unigeniti Filii, et Filium non de portione, aut dilatatione, aut emiſſione, ſed ex eo natum inenarrabiliter, incomprehenſibiliter, ut Filium a Patre, plenitudinem divinitatis, ex qua, & in qua natus eſt, obtinentem, verum & infinitum, & perfectum Deum; hæc enim Dei eſt plenitudo. Nam ſi horum aliquid deerit, jam non erit plenitudo, quam in eo habitare complacuit. Hoc a Filio prædicatur, hoc ignorantibus manifeſtatur: ſic clarificatur per Filium Pater, cum pater Filii talis agnoſcitur.

Deinceps vero, ac præſertim numero nono, & ſubſequentibus libri VI quaſlibet explicationes hęreticas, quarum jam meminimus, nominatim & expreſſe condemnat. Pauca delibemus ex plurimis. „ (*d*) Manichęum, ſecundum hæreticæ inſaniæ prædicatores, pia Eccleſiæ fides damnat. Neſcit enim in Filio portionem: ſed ſcit Deum totum ex Deo toto; ſcit ex uno unum; non deſectum, ſed natum; ſcit nativitatem Dei nec diminutionem eſſe gignentis, nec infirmitatem eſſe naſcentis .... Hęc enim ita ei a Deo unigenito comperta ſunt, quod Pater, & Filius unum ſunt, quod plenitudo Deitatis in Filio eſt: per quod & portionem unius ſubſtantiæ odit ad Filium, & per nativitatis veritatem, veræ Divinitatis proprietatem veneratur in Filio.

Sic porro tum eos, qui in prolatione quadam Divini Verbi generationem collocabant, tum eos etiam, qui Patrem corporeum fore dicebant, & mutabilem, ſi filium genuiſſet ad eum modum, quo Orthodoxi contendebant: Sic, inquam, impios hos & diſputantes inducit, & refutat (*e*). „ Si, inquit, ex Deo eſt Filius, demutabilis, & corporeus Deus eſt, qui ex ſe protulerit, vel extenderit quod ſibi eſſet, in Filium. Quid ſollicitus es, ne demutabilis Deus ſit? Nos nativitatem confitemur; nos unigenitum prædicamus ex Deo docti: tu, ne nativitas maneat, ne unigenitus Deus in Eccleſiæ fide ſit, naturam indemutabilis Dei, quæ nec extendi, nec protendi poſſit, opponis. Afferrem tibi, infelix error, etiam ex rebus mundi quarumdam naturarum, quæ gignuntur, exemplum, ne nativitatem protenſionem exiſtimares, ne naſcentium naturas detrimenta crederes eſſe gignentium, ut etiam multa ſine corporali admixtione ex viventibus in viventes animas gignerentur: niſi nefas eſſet Deo de ſe non credidiſſe, & ultimi furoris veſania judicaretur, adimere auctoritatem ad fidem, cui venerationem profitearis ad vitam.

Rur-

(*a*) n. 8. (*b*) n. 4. (*c*) lib. III. *de Trinita.* n. 17. (*d*) lib. VI. n. 10. (*e*) lib. VI. *de Trinit.* n. 17.

Digitized by Google

Rurſus numero undecimo libri VII de Trinitate: *Non enim, ſicut frequenter dictum a nobis eſt, diviſionis in Filio, ſed nativitatis ſacramentum prędicamus*. Vide quæ annotant in locum hunc PP. S. Mauri. Denique, ne cuncta afferam, copioſiſſime hoc de argumento diſſerit num. 22, & 33 libri, quem *de Synodis, ſeu de Fide Orientalium* inſcripſit. Si multa porro hoc de argumento cupis, Petavium conſule (*a*). Hic tantum proferre placet Alexandrum Alexandrię Epiſcopum, quem magnum habemus Catholicæ veritatis vindicem. (*b*) *De quibus* (de Patre & Filio loquitur) *nos ita credimus, quem ad modum Apoſtolica ſentit Eccleſia: in unum ingenitum Patrem.... Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum Filium Dei unigenitum: non ex nihilo genitum, ſed ex eo qui Pater eſt: non corporum more per inciſiones, aut defluxus diviſionum, quem ad modum Sabellio videtur, & Valentino, ſed inexplicabili, & inenarrabili quodam modo juxta Prophetæ verba, quæ ſupra retulimus: Generationem ejus quis enarrabit?* Conſule, obſecro, quę hoc de argumento Gezo Derthonenſis Abbas edidit (*c*); atque ex iis diſces, quanti apud veteres Hilarii auctoritas conſtiterit.

52 Recole dicta n. 19. Hic tantum Athanaſii monita hoc ipſo de argumento affero (*d*). *Verbum non diſſolubiliter, neque ſimpliciter vox eſt ſignificativa, ſed ſubſtantiale Verbum eſt, & ſubſtantialis Sapientia, quæ revera eſt Dei filius: nam niſi ſubſtantialis eſt, erit Deus loquens in aerem, atque corpus, nihil hominibus amplius habens &c.* Reliquos Patres eo de argumento diſſerentes conſule apud Petavium eo ipſo, quem adnotatione 19 dixi, loco; ſcilicet capite II libri VI *de Trinitate*.

53 Subſtitue *Filiis*, ſeu, ſi vis, *Sermonibus*, quibus cave dicas æqualem, aut ſimilem Dei filium. Nimirum impetit hic Hilarius impiam Arii confeſſionem (*e*), qui faſſus Patrem, quem ſolum Deum agnoſcebat, *genuiſſe Filium unigenitum ante omnia ſecula, per quem & ſeculum, & omnia fecit*; addebat, *creaturam Dei perfectam, ſed non ſicut unam creaturarum: facturam, ſed non ſicut ceteræ facturæ &c.* Arbitror autem edocere hic velle Hilarium, ſi admittatur Filius ex nihilo editus (quod neceſſe eſt faciat, qui creaturam tametſi perfectiſſimam, eum agnoſcit), ſimilem, atque adeo æqualem reliquis creaturis fore in potiſſima, & eſſentiali Creaturæ notione unigenitum Dei: id enim tantummodo ſejungit Creaturam a Deo, quod Creatura *ex nihilo* ſit; Deus *ex ſe*. Ariana porro opinio adeo diſplicuit aliis omnibus, qui plane Ariani non erant, ut damnata ſit ab iis ipſis, qui non omnino Catholici crediti ſunt. Hæc ſane in Sardicenſi Synodo ſtatuta ſunt (*f*): *Eos autem, qui dicunt, de non extantibus eſſe Filium Dei, vel ex alia ſubſtantia, & non ex Deo.... anathematizat Sancta, & Catholica Eccleſia*. Immo in ſecunda Syrmienſi Synodo, cujus fidei profeſſionem Hilarius profert, idem error condemnatur his verbis (*g*): *Eos autem, qui dicunt: De nullis extantibus filius, vel de altera ſubſtantia, & non ex Deo, & quod erat tempus, vel ſeculum, quando non erat, alienos ſcit ſancta, & Catholica Eccleſia*. Ut reliquos porro præteream, qui hanc Arii blaſphemiam refutarunt, ſæpe illam, & luculente repellit Hilarius. Unum ſeligo, ne in re notiſſima videar abundare, Hilarii locum. Numero II libri XII *de Trinitate* (*h*) ſcriptis hæc tradidit: *Non enim Dominum Jeſum Chriſtum creaturam, quia neque ipſe eſt: neque facturam*

(*a*) lib. V *de Trinitate* cap. VI. Et rurſus cap. VIII. n. 9, & ſequen. (*b*) in Epiſto. ad Alexan. Conſtant. Epiſ. apud Theodor. lib. I Eccle. hiſt. cap. 4. (*c*) *De Corpo. & Sangu. Chriſti* cap. I. & ſequen. pag. 253 tom: III Anecdo. Murator. (*d*) oratione V, Petavio, ut puto, interprete, in lib. VI *de Trinita.* cap. 2. n. 9. (*e*) apud Hila. lib. IV *de Trinita.* n. 12. & lib. VI. n. 5. (*f*) Hila. *de Synod.* n. 34, & 35. (*g*) ibid. n. 38. anath. I. (*h*) pag. 409 tomi II

ram, quia facturarum omnium ipſe eſt dominus; ſed Deum novimus, Deum Dei Patris propriam generationem &c.

54 Expreſſiſſima hæc eſt Hilarii ſententia, ex qua quidem facile innoteſcat, unum eundemque eſſe utriuſque operis auctorem (*a*). *Habent igitur nativitatis hujus uterque ſecretum. Et ſi quis forte intelligentiæ ſuæ imputabit, generationis hujus ſacramentum non poſſe ſe conſequi, cum tamen & Pater ſit abſolute intellectus, & Filius; majore iſtud dolore a me audiet ignorari. Ego neſcio, non requiro; & conſolabor me tamen. Archangeli neſciunt, Angeli non audierunt, ſecula non tenent, Propheta non ſenſit, Apoſtolus non interrogavit, Filius ipſe non edidit.* Inenarrabilem etiam unigeniti divini Filii nativitatem appellat n. 12 lib. II, & num. 16 libri VI *de Trinitate.*

Sed ne ſolum Hilarium proferre videar, ecce tibi Athanaſium (*b*) hæc proferentem. „ Indecorum eſt quærere, „ quomodo ex Deo Verbum exiſtat, aut „ quomodo ſit Dei ſplendor, aut quo„ modo generet Deus, & quis ſit modus „ generationis Dei. Inſanus enim ſit, „ qui talia audeat, cum inexplicabilem „ rem, ac divinæ naturæ propriam, ſo„ lique ipſi, & ejus Filio cognitam, o„ ratione ſua declarare conetur. Perin„ de eſt enim, ac ſi iidem inquirerent, „ ubi ſit Deus, & quomodo ſit Deus, „ & cujuſmodi ſit Pater. Sed ut tale „ aliquid ſciſcitari impium eſt, & eo„ rum proprium, qui ignorant Deum; „ ita neque fas eſt in Filii percontanda „ generatione eamdem audaciam ſumere. Quin & Prudentius (*c*) non Poetæ, ſed Theologi perſonam agens Arianos ineffabilis generationis audaciſſimos inveſtigatores verſibus his caſtigat.

Pergunt ulterius ſcrutantes, quid ſit
id ipſum
Gignere, ſi fas eſt humanos tendere ſenſus
Uſque ad ſecretum, quod tempora cuncta, dieſque
Prævenit antiquos, & principium ſuper ipſum
Eminet, & quodcumque poteſt homo quærere, tranſit.
Cum ſit difficilis via, noſcere principiorum
Semina; cui dabitur mortali exquirere, quidnam
Ultra principium Deus egerit? aut quo pacto
Ediderit Verbum, quod principio caret omni?
Hoc ſolum ſcimus, quod traditur eſſe Deus, quem
Non genitus genitor generaverit, unus, & unus.
&c.

Patres alios ſi cupis, eos tibi præbebit Petavius (*d*). Unum ſeligo, quem hic proferam, Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, præclariſſimum Arii, illiuſque hæreſeos reprehenſorem (*e*). *Solertiſſimam* (inquit ille) *Evangeliſtarum, ipſorumque adeo Angelorum comprehenſionem tranſcendit unigeniti Filii Dei inexplicabilis ſubſiſtentia. Quare inter pios, meo quidem judicio, cenſendus non eſt &c.*

55 Loca illa Hilarii, & Alexandri Alexandrini, quæ modo allegavimus, hic recole: *Angeli neſciunt, Angeli non audierunt &c.* Sed ea, quæ mox afferemus, hic quoque, ſi vis, afferre commode potes. Epiſtola porro, quam dixi, Alexandri Alexandrini copioſiſſime hoc argumentum exſequitur.

56 Quamquam Arius æternitatem Filii viſus ſit admiſiſſe, dum fatetur, *Deum* (Patrem) *genuiſſe filium unigenitum ante omnia ſæcula, per quem & ſæculum, & omnia fecit*; revera tamen æternum eſſe negavit, *ſolum Deum* (Patrem) *infectum, ſolum ſempiternum, ſolum ſine initio, immortalitatem habentem* (*f*) agnoſcens. Quem quidem errorem ſecutos fuiſſe deinceps Arii in impietate con-

(*a*) lib. II *de Trinita.* n. 9. pag. 32. (*b*) Orat. III. pag. 214. (*c*) In Apotheoſi.
(*d*) lib. V *de Trinita.* cap. 6. (*e*) apud Theodo. lib. I Hiſt. cap. 4. (*f*) apud Hila. lib. IV *de Trinita.* n. 12.

Digitized by Google

conſectatores, diſcis ex iis monumentis, quæ copioſe collegit Petavius, e quibus aliqua ſeligo, quę ad paginę calcem noto (*a*), quæque ut per ſe ipſe conſulat Lector, rogo, eum deprecans, ut Alexandri Alexandriæ Epiſcopi quam dixi epiſtolam legens, plane videat, quantum Catholicis adverſus Arium decertantibus ſtatim cordi fuerit, æternitatem divini Verbi inculcare. Quamquam porro aut mitiores, aut fortaſſe callidiores quidam Ariani filium *ante tempora* genitum facile admitterent; ſi ab eis tamen expoſcebatur, ut coęternum Patri faterentur, id facere recuſabant; ſed quędam tempora, quæ *putatitia*, *commentitia*, *imaginaria*, *priora* nonnulli appellarunt, inducebant, quæ res creatas præcederent, ideoque cœlos, ſolem, & ſtellas, quorum omnium motu, ac converſione tempora dimetimur. Atque in illis *putatitiis*, *commentitiis*, *imaginariis*, *prioribus* temporibus Verbum Patris genitum, ideoque veram, licet ceteris præſtantiorem, & anteriorem Creaturam deſcribebant. Horum omnium errorem merito redarguerunt Catholici, quorum argumentationes Theologi habent. Tu, ſi vis, eos conſule (*b*). Hilarii libellum explananti ſatis eſt, dogma hoc aliis Hilarii locis confirmare. Hæc itaque ait ille (*c*): *Nec non in eo ſe eleganter doctrinæ propheticæ, ſed & Euangelicæ atque apoſtolicæ poſſe exiſtimant contraire, ut Filii nativitatem intra tempora prædicent. Cum enim vitioſe a nobis aſſerant dici, Filium ſemper fuiſſe, neceſſe eſt, excludendo quod ſemper fuerit, nativitatem ejus confiteantur ex tempore. Si enim non ſemper fuit, erit tempus quo non fuit. Et ſi eſt tempus quo non fuit, erit ante eum tempus: quia qui non ſemper eſt, eſſe cœpit ex tempore. Qui autem caret tempore, non poteſt eo carere quod ſemper eſt. Reſpuere ſe autem id, quod ſemper Filius fuerit, ob eam cauſam affirmant, ne per id quod ſemper fuit, ſine nativitate eſſe credatur: tamquam per id quod ſemper fuiſſe dicitur, innaſcibilis prædicetur.* Et paucis interpoſitis: *Confitetur Patrem æternum, & ab origine liberum: Confitetur & Filii originem ab æterno: non ipſum ab initio, ſed ab ininitiabili: non per ſe ipſum, ſed ab eo, qui a nemine ſemper eſt, natum ab æterno, nativitatem videlicet ex paterna æternitate ſumentem.* Alia porro Hilarii loca ſi conſulere Lector velit, ea adeat, quę ad calcem paginę noto (*d*).

Mirum vero non eſt, ſi æternitatem Verbi inculcarint tam ſępe Orthodoxi. Ut ut reliqua eluderent Ariani, adeo ut *Deum* etiam fateri minime dubitarent unigenitum Dei (*e*); quando tamen ab eis exquirebatur, ut æternum faterentur, ſubdolas quidem inducebant voces, *ante ſecula* eum fuiſſe dicentes, eoque, veluti manu quadam, & inſtrumento ad ſecula condenda fuiſſe uſum Deum (Patrem): fatebantur etiam nonnulli minus rigidi Arii aſſeclæ, veluti Patres Antiocheni, *ſemper fuiſſe in principio apud Deum* (*f*): tamen vere, & ſimpliciter ęternum, ſeu *ſem-*

(*a*) Petav. *de Trini.* II. 9. 8. III. 10. 5, & 6, & lib. V cap. IX. (*b*) Vide Petavium loco nuper allegato, nempe lib. II. *de Trinita.* &c. (*c*) lib. IV *de Trinit.* n. 5, & 6. pag. 73, & 74 tomi II.

(*d*) lib. XII *de Trinit.* n. 21. pag. 420 tomi II. *Eſſet itaque etc.* Ibidem n. 27. pag. 424. *At vero eum in Dei rebus etc.* In libro de Synod. n. 24. pag. 475. *Et ſi quis Sermonem etc.* In Commen. in Pſ. LXIII n. 10. pag. 181 tomi I. *Jam ſi fidem hæreticus deſtruet &c.*

(*e*) hac ſcilicet voce deum inferiorem *Vero Deo*, aut improprie dictum *Deum* appellari monebant. Vide Petav. *de Trini.* II. 9. 4. *At enim Deum eſſe &c.* Vide etiam n. 69, & quæ in eo notabimus.

(*f*) Synodus Antiochiæ anno 341 (uti quidem nos docent Patres S. Mauri, qui Hilarii opera ediderunt) jure, ac merito pleriſque ſuſpecta eſt. Vide annotationem Patrum S. Mauri in *profeſſionem Fidei* in Synodo hac editam, latineque expreſſam ab Hilario n. 29 libri *de Synodis*. Notant tamen iidem Patres Sancti Mauri Athanaſium, & Socratem, dum hanc fidei formulam deſcribunt, omiſiſſe vocem *ſemper*, a qua ſcilicet vehementer Arianos abhorruiſſe teſtatur Hilarius n. 5 libri IV *de Trinitate*: ſed revera hanc expreſſam fuiſſe ab Antiochenis Patribus, cum Hilarius doceat, ea de re minime dubito. Vide etiam quæ idem Hilarius deinceps tradit, n. ſcilicet 33 ejuſdem libri *de Synodis*.

ſempiternum fateri recuſabant: Solum Deum (Patrem) *ſempiternum*, *&* *ſine initio* monentes eſſe (*a*). Hujuſce rei præter antiquam Arii confeſſionem, alia etiam habemus exempla (*b*). Quoniam porro multis hic de eo argumento diſſerere opus non eſt, unicum, perſpicuum tamen exemplum affero. Damnati fuere ſcilicet a Concilio Aquilejenſi veluti indubitati Arianæ hæreſeos rei Palladius, & Secundianus, quod unigenitum Dei *ſempiternum* fateri recuſarunt. Lege obſecro tum acta ipſa Concilii, quæ, ut multorum opinio valde probabilis eſt, Ambroſii diligentia nobis ſervavit (*c*): tum epiſtolam ab eo Concilio ad Imperatores ſcriptam (*d*), in qua hæc extant: *Iſti Arium potius ſequi, quam ſempiternum Deum Dei Filium... voluerunt fateri.*

Hinc denegata Verbo ęternitas certum argumentum fuit profeſſionis expreſſe Arianæ. Quam ob rem Eudoxius, tametſi non prorſus Orthodoxus, ut tamen Urſacio, Valenti, aliiſque in Arii impietate conſortibus obſiſteret, mitioremque Aetii errorem ſtabiliret, in Ancyrana Synodo unigeniti Dei æternitatem tribus canonibus exprimi curavit; X ſcilicet, XI, & XII (*e*). Et Hilarius ipſe in brevi illa fidei profeſſione, quam edidit adverſus Arianos (*f*) ſi a Catholicis popoſcit, ut faterentur *Patrem non intra tempora*, popoſcit etiam, *ut cointemporalem Patri Filium non negarent*. Ad locum hunc copioſius illuſtrandum ea proderunt, quæ numero 76 afferemus.

57 Alibi dixi (*g*) Hilarium latine ſcribentem græcas voces quandoque adhibere, ut ſe nempe clarius explicet. Num vero vocem iſtam latinis characteribus ipſe ſcripſerit (quod Latinos Patres conſtanter feciſſe vult Richardus Simon) an Græcis, judicaverit Lector. Utcumque ſit, vox iſta (quod quiſque facile noſcet) *negantem* (ſeu excludentem) *tempus*, ſeu ſine tempore, ideoque ante tempora, & æternum denotat unigenitum Dei.

58 Ne objiceretur, hæc temere ab Orthodoxis dici, perquiſierunt hi ſæpe argumenta, quibus eam, quam ſtatuebant, divini Verbi æternitatem comprobarent; in quorum numero illud potiſſimum eſſe videtur, quod hic paucis perſtringit Hilarius, deſumptum ſcilicet ex immutabilitate Patris, quam admittamus neceſſe eſt, ſi Deum facimus; etenim mutatum ille deſcribit, qui unigeniti Filii Patrem in tempore deſcribit. Hanc ipſam probationem cum adhibeant alii Patres, quos Petavius minime præterit (*h*), eam ſane & ſæpe, & copioſe urget Hilarius, veluti numero 5 libri IV *de Trinitate*, & alibi ſæpe (*i*). Sed unicum præſtat locum hic afferre, ex libro XII *de Trinitate* (*k*), qui ſic ſe habet. *Et aliud eſt ſine auctore eſſe ſemper æternum, aliud quod patri, ideſt auctori, eſt coæternum. Ubi enim pater auctor eſt, ibi & nativitas eſt; at vero ubi auctor æternus eſt, ibi & nativitatis æternitas eſt: quia ſicut nativitas ab auctore eſt, ita ab æterno auctore æterna nativitas eſt. Omne autem quod ſemper eſt, etiam æternum eſt. Sed tamen non omne quod æternum eſt, etiam innatum eſt. Quia quod ab æterno naſcitur, habet æternum eſſe quod natum eſt. Quod autem non natum eſt, id cum æternitate non natum eſt. Quod vero ex æter-*

(*a*) Vide fidei profeſſionem ab Ario conditam apud Hilar. lib. IV *de Trinita.* 12. &c.

(*b*) Alexander Alexandriæ Epiſcopus apud Theod. lib. I cap. 4 ex Arianorum ſententia: *Fuit tempus, cum non eſſet Filius Dei* &c. (*c*) Tom. II. edi. Ambroſii PP. S. Mauri pag. 790, & 702. *Specialiter dicit ſolum Patrem ſempiternum.* = *Ambroſius dixit: Filius Dei habet immortalitatem, aut non habet ſecundum divinitatem?* (*d*) pag. 807, & 808. n. 5. Vide porro quę hoc de argumento traduntur in editione Operum S. Ambroſii adornata a Patribus S. Mauri poſt epiſtolam VIII. pag. 786 tomi II. *Ambroſius lectam Arii epiſtolam* &c.

(*e*) Hilarius de Synodis n. 23. (*f*) Ibidem n. 64. (*g*) in præfationis capite I num. 3.

(*h*) lib. V *de Trinita.* cap. 8, §. 4, 5. & ſubſeq. ſed prætertim §. 11. (*i*) pag. 73, & 74 tomi II. *Cum enim vitioſe &c.* (*k*) n. 21. pag. 420.

Digitized by Google

terno natum eſt, id ſi non æternum natum eſt, jam non erit & Pater auctor æternus. Si quid igitur ei, qui ab æterno Patre natus eſt, ex æternitate defuerit, id ipſum auctori non eſt ambiguum defuiſſe: quia quod gignenti eſt infinitum, infinitum eſt etiam naſcenti. Medium enim quid inter nativitatem Dei filii, & generationem Dei patris nec ratio, nec ſenſus admittit: quia & in generatione nativitas eſt, & in nativitate generatio eſt. Quod utrumque ſine intervallo ſui eſt, quia ſine utroque nec neutrum eſt. Hoc ipſum argumentum perſequitur Alexander Alexandrinus Epiſcopus, quem legas, opto (*a*): Perſtringit vero paucis Auguſtinus hæc ſcriptis mandans (*b*): *Semper gignit Pater, et ſemper naſcitur Filius.* Adde quæ tradit Petavius (*c*).

59 Mutationis cujuſque, & novi ſtatus expertem eſſe Deum, apertiſſime Scripturæ teſtantur: idque etiam Patres, & ratio inſinuant. Sed præſentis inſtituti non eſt hæc perſequi. Theologos conſule, & præ ceteris Petavium (*d*). Quo quidem conſtituto, æternam eſſe divini Verbi generationem, ex eo evincit Hilarius, quod alias mutaretur Deus Pater: inciperet enim in tempore filium habere.

Prævenit porro Hilarius id, quod adverſus ſtabilitam Dei immutabilitatem objici facile poteſt: nempe Deum condidiſſe in *tempore* mundum; nec propterea divinam præſtantiam, ac perfectionem imminui: prævenit, inquam, monens mutationem nullam ex rerum creatione in Deum induci, quia æterno, immutabilique decreto cuncta ſtabilita, & in divina idea perfectiſſima cuncta diſpoſita ſunt: atque ita executioni mandata ſunt, uti ſtabilita, ac diſpoſit fuerant. Id ipſum alibi tradiderat (*e*). Alia excogitarunt Theologi ad arcendam a Deo mutationem, quæ ex temporali rerum creatione metui fortaſſe poſſet, quorum magnam partem recenſet Petavius (*f*). Sed Hilario placuit (quod jam dixi) ad immutabilitatem divini decreti, ideoque ſcientiæ, & ideæ Dei confugere. Expreſſiſſimum ſeligo ex pluribus Hilarii locis, quem præbet numerus 40 libri XII *de Trinitate*, et hic eſt. *Perpetua enim, & æterna rerum creandarum eſt præparatio: neque partibus cogitationum univerſitatis hujus corpus effectum eſt, ut primum de cœlo ſit cogitatum, tum poſtea terræ cura, & tractatus Deum inierit, cogitatumque per ſingula ſit, ut primum in planitiem diffunderetur, deinde poſtea meliore conſilio montibus elevaretur, rurſum autem etiam collibus variaretur, quarto deinde habitabilis etiam in ipſis cacuminibus redderetur, præparatumque cælum, ac ſedes Dei ſegregaretur, ventorumque exhalationes nubes in ſummo valide continerent; tunc deinde certi ſub cœlo fontes mearent, ac poſtremo fundamentis terra fortibus confirmaretur. Singulis enim his omnibus anteriorem ſe Sapientia eſſe profitetur. Sed cum omnia per Deum, quæ ſub cœlo ſunt, facta ſint, & componendo cœlo Chriſtus adfuerit, & ipſam præparati cœli præveniat æternitatem; non patitur hoc exiſtimari in Deo minutarum rerum particulatas cogitationes, quia omnis horum præparatio Deo eſt coæterna.*

60 Propter homines (*quod propter nos &c.*) fuiſſe conditum Mundum, haud obſcure docet alibi etiam Hilarius, veluti cum hæc ait (*g*): *Quis enim non trepidet ad majeſtatem ejus, qui ſæcula inſtituerit, mundum condiderit, tem-*

L *pora*

(*a*) Apud Theodo. Eccle. hiſto. libro I cap. IV. *Neceſſario dicendum eſt, Patrem ſemper eſſe Patrem &c.*
(*b*) Epiſto. olim 174. nunc 238. n. 14. (*c*) lib. II *de Trini.* cap. V. (*d*) Tom. I Theolo. lib. III cap. I.
(*e*) *Ipſe* (Deus) *eſt etenim caput, & principium univerſorum, & in ipſo univerſa ſunt condita, licet poſtea de theſauris in ſe conditis, ſecundum arbitrium poteſtatis æternæ, ſingula quæque protulerit.* Hilari. in pſal. 91. num. 4. (*f*) Tom. I Theol. dogm. lib. III. cap. II.
(*g*) in Pſ. 65. n. 6. pag. 197 Tom. I.

Digitized by Google

pora revolubili viciſſitudine, curſuque dimenſus ſit, cœlum aſtris ornaverit, terram fructibus repleverit, mare obicibus concluſerit, hominem, ut his aut uteretur, aut dominaretur, elegerit. Eadem inculcat in commentariis in alios pſalmos, quæ omnino legas opto (*a*). Num id ipſum indicet locus ille pſalmi VIII: *Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus &c.*, judicaverit Lector. Fuſe porro hoc de argumento, peculiari diſſertatione diſſeram.

61 Ideſt: tametſi nondum condiderat, diſpoſuerat tamen, & intra ſe ordinaverat. Vide num. 59.

62 Legendum utique puto *ſimul*, cum in noſtro codice legatur *ſemel* (*ſemel omnia facere*): id quippe expoſcit oppoſitio hinc ſimultaneæ, illinc per plures dies diſtributæ rerum omnium creationis, quarum prior minus placet Hilario, qui poſteriorem amplectitur, ideſt diſtributam in dies ſex, quamquam in Eccleſiaſtici libro de creatione agente legimus *ſimul* (*b*). Quanam vero ratione concilietur locus iſte cum Geneſi, tibi declarabunt Sacrarum Scripturarum interpretes, & Theologi. Quo quidem conſtituto, hanc eſſe arbitror loci hujus interpretationem. Non ex impotentia Dei provenit, quod non unico momento univerſa diſpoſita ſint, ſed ideo per dierum ſex intervallum diſpoſita univerſa ſunt, ut veluti per gradus, & juxta honoris uniuſcujuſque diſcrimen, & ordinem cuncta obſequerentur Deo condenti, diſponentique. Quod ſi prolixiorem hujuſce loci interpretationem optas, eam tibi Ambroſii verba præbebunt, quæ quidem eo libentius allego, quod veriſimillimum putem, Ambroſium, cum hæc protulit, ad priorum Patrum monita reſpexiſſe. En itaque quæ dixi Ambroſii verba (*c*): *Namque mundus ipſe diſtincte legitur factus, cum eſſet ante incompoſita pars ejus; quia terra erat inviſibilis, & incompoſita. Nempe lux primum facta eſt, & vocavit Deus lucem, & ſeparavit Deus inter lucem, & tenebras, & vocatæ ſunt tenebræ Nox. Et per ordinem ſingula quæ facta ſint, legimus, cœlum, terra, ligna fructifera, animalia diverſa. Diſtributa autem ſunt leviora ſuperioribus, ut aer, & ignis; graviora inferioribus, hoc eſt terra, & aqua. Utique ſimul omnia fieri jubere potuit Deus: ſed diſtinctionem ſervare maluit, quam nos in omnibus imitaremur negotiis, & maxime in viciſſitudinibus gratiarum.* Notant autem interpretes, emerſiſſe veluti gradatim ex materia illa prima creaturas; adeo ut minus præſtantes initio emerſerint, tum præſtantiores, quarum ſeriem clauderet præſtantior omnibus homo.

63 Paulo obſcurior videtur eſſe locus iſte, quem obſcuriſſimum facies, ſi legas, uti in codice legitur, *& nulla*. Sed legendum utique arbitror, *& nuda*, id eſt, *ſine ornatu, & ſpecie*. Puto autem hunc habere ſenſum: Ideo voluiſſe Deum, *ut ordinata, & gradatim diſpoſita univerſa pro ſuo gradu, & honore obſequerentur* Deo educenti per dies ſingulos, creaturas, ne priora illa informia elementa deſpicerentur (*d*). Quis enim ea non deſpiceret, illiſque non præponeret res jam venuſtas, ſuaque ſpecie, & forma ditatas? Dum autem hæc propono, vereor ne aliquid in hac periodo deſit, quod aptius jungat priora illa verba: *paſſiva, & nuda* (ſeu, ſi vis, *nulla*) cum ſubſequentibus *inter ſe antiquiora*. Probabilis ne ſit mea ſuſpicio, an non, Lector dijudicet.

64 Addita voce *magis*, nonnihil emendavi deficientem codicis noſtri lectionem: legitur enim in eodem, *quanto illa, quæ nulli &c.* Quis enim non videt, vocem *magis* expoſci ab argumentatione, qua Hilarius utitur? quæ quidem argumen-

(*a*) tractat. in pſal. 63. n. 9; tractatu in pſ. 134. n. 14; ſed præſertim tract. in pſ. 118 littera x. n. 1. & 2. pag. 334 Tomi I. (*b*) cap. 18. verſ. 1. *Qui vivit in æternum, creavit omnia ſimul.*
(*c*) De Cain. & Abel lib. II. cap. 6. n. 22. (*d*) *In principio creavit Deus cœlum, & terram: terra autem erat inanis, & vacua* (legunt alii, *incompoſita*): *& tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Gen. I. 2. &c.

mentatio illius generis eſt, quod a *minori ad majus*, ſeu *a fortiori* Scholaſtici appellant. Porro ſi ad argumentationem hanc confirmandam Patrum, & Scholaſticorum teſtimonia afferre ſtudebo, infinitus propemodum ero. Sane Scholaſtici illi, qui Angelis ipſis abditum prorſus, atque incomprehenſibile Incarnationis myſterium fuiſſe contendunt, Patribus præſertim nituntur. Mihi ſatis eſt Leonem allegare, & Hilarium, quorum prior ſæpe id inculcat, atque iis præſertim in locis, quæ ad paginæ calcem noto (*a*). Alter vero copioſius id exſequitur n. 12 libri I *de Trinitate* (*b*), & n. 19 libri III ejuſdem tituli, id eſt de Trinitate (*c*).

65 Urget adhuc Hilarius probationem, quam antea propoſuerat, oſtendens primo, merito *abſconſam*, *ſeu ineffabilem* dici nativitatem Chriſti corporalem, cum eam *obumbrationem* appellet Scriptura ipſa; tum eo poſito, id ipſum inferens, quod nuper dixerat, *abſconſam* ſcilicet, ſeu *ineffabilem* a fortiori dicendam eſſe æternam Verbi generationem. De ea porro obumbratione diſſerentem lege, ſi cupis, Hilarium (*d*).

66 Recole quę dixi n. 54, & 55.

67 Recole dicta n. 31, 33, & 54. In codice pro *conceſſos* habetur *concuſſus*, manifeſto utique errore, quem propterea emendandum duxi.

68 Uberiorem explicationem dignitatis, atque excellentiæ divini Verbi Hilarius aggreditur, ſimulque fidei ſuę confeſſionem ſatis amplam, atque accuratam exponit. Quis porro dubitet, num Hilarius, dum hos titulos Chriſto attribuit, illi præſertim attribuat, quatenus Deus eſt? Sed multi tamen eidem Chriſto conveniunt, quatenus etiam homo eſt, ſeu, ut melius, & verius dicam, quatenus *Deus homo* eſt, propter eam quam Theologi appellant *communicationem idiomatum*. Conſuevit autem Hilarius eadem dogmata ſæpius inculcare, & recolere; quod fatebitur quiſquis libros *de Trinitate* ab eo editos perlegerit. Cujus quidem conſuetudinis rationem ipſe affert his verbis (*e*): *non enim infinitus, & immenſus Deus brevibus humani ſermonis eloquiis vel intelligi potuit, vel oſtendi: fallit enim plerumque & audientes, & docentes brevitas ſermonis.* At nos reliqua ejus dicta illuſtremus.

69 Vox hæc *initio* tam referri poteſt ad æternam Filii generationem, de qua ſatis diximus n. 56, quam ad reliquos titulos, quos eidem filio attribuit. Qua porro ſignificatione Dei filium nominet, & ea additione vocis, *initio*, explicat, & alibi apertiſſime tradit. *Non eſt itaque* (inquiens (*f*)) *Dei filius Deus falſus, nec Deus adoptivus, nec Deus nuncupatus, ſed Deus verus.... Deus enim eſt, per quem facta ſunt omnia.* Atque hoc loco (ut obiter dicam) non ſolum Ariani, verum etiam ii revincuntur (*g*), qui ut *adoptivum Filium* Chriſtum facerent, Hilarii auctoritate abutebantur: nam ſi Deus eſt, quomodo adoptari poterit?

70 Antequam progredior, noverit Lector, titulos hoſce, atque affines alios, qui a veteribus Theologis Unigenito Dei tribuuntur, *in duplici* veluti *differentia* eſſe: alios enim ideo Orthodoxi eidem unigenito Dei tribuebant, quia Ariani eos illi tribuere recuſabant, uni Patri tribuentes; alios vero ideo tribuebant, quia cum eos Ariani ipſi, aut certe Semiariani eidem unigenito tribuerent, magnoque apparatu, & præconiis extollerent, verebantur Orthodoxi, ne, ſi eos eidem Unigenito minime tribuerent, viderentur minus præclare de eo loqui, quam loquerentur Ariani. Porro cum hic Verbum *ſapientiam veram* Hilarius nominat, Sapientiam intel-

(*a*) Sermon. 9 *de Nativit.* n. 1. *excedit quidem &c.* Et Serm. x ejuſdem tituli, ſeu *de nativit.* n. 1. *Sed quia Domini. Salvatoriſque noſtri &c.* Et n. 4 ejuſdem ſermonis: *Nativitas autem Domini &c.* (*b*) pag. 9 Tomi II. *Hanc itaque divini Sacramenti doctrinam &c.*
(*c*) pag. 60 ejuſdem tomi: *Quaris quomodo &c.* (*d*) lib. II *de Trinita.* n. 16. *ſed ne forte &c.*
(*e*) De Syno. n. 62. (*f*) lib. V *de Trinit.* n. 5. pag. 107 Tom. II. (*g*) *Nec Deus adoptivus.*

ligit divinam, & cauſæ expertem: nam hac ipſa ſignificatione Arius *unum Deum* (Patrem nempe) *ſolum ſine initio*, *ſolum verum* agnoſcebat; Hilarius vero, quem modo allegavimus (*a*), *Deum verum* unigenitum Dei appellat. Hinc quamvis in Concilio Aquilejenſi faſſus fuiſſet Palladius, *unigenitum Dei eſſe ſapientiam* (*b*), quia tamen divinam, & cauſæ expertem, ideoque in ea, de qua agimus, ſignificatione *veram ſapientiam* prædicare recuſabat, uni Patri eum titulum tribuens, Ambroſius hæc de Palladio enunciare non dubitavit: *Etiam ſapientem, quantum video, Filium Dei Palladius negare conatus eſt*. Sed nec eos reprehenderim, qui hæc ab Hilario ideo tradi dicerent, ut eorum refelleret impietatem, immo potius inſaniam, qui Filium Dei non *ſapientiam ipſam*, ſed ſapientiæ opus eſſe dicebant. Ac Sancti Doctoris verba hic referre operę pretium reor, quatenus eam, quam nunc illuſtramus, ſententiam mire confirmant (*c*). „Plures enim eludere dictum Apoſtolicum(*),quo ait Chriſtum Dei ſapientiam, & Dei virtutem, his modis ſolent: quod in eo ex virgine creando efficax Dei ſapientia, & virtus extiterit, & in nativitate ejus divinæ prudentię, & poteſtatis opus intelligatur; ſitque in eo efficientia potius, quam natura ſapientiæ. Quorum ne quid tale intelligi poſſet, ipſum ſe ſapientiam nuncupavit; eam in ſe, non quæ ejus ſunt, oſtendens. Eſt enim ſapientiæ opus fides, ſpes, caritas, pudicitia, jejunium, continentia, humilitas, humanitas: ſed hæc naturæ opera ſunt, non ipſa natura; & non in his, quæ fiunt, conſiſtit res ipſa quæ faciat.„

Num ut hanc amentiam refellat, hæc tradat Hilarius (*d*): *Sed enim Dei virtus, Deique ſapientia eſt Dominus Jeſus Chriſtus*, viderint alii.

71 Vide num. 19, & 20.

72 *Spiritus* nomine, Deum ab Hilario intelligi, dudum notatum eſt. Vide, obſecro, præfationem (*e*) in Tomum I. S. Hilarii edentibus Monachis S. Mauri. Notiſſimus eſt Hilarii locus, quem hic referre operæ pretium reor (*): *Qui cum ſe evacuaverit, ut manens ſpiritus* (ideſt Deus) *Chriſtus, idem Chriſtus homo eſſet*. Neque mirum eſt, ſi nomine *ſpiritus* Deus intelligatur; etenim per antonomaſian *Spiritus* Deus eſt; præſtantiſſimus ſcilicet: & *ſpiritus* ſolus eſt Deus, ſi *ſpiritus* nomine *per ſe* perfectiſſime cuncta *comprehendentem* intelligas; qua quidem ſignificatione nonnulli veterum viſi ſunt vocem hanc *ſpiritus* accepiſſe (*f*). Utcumque ſit, præter eos, quos allegat clariſſimus editor Operum S. Hilarii (*g*), en locus perſpicuus Tertulliani, quo quidem conſtet, *ſpiritus* nomine Deum a veteribus Patribus denotari. Hoc ſcilicet modo librum de Oratione exorditur: *Dei ſpiritus, & Dei ſermo ... utrumque Jeſus Chriſtus*. Alia porro Tertulliani loca afferre ſi cupis, ea tibi indicabit Clariſs. Muratorius (*h*).

Reliquos titulos fere omnes, qui deinceps recenſentur: *via, lux &c.*, expreſſos habes in ea notiſſima fidei profeſſione, *quæ expoſita eſt in Synodo habita per Encanias Antiochenæ Eccleſiæ conſummatæ. Expoſuerunt qui adfuerunt Epiſcopi nonaginta ſeptem, cum in ſuſpicionem veniſſet unus ex Epiſcopis, quod prava ſentiret*. En quæ Epiſcopi ii protulerint (*i*): *Credimus ..... in unum Deum*

(*a*) n. 69. (*b*) *Palladius dixit: Sapientia eſt*. pag. 793 Tom. II Ambroſ. edit. PP. S. Mauri. (*c*) Commen. in Matth. cap. xi n. 9. pag. 724. (*) 1 Corinth. I. 24. (*d*) in pſ. lxvi. n. 20. pag. 235.
(*e*) n. 57, & ſeq. numero præſertim 62, & 63. Adde, ſi vis, ea quæ n. 8 libri xii *de Trinitate* leguntur: *Sed quia nobis ſpiritus de ſpiritu nativitatem prædicabat &c.* (*) lib. xix *de Trinitate*. n. 14.
(*f*) In ea ſignificatione videntur accipere, qui Deum ſolum *incorporeum* eſſe monent, corporeos reliquos omnes, Angelos quoque ipſos, & animas noſtras: Quod, ne multos afferam, tradunt auctor *Eccleſiaſticorum dogmatum*, qui Gennadius eſſe creditur, cap. xi, xii, & xiii, & alii, quos allegat *le Quien* ad Caput. III libri II Damaſceni *de fide*. (*g*) in præfatione Tomi I n. 58, & ſequen. (*h*) Annot. 1 in librum hunc Tertulliani Tom. III Anecdot. (*i*) Apud Hilarium de Synodis n. 28, & 29. pag. 478 Tomi II.

Digitized by Google

Deum Patrem.... & in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium ipſius unigenitum, Deum per quem omnia, qui generatus eſt ex Patre, Deum de Deo, totum ex toto, unum ex uno, perfectum de perfecto, Regem de Rege, Dominum de Domino, verbum, ſapientiam, vitam, lumen verum, viam veram, reſurrectionem, Paſtorem, januam, inconvertibilem, & immutabilem, divinitatis, eſſentiæque, & virtutis, & gloriæ incommutabilem imaginem, primum editum totius creaturæ, qui ſemper fuit in principio apud Deum ..., Mediator Dei, & hominum, prædeſtinatus fidei noſtræ, & dux vitæ. Ad hanc porro profeſſionem ſi reſpexiſſe Hilarium dicas, id ſane dices, quod probabile viſum eſt nonnullis. Et ſane Hilarius hanc fidei profeſſionem in eo tantum reprehendit (*a*), *quod minus forte expreſſe videtur de indifferenti ſimilitudine Patris, & Filii locuta eſſe, maxime cum de Patre, & Filio, & Spiritu Sancto ita ſenſerit ſignificatam in nominibus propriam uniuſcujuſque nominatorum ſubſtantiam, & ordinem, & gloriam, ut ſint quidem per ſubſtantiam tria, per conſonantiam vero unum.*

Minus abundat titulis ea fidei profeſſio, quam *ſecundum Orientis Synodum* appellat Hilarius (*b*), tamen in ea quoque hæc de unigenito Dei enunciantur: *qui eſt Verbum, & ſapientia, & virtus, & vita, & lumen verum.*

Verum ut ad Hilarium revertar, non in ea tantum, quam illuſtramus, epiſtola hæc docet, verum etiam in locis aliis. In Pſalmum ſexageſimum tertium hæc eloquitur (*c*): *Jam ſi fidem hæreticus deſtruet, Dei Filium ſemper fuiſſe cognoſcet, nullo a Patre intervallo temporis ſeparatum; ipſum eſſe verbum, virtutem, ſapientiam Dei: hunc mundi opificem fuiſſe, hunc & hominis conditorem.*

Plura complectitur in tractatu in Pſalmum 118 (*d*). Etenim hæc ait: *Locutus eſt Deus per Moyſen legem, locutus eſt per Prophetas: ſed hæc lex Dei eſt, non etiam lex oris Dei: Os autem Dei eſt ille, qui & virtus Dei eſt, qui & ſapientia Dei eſt, qui & brachium Dei eſt, qui & imago Dei eſt, Deus ſcilicet, et Dominus noſter Jeſus Chriſtus.*

Id ipſum docet Baſilius Magnus, cujus verba libenter afferrem, niſi multa eſſent, præſertim quum horum ipſorum titulorum rationem etiam afferat. Sed Lector facile ea, quæ dico, verba conſulere per ſe poterit capite VIII, alias n. 17, & 19 libri *de Spiritu Sancto* ad Amphilochium. Scilicet: *Ob multiplicem in nos beneficentiam &c.* Et: *Omnia autem facit contactu virtutis, ac voluntate bonitatis operans: paſcit, illuminat, alit, deducit, medetur, erigit etc.*

Alios ſi cupis, qui Chriſto convenientes titulos recenſeant, facile in vetuſtorum Scriptorum libris invenies. Duos hic duntaxat indico, quorum alter Scriptor ille eſt, cui tribuendus eſt ſermo olim 190 *de tempore*, qui nunc rejectus in *appendicem*, 113 in eadem eſt, cujus verba annotatione 20 (*e*) retuli. Alter Auſonius eſt ſic Chriſtum deprecans (*f*):

Chriſte apud æternum placabilis aſſere Patrem,
Salvator, Deus, ac Dominus, mens, gloria, Verbum,
Filius, ex vero verum, de lumine lumen,
Æterno cum Patre manens, in ſecula regnans.

Quis vero ea de re miretur, cum hos ipſos titulos vel Scripturæ manifeſto

ſto

(*a*) n. 31. (*b*) de Syno. n. 33, & 34. (*c*) num. 10. pag. 181 Tomi 1. (*d*) litt. 12. numero pariter 9. pag. 334. (*e*) pag. 60. (*f*) *In precat. matutin.*

Digitized by Google

ſto tribuant Chriſto, vel certe eos Chriſto tribuere facile poſſis, ſi ad ea reſpicias, quæ Scripturæ de Chriſto enunciant? Quædam in calce epiſtolæ ipſius adnotavi, ne id, quod ajo, temere dixiſſe videar. Fateor quidem, *fortitudinem Domini* Chriſtum expreſſiſſime minime dici; niſi forte eundem eſſe putes, qui Angeli ſpecie interdum apparuit, ſeque *Gabrielem* appellavit, aut, ſi vis, in Gabriele locutus eſt. Sed ſi brachium Domini, ſeu Dei dicitur, an *fortitudo* non dicetur? Patres ſane hac, niſi fallor, de cauſa *brachium Dei*, ſeu *Domini* Chriſtum appellare minime dubitant. Quid? quod *Virtus* vox ſynonyma videtur eſſe voci *fortitudo*. Titulum porro hunc ſæpiſſime Patres tribuunt Chriſto. Unum hic Rufinum indico hæc tradentem (*a*): *Quæ eſt autem virtus Altiſſimi, niſi ipſe Chriſtus, qui eſt Dei virtus, & Dei ſapientia?* Alia Patrum loca ſi cupis, ea tibi præbebit Clariſs. editor Operum S. Hilarii (*b*). Cum porro ea loca indicavi, in quibus Chriſtus dicitur *vinum*, duo notavi, nempe Matthæi IX. 17, & Joan. XV. 1, in quorum primo hæc occurrunt: *Neque mittunt vinum novum in utres veteres*. Nimirum vini allegoria, ac vocabulo lex Euangelica, ideoque ejus auctor Chriſtus intellectus eſt a veteribus. In altero vero: *Ego ſum vitis vera*. Vitis autem *vini* parens, ut ita loquar, eſt. Ceterum fateor, reſpicere potuiſſe adhuc Hilarium ad ea Proverbiorum cap. IX loca (*c*): *ſapientia .... miſcuit vinum ....* (*d*) *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miſcui vobis*. Etenim his verbis ſacroſanctum altaris Sacramentum, in quo ſcilicet ſub ſpecie panis, & vini Chriſtus ipſe extat, prænunciari, probatiſſimi interpretes docent: reſpicere potuiſſe pariter ad locum illum Matthæi (*e*): *Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis*. Etenim genimen vitis, cujus hic mentio fit, eſt ipſiſſimus Chriſtus ſub vini ſpecie latens.

73 Cum incarnatio ipſa propter homines ſit, propter homines erit pariter Chriſtus vita noſtra, lux noſtra, paſtor noſter.

74 Reſpicit ad celebratiſſimum Pauli monitum (*f*): *In ipſo vivimus, movemur, & ſumus*. Fortaſſe etiam ad ea reſpicit loca, in quibus *vita* noſtra, aut *fons vitæ, fons aquæ ſalientis in vitam æternam* dicitur Chriſtus.

75 Ideſt: ea, quæ de Chriſto diximus, ideoque eos ipſos, quos recenſuimus, titulos, ex Scripturarum lectione aſſequetur.

76 Hunc ineſſe verbis his ſenſum puto. Si igitur revelante Scriptura confitemur, Dei Filium nobis eſſe cognitum, ſcimus etiam Deum Patrem per eundem filium condidiſſe ſecula tum viſibilia, tum inviſibilia: neque enim fas eſt putare, Deum tum cœpiſſe operari, quum mundus conditus eſt, aut ceſſaſſe poſtquam eſt conditus: etenim eum non deſiiſſe teſtatur Dominus ipſe, cum ait: *Pater meus uſque modo operatur &c.* Si ſeculorum viſibilium, & inviſibilium vocabulo creaturas viſibiles, & inviſibiles intelligit, id ipſum hic docet, quod antea docuerat. Vide numerum, ſeu annotationem 18. Sane eas creaturas intelligere his vocabulis potuit; per ſynecdochen ſcilicet, qua contentum continentis vocabulo denotatur.

At ſi ſecula ipſa intelligit, paulo obſcurior tum fit locus iſte. Et viſibilia quidem ſecula novimus, ea ſcilicet, quæ per ſolis, ſtellarumque, ac cœlorum converſiones dimetimur. At difficile eſt explicare, quidnam ſint ſecula inviſibilia. An ea ſecula indicat, quæ alii *imaginaria* appellarunt, ipſe vero Hilarius *tempora* appellat, *quæ opinione complectimur* (*g*), immo ex-

(*a*) in Symboli expoſitione pag. 73 edit. Vallarſii. (*b*) præfat. in Tomum I. n. 61, & ſeq. (*c*) verſ. 2. (*d*) verſ. 5. (*e*) XXVI. 29. (*f*) Act. XVII. 28. (*g*) lib. XII *de Trinita.* n. 27. pag. 424.

expreſſius (*a*) *tempora æterna* (*b*)? Alienum judicium eſto. Hic porro advertamus oportet, ſuſpicari nos poſſe, cum hæc ait Hilarius: *non enim fas eſt ex eo Deum operatum credere, ex quo mundus genituræ ſuæ idem nativitatis initium ſumpſit*, in ea fuiſſe opinione, quę Angelorum creationem præceſſiſſe docet viſibilium, atque aſpectabilium harum rerum creationem. Quæ quidem opinio cum multorum veterum Theologorum, ac Patrum fuerit, ac præſertim Græcorum (*c*), Hilarii procul dubio fuit: etenim hæc ſcriptis prodidit (*d*): *Aut regenerati omnes non vere Dei filii ſunt, aut Angeli omnes, per Chriſtum utique conditi, non ante omnia tempora, & ante omnia omnino ſecula ſunt creati?*

77 Si ad illud genus operationum, quas Theologi *ad intra* appellant, hęc Hilarii verba referas, facile explicabis: perſtant enim immutabiles eæ actiones, quæ æternæ fuerunt, & in æternum ſunt duraturæ: quam ob cauſam, uti jam Auguſtinus monuit (*e*), tempora cuncta comprehendunt. Si vero ad genus illud actionum, quas *extrinſecas*, ſeu *ad extra* dicimus; ſi ante mundum aſpectabilem condidit Angelos (quod ſane cenſuit Hilarius), Deum credimus operatum fuiſſe, antequam mundus *genituræ ſuæ ſumpſerit initium:* Nec operari ceſſat, cum infundendas in humana corpora animas in momenta ſingula creet, & cuncta conſervet, & adminiſtret. Vide loca, quæ noto in calce paginę (*f*). Quænam vero ſit requies æterni Patris, docet Hilarius n. 8. commentariorum in pſ. 91 (*g*). Ut voces illas, *nihil illi ſemper acciderit, ſed ſemper ſit*, plane intelligas, recole quæ num. 59 diximus. Quod ſi voces has, *ſemper ſit*, ita accipias, ut doceat Hilarius, attributum hoc *Eſſe* eſſe proprium Dei, ideoque Patris; eo ſenſu profecto accipies, quem alia Hilarii dicta valde probabilem reddiderunt. Nimirum aliquando hæc ſcripſit (*h*).„ Quod ſi ſemper Pa„tri proprium eſt quod ſemper eſt Pa„ter; neceſſe eſt ſemper Filio proprium „eſſe quod ſemper eſt Filius. Et quo„modo in ſermonem noſtrum, atque in„telligentiam cadet, ut non fuerit, an„tequam naſceretur, cui proprium eſt ſem„per eſſe quod natus eſt? Formam ita„que, atque imaginem inviſibilis Dei „unigenitus in ſe Deus continens, in „omnibus his, quæ propria Deo Patri „ſunt, per plenitudinem veræ in ſe Divi„nitatis æquatur. Nam ut ſuperioribus „libris docuimus, per virtutem, & ve„nerationem, ſicut Pater & honorandus, „& potens eſt: ita & in eo quod Pa„ter ſemper eſt, ei quoque in eo quod Fi„lius eſt, Filio ſemper eſſe commune „eſt. Nam ſecundum ad Moyſen dictum: „*Miſit me ad vos is qui eſt*, Deo pro„prium

(*a*) ibidem & n. 28. (*b*) *At vero cum in Dei rebus, ideſt in Dei nativitate nihil non ante tempus æternum ſit . . . intelligi non poteſt cæpiſſe poſt aliquid, qui eſſe ſit ante tempora æterna confitendus. Si ergo naſci aliquid ante tempora æterna neque in naturis humanis eſt, neque in intelligentia; & tamen in hoc profeſſionibus de ſe Dei creditur: quomodo id, quod ſine ſenſu intelligentia æterna natum ſemper, ideſt ante tempora æterna eſſe, apoſtolica fides cum locuta ſit, id rurſus non fuiſſe, antequam naſcitur, per ſenſum humanæ intelligentia noſtri temporis infidelitas eloquitur? cum quod ante tempus natum eſt, ſemper eſt natum: quia id quod eſt ante æternum tempus, hoc ſemper eſt.* Hilar. loco citato, ideſt n. 27, & 28 lib. XII *de Trinit.*

(*c*) Vide Petav. de Ange. lib. I cap. XV. Vide etiam notam appoſitam verbis illis Novatiani cap. I. libri *de Trinita. quamquam etiam ſuperioribus &c.* (*d*) Contra Auxent. n. 6.

(*e*) lib. contra ſermo. Ariano. cap. 24, alias n. 20. pag. 640 Tomi VIII edit. PP. S. Mauri. *Nec moveat quod futuri temporis verbum eſt,* accipiet, *quaſi nondum haberet, indifferenter quippe dicuntur temporis verba. quamvis ſine tempore manere intelligatur æternitas. Nam & accepit quia de Patre proceſſit, & accipit, quia de Patre procedit, & accipiet, quia de Patre procedere nunquam deſinet: ſicut Deus & eſt, & fuit, & erit; & tamen initium, vel finem temporis nec habet, nec habuit, nec habebit.*

(*f*) lib. VII *de Trinita.* n. 17. & in pſ. 91. n. 3, 4, 5, & ſeq. pag. 266 Tomi I. (*g*) pag. 269. Tom. I. *Quia ergo opera Dei &c.* (*h*) lib. XII *de Trini.* n. 23, & 24. pag. 422 Tom. II.

Digitized by Google

„ prium eſſe id quod eſt, non ambigens
„ ſenſus eſt: quia id quod eſt, non pot-
„ eſt intelligi, dicique non eſſe. Eſſe
„ enim, & non eſſe contraria ſunt: ne-
„ que hæ diverſæ ſignificationes in u-
„ num atque idem coeunt; quia ma-
„ nente alia, altera non erit. Ergo u-
„ bi *eſt*, non poteſt vel ſenſum, vel ſer-
„ monem inire non eſſe. Senſui noſtro
„ retroacto, ſemperque revocato ad intel-
„ ligentiam ejus qui eſt, de eo id ip-
„ ſum tantum, quod eſt, ei ſemper an-
„ terius eſt: quia id quod infinitum in
„ Deo eſt, ſemper ſe infiniti ſenſus no-
„ ſtri recurſui ſubtrahat: ut ante id,
„ quod proprium Deo eſt, ſemper eſſe,
„ aliquid aliud intentio retroacta non
„ capiat; quia nihil aliud ultra ad in-
„ telligentiam Dei, æternitate proceden-
„ di, quam Deum ſemper eſſe, ſemper
„ occurrat.

Quod ſi alios Patres optas, plurimos tibi præbebit Petavius, quem conſulas opto (*a*). Iſtud porro attributum peculiare etiam Filio eſſe, fortaſſe oſtendunt plurima ex iis teſtimoniis, quæ ad æternitatem Divini Verbi comprobandam afferuntur, ideoque plurima ex iis, quæ idem Petavius cap. IX libri V *de Trinitate* allegat. Unum ſeligo, quod ad id, quod agimus, valde aptum reor, deſumptum ex epiſtola Alexandri Alexandriæ Epiſcopi ad cognominem Epiſcopum Conſtantinopolis (*b*) „ *Nemo*
„ *hoc* ſemper (inquit ille) *ad ſuſpicio-*
„ *nem ingeniti ſumat, ſicuti putant qui*
„ *ſenſus animæ obcæcatos habent: nam*
„ *neque* erat, *neque* ſemper, *neque* ante
„ ſecula *idem eſt, atque ingenitum* „.

78 Vide n. 57, & 72. Quod attinet ad vocem ἀναστιτεν, an ea ducitur ex verbo ἀνίστημι quod eſt *excito, ſuſcito, reſtituo, inſtauro*, &c.? aut ex verbo inuſitato ἀναστάω? An mendoſum hoc in loco codicem eſſe putandum eſt? Judicet lector.

79 Fortaſſe deeſt vox *conſtat*, aut alia affinis, ſic ut legendum ſit: *eſſe igitur conſtat plurima, quæ per filium fecerit*. Nolim vero ita vocem illam *pluriam* ſumas, quaſi putarit Hilarius plurima quidem, ſed non omnia a Divino Verbo eſſe condita, quandoquidem & crebro, & apertiſſime inculcat Euangelicum illud monitum: *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.* Vide num. 18. *Plurima* ergo hic ſumit pro omnibus. Quænam vero ea ſint, ſtatim recenſet, hæc ſubjiciens: *quanti enim ſunt throni &c.* Quis porro neſcit, plurimas eſse creaturas tum corporeas, tum corpore deſtitutas, quarum vix ſcimus nomina, immo aliquarum ne ipſa quidem nomina novimus? Merito itaque hæc ait Hilarius: *quorum aut ſola nobis nota ſunt nomina, aut nec ipſa ſunt cognita.*

80 Ex Apoſtolo Paulo (*c*) deſumpta ſunt verba illa: *quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit*. Sed cum valde probabile mihi videatur, verba hæc ab inſcito amanuenſe fuiſſe inſerta in epiſtolam ipſam, cum prius in margine legerentur, veluti in confirmationem ſententiæ illius: *quantam etiam claritatem putamus eſſe in invisibilibus, nec æſtimare poſſumus* &c., propterea delenda eſſe exiſtimo, aut, ſi vis, in marginem rejicienda. Porro vox *quanti* (*quanti enim ſunt throni, quantæ poteſtates &c.*) hic, me quidem judice, ſumitur pro *quot*; quod fit ſæpiſſime a Tertulliano, Hieronymo, aliiſque Patribus. De numero, dignitate, ac muneribus Angelorum agit copioſe Petavius peculiari opere ea de re inſtituto (*d*): egi & ego, ſed multo brevius in libello Italica lingua conſcripto, editoque anno 1747 (*e*).

81 Id eſt: ſi corporea ipſa adeo pulcra ſunt, adeo ſpecioſa, adeo admirabilia, quis ſe comprehendere poſse putet pulcritudinem, & præſtantiam inviſibilium?

(*a*) Tomo I Theol. dogm. cap. VI. (*b*) apud Theodoret. hiſto. Eccle. lib. 1 cap. 4.
(*c*) 1. Corin. II. 9. (*d*) *De Angelis* Tom. III Theolo. Dogm. (*e*) Trattato degli Angeli cuſtodi part. I. cap. III; IV. &c.

Digitized by Google

lium? Nobile argumentum *a minori ad majus*, ut ajunt. Verbum *extimare* conſtanter ſcribitur a noſtro amanuenſi pro *æſtimare*, aut, ſi vis, *exiſtimare*.

82 Millies Hilarius a Filio, ſeu a Deo per Filium, veluti conſubſtantiale inſtrumentum, ſuiſſe conditum mundum docet. Loca S. Doctoris adeo frequentia ſunt, ut, ſi ea afferam, videri facile poſſim in re perſpicua eruditionis laudem velle perquirere. Nonnulla habes ſupra, num. 18. An vero iis verbis, *& quidem lucem, qua cetera fierent perſpicua, eſſe juſſit, & fecit, cui diem nomen impoſuit*, Tertullianum reprehendit, qui *lucis* (primigeniæ) nomine Verbum ipſum intellexit? Alienum judicium eſto. Ecce porro ipſa Tertulliani verba, quæ Lector expendet (*a*): *Sed & antecedentibus operibus mundi, quomodo ſcriptum eſt? Primum quidem, nondum Filio apparente:* & dixit Deus: Fiat lux, & facta eſt (*b*)*: ipſe ſtatim ſermo, lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum; & per illum mundialis quoque lux: exinde autem in Sermone Chriſto adſiſtente, & adminiſtrante Deus voluerit fieri, & Deus fecit*. Reliqua in hac epiſtolæ Hilarii periodo comprehenſa facile per ſe patent.

83 Aut legendum eſt, *ne terrena;* aut, ſi legis, *neve terrena*, aliqua, tametſi pauca, in fine periodi deſunt, quibus ſententia compleatur. Hic ſane ſumit Hilarius voces, *firmamentum*, & *cœlum* pro ſolida aliqua, & conſiſtente, tametſi pellucida, materia, quæ nobis viſum cœleſtium præcludat. Favere huic explicationi videtur ipſa vocis etymologia. Quid recentiores philoſophi de cœlorum materia ſtatuant, norunt omnes.

84 Vide loca Scripturarum in calce epiſtolæ ipſius Hilarii a me annotata, & annotationem 62. Hæc porro verba*: & miro modo illam primo generare præcipiens, quæ noviſſime fuerat fabricata*, ad terram refer: cœlum quippe prius creatum eſt (*c*)*:* hanc autem emittere voluit Deus *herbam virentem, & facientem ſemen*, quæ primus veluti fœtus fuit naturæ creatæ.

85 Ea, quæ nuper diximus, hunc etiam locum illuſtrant. Porro *extrema in omnibus* terra non eſt, ſi ante reliquas res tribuitur illi virtus *germinandi herbam virentem, & facientem ſemen*.

86 An referenda hęc ſunt ad veſperam (*tenebras*), & mane (*lucem*), quæ *facta ſunt dies unus?* An ad compoſita naturalia conſtantia ex elementis per intervalla creatis? ignis enim procul dubio non eſt cum aqua formatus, nec fortaſſe terra cum aere. Judicet Lector. Vide etiam num. *62*, & *63*.

87 Pervenimus ad eum locum, qui perdifficilis viſus eſt multis. Primum enim quæritur, cur *Dei Filius Deus* appelletur *artifex*. Deinceps quæritur, cur Pater dicatur *jubens* (*Jubente Patre*). Porro hæc facile illuſtrantur, ſi memineris, Patri omnipotentiam veluti peculiare attributum tribui (*d*); Filio vero *ſapientiam:* qua de re fuſe Theologi. Omnipotentiam vero veluti *jubentem* concipimus, ſapientiam autem veluti exſequentem: Sic ut creationem opus quidem totius Trinitatis fateamur; ſed quoniam attributa veluti peculiaria Perſonis tribuimus, illis etiam eos affectus tribuimus, quos ab iis attributis veluti provenire mentis noſtræ anguſtię nobis dictitant. Hilarius ipſe hæc indicat, cum ita adverſus Arianos Filium Dei unigenitum veluti purum, creatumque inſtrumentum a Patre in creatione adhibitum aſſerentes (*e*) eloquens, hæc ſcriptis prodidit (*f*). „ Dixiſti enim: ex Patre omnia, ſed per Filium „ omnia. Namque per id quod dictum „ eſt, *Faciamus hominem*, ex eo origo eſt, ex quo cœpit & ſermo: in eo

M vero

(*a*) Contra Praxeam cap. 12. (*b*) Gen. I. (*c*) Gen. I. 1. (*d*) *Credo in Deum Patrem omnipotentem*. (*e*) Vide Arianorum ſenſa apud Petavium lib. II *de Trinitate* cap. V. n. 16. (*f*) lib. IV *de Trinit.* n. 20.

Digitized by Google

„ vero quod *Deus ad imaginem Dei* „ *fecit*, ſignificatur etiam is, per quem „ conſummatur operatio. Tum deinde, „ ne quid tibi hinc liceat mentiri, Sa- „ pientia, quam tu ipſe Chriſtum con- „ feſſus es, contraibit dicens: *Cum cer-* „ *tos ponebat fontes ſub cælo, cum for-* „ *tia faciebat fundamenta terræ, eram* „ *apud illum componens. Ego eram, ad* „ *quam gaudebat. Quotidie autem læ-* „ *tabar in conſpectu ejus in omni tem-* „ *pore, cum lætaretur orbe perfecto, &* „ *lætaretur in filiis hominum.* Conclu- „ ſa eſt omnis occaſio, & coarctatur ad „ veri confeſſionem univerſus error. Ad- „ eſt Deo genita ante ſecula Sapientia. „ Neque ſolum adeſt, ſed etiam com- „ ponit. Eſt ergo componens apud ip- „ ſum. Intellige compoſitionis, vel diſ- „ poſitionis officium. Pater enim in eo „ quod loquitur, efficit; Filius in eo „ quod operatur, quæ fieri ſunt dicta, „ componit. Perſonarum autem ita fa- „ cta diſtinctio eſt, ut opus referatur ad „ utrumque. Nam in eo quod dicitur, „ *faciamus*, & juſſio exæquatur, & fa- „ ctum: in eo vero quod ſcribitur, *E-* „ *ram apud illum componens*, non ſo- „ litarium ſe ſibi eſſe in operatione ſi- „ gnificat. „ In eundem ſenſum locutus mihi videtur idem Hilarius n. 43 libri XII de Trinitate, quem rogo conſulas. Tum vero ſcies, cur artificem etiam Verbum nominet; quia ſcilicet cum *ſapientia* ſit filius Dei, ſapientiæ ipſi veluti dirigenti tribuitur opus, ideoque etiam mundus, eximium profecto *opificium*. Neque in noſtra hac Epiſtola tantummodo *artificem* ea de cauſa Verbum divinum appellat; verum etiam num. 4 libri XII de Trinitate, in quo quidem loco copioſe agit de Verbo Dei mundum creante (*a*). Hunc quoque locum, oro, ut conſulas.

Sed cur Patres tantum afferimus, & hymnum, quo Eccleſia utitur, prę-terimus? Hæc ſcilicet Eccleſia concinit (*b*):

Naſcente qui Mundo faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugaſti ſpiritum.
Cum livor, & fraus dæmonis
Fœdaſſet humanum genus:
Tu carne amictus perditam
Formam reformas artifex.

Quod plane congruit cum eo hymno, quo, antequam Eccleſiaſticis hymnis elegantiores numeros Urbanus VIII tribueret, Romanus Clerus utebatur.

Qui mundi in primordio
Adam plaſmaſti hominem,
. . . .
Ut hominem redimeres,
Quem ante jam plaſmaveras &c.

88 Ii, quibus placet, Patres in explicandis Scripturis ipſis Platonem (quoad fieri id poſſet) fuiſſe ſecutos, minime verebuntur Hilarium hæc proponentem: *anima videlicet ipſas materias animaverat, ut naſcentibus poſtmodum animantibus animas commodarent*, Platonicis adſcribere. At iis minime illum adſcripſerim: novi enim platonica dogmata, quæ mundi animam, & alia his affinia exhibent, non multum laudis apud Orthodoxos habere poſſe. Duobus itaque modis ſententiam explicaverim. Vel ſcilicet dic, ex Hilarii ſententia Deum indidiſse aquis id, quodcunque tandem illud ſit, quo piſcium, & reptilium, & volatilium animæ conſtant: atque illud quidem, licet a nobis ignoretur modus, quo id factum ſit, tamen peractum certe eſt: excepere enim piſces, & reptilia, et aves, quum vivere cœperunt, animas ab aquis jam divina juſſione fęcundatis. Vel dic inditas jam fuiſse animas piſcibus, & reptilibus, & avibus, ex quibus piſces, & aves, & reptilia, naſcitura animas quoque ſuas receptura forent (neque enim piſcium, & reptilium animæ creantur, & infundun-

(*a*) *Teſtis eſt Petrus ita ſcribens:* Quaſi fideli creatori commendantes animas veſtras. *Quid ope-ris nomen opifici imponimus?* &c. (*b*) In hymno ad Matut. temp. Paſch.

Digitized by Google

duntur in corpora jam formata: nam hoc tantum in homine evenit; ſed per generationem communicantur, excipiunturque). Cur enim de piſcium animabus id dicere non licebit, quod de brutorum animabus tradidit Baſilius? cujus quidem verba laudabilem paritatem nobis præbent. Ecce porro quid Baſilius hoc de argumento doceat (*a*) priorem illam explicationem haud obſcure indicans. „ *Producat terra animam viventem*. Cur producit terra animam viventem? ut, quid inter animam pecudis, & inter animam hominis interſit, diſcas. Quomodo hominis anima formata ſit, paulo poſt ſcies: nunc vero de brutorum anima audi. Cum juxta id quod ſcriptum eſt, animalis cujuſque anima ſanguis ipſius ſit, ſanguis autem concretus ſoleat in carnem tranſmutari, caro vero corrupta in terram reſolvatur: jure ac merito eſt quid terrenum anima brutorum. *Producat* igitur *terra animam viventem.* Animæ vide affinitatem cum ſanguine, ſanguinis cum carne, carnis cum tellure: & rurſus ordine inverſo per eadem regredere a terra ad carnem, a carne ad ſanguinem, a ſanguine ad animam: & pecorum animam terrenam eſſe comperies. Cave exiſtimes, animam eſſe corporis ipſorum conſtitutione vetuſtiorem.„

Altera porro explicatio eodem quoque Baſilio innititur, quem audire præſtat hæc docentem (*b*). „ *Producat terra animam viventem pecorum, & beſtiarum, & reptilium*. Conſidera Dei vocem per res creatas pervadentem, quæ & tunc incepit, & uſque adhuc efficax eſt, ac in finem tranſitura eſt, quoad conſummatus fuerit mundus. Quemadmodum enim globus cum a quopiam fuerit motus, ac deinceps declivem aliquem locum nactus fuerit, & ex propria ſtructura, & ex loci opportunitate deorſum fertur, nec prius quieſcit, quam planities aliqua ipſum exceperit: ita rerum natura uno præcepto incitata, res conditas æqualiter in generatione, & in corruptione penetrat, ſervatque per ſimilitudinem ſucceſſiones generum, donec ad ipſum perveneric finem. Nam equum equi ſucceſſorem facit, leonem leonis, aquilam aquilæ: immo ſingula animalia conſequentibus ſucceſſionibus conſervata uſque ad Univerſi conſummationem tranſmittit. Tempus nullum deſtruit animalium proprietates: ſed tanquam nuper conſtituta natura ſit, ſemper recens una cum tempore excurrit. *Producat terra animam viventem*. Hoc præceptum terræ inhæſit, nec ea Creatori deſinit famulari.„

Quamquam ſi quis illud generationis genus, quod *ſpontaneum* vetuſti Philoſophi appellant, ſive *ex putri*, hic commemoratum dicet, rem dicet a veriſimili minime alienam: veteres enim hujuſmodi generationes aquæ, imbriumque ſubſidio peragi potiſſimum arbitrabantur. Hinc Baſilius (libet enim, quoniam ſuperiora illius auctoritate firmavi, hoc quoque ejuſdem auctoritate comprobare) hinc, inquam, Baſilius proxime poſt ſuperiora verba hæc ſubjicit: *Alia enim ex ſucceſſione eorum, quæ prius extitere, producuntur: alia vero ex ipſa terra etiam nunc adhuc vitam accipere compertum eſt. Non enim ſolum pluvio tempore edit cicadas, aut alia innumera volatilium in aere vagantium genera, quorum plurima propter tenuitatem ſunt anonyma; ſed mures etiam, & ranas ex ſe ipſa profert. Nam circa Thebas Ægyptias, ubi in æſtibus large pluit, ſtatim campeſtribus muribus regio expletur. Quin etiam anguillas vidimus non aliter quam ex limo conſtitui, ac generari, quarum ſucceſſionem neque ovum, neque ullus alius modus conficit, ſed ip-*

M 2 *ſæ*

(*a*) Hexaemeron Homil. VIII. n. 2. pag. 71 Tomi I editionis Patrum S. Mauri.
(*b*) Hexaemer. Homil. IX. n. 2. pag. 81.

Digitized by Google

ſæ ex terra ortum habent. Producat terra animam, &c.

Atque his explicationibus, mea quidem ſententia, illuſtrari facile poſſunt ea, quæ allegavimus, hujuſce Epiſtolæ verba, neque cogimur, ut dicamus animam, cujus hic mentio fit, eſſe ipſum Spiritum Sanctum fecundantem aquas: quæ tamen opinio & Steucho noſtro placuiſſe viſa eſt, & veteribus multis apertiſſime placuit, eamque fortaſſe innuit Baſilius, cum hæc ſcripſit (*a*): *Non ſolum corpus ejus* (hominis) *circumjacens*, *& æſtus corporis tranquilla ſint*, *ſed etiam quidquid ambit*, *& circumplectitur*, *cœlum videlicet*, *terra*, *mare*, *& quæ in eis ſunt rationalia. Et intelligat adimpleri omnia*, *ſpiritumque unde libet ſuper ipſa ſtare*, *ceu illapſum*, *& infuſum*, *& unde libet ingredientem*, *atque illuceſcentem: nam orbem terrarum Spiritus Domini replevit*, *& hoc quod continet omnia*, *ſcientiam habet Dei*. Recole quæ dixi num. 24.

89 Conſule locum Geneſis, quem in calce epiſtolæ notavi. Docet hic porro animalia non extrinſecus animam accepiſſe, ſed cum corpore ipſo, & materia jam animata, & vivente. Contra homo, ut mox videbimus.

90 Reſpicit, ut puto, ad notiſſima illa Pſalmi XXXII (*b*) verba: *ipſe dixit*, *& facta ſunt*, *ipſe mandavit*, *& creata ſunt*. Ipſa quoque deſcriptio creationis, formationiſque rerum, quam habes capite I Geneſeos, celeritatem eductionis rerum poſt divinam juſſionem declarat. *Dixitque Deus*: *fiat lux*, *& facta eſt lux* &c. Hinc intervalla quævis, & tarditas excluduntur. Conſule, obſecro, quæ tradit Hilarius in Commentariis in pſalmum 118 (*c*).

91 Vide numerum proxime ſuperiorem, ideſt nonageſimum, & Diſſertationem I. Ubi poſui, *quippe quum Deus*, &c., amanuenſis ita ſcripſit, ut legere etiam poſſimus, *quippe quod Deus*.

92 Aliam fœcunditatem terræ tribuit, dum ex ea corpus hominis formatum eſt: quam ob cauſam homo *terræ fœtus* aliquando dictus eſt; & *de terra terrenus* ab Apoſtolo Paulo (*d*). Ipſa quoque etymologia nominis Adam id denotat.

93 Nonnihil difficultatis habent iſta. Quid enim ſignificatur vocibus illis *poſt divina*? Suſpicor, amanuenſis indiligentia errorem aliquem huc irrepſiſſe: in primævo enim exemplari legi facile potuit *poſt humana* (ideſt terrena) *divina deerant*, ideſt creatio animæ humanæ, quam *divinam* alibi appellat Hilarius (*e*). Quod ſi vis, errorem nullum fuiſſe huc illapſum, tu dic aut ſpeciem illam formamque humanam, de qua alibi dicam fuſius (*f*), hic indicari; nam divina ſpecies ea erat, tametſi hominem referens. Vel etiam dic, voce illa, *divina*, Cęlum Empyreum fortaſſe denotari, quod aliquando *Sedes Dei* dicitur (*g*), aut potius Angelos, qui a Job, & ab aliis, atque adeo ab Hilario ipſo vocantur *Filii Dei* (*h*): adeo ut ſenſum hunc habeant verba iſta: Poſtquam Angelos puros ſpiritus jam condiderat, hominem denique condidit, qui non ſolo ſpiritu (cujus cauſa originem dicitur e cœlo trahere), verum etiam corpore e tellure formato conſtet.

94 Is vero (ideſt homo) dici rectiſſime poteſt *iterum natus*, quia, ut hic interea omittamus, bis de illius formatione, &, ſi appellare ita volumus, *nativitate* mentionem fieri in Scriptura, quæ indicat in ſecunda ejuſdem creationis, ſeu nativitatis, formationiſque men-

(*a*) adverſus Eunomium lib. V cap. ultimo pag. 322 Tom. 1. (*b*) verſ. 2. (*c*) littera X Jod n. 4. *In creatione* &c. (*d*) 1. Corin. XV. 47 &c. (*e*) in pſal. 118. litter. X. n. 7. pag. 337 Tom. 1. (*f*) vide diſſertat. 1 huic epiſtolæ adjunctam. (*g*) Pſalm. X. 4: *Dominus, in cœlo ſedes ejus*. Et Pſ. 111. 16. *Dominus in cœlo paravit ſedem ſuam*. Et pſ. CXIII. 3. *Deus autem noſter in cœlo*. Et ibidem verſ. 16: *Cœlum cœli Domino, terram autem dedit filiis hominum*. (*h*) Vide annotationem 38.

Digitized by Google

mentione formationem Hevę ex Adami coſta (*a*): ut id, inquam, omittamus, *iterum natus* propterea is dici poteſt, quatenus antea extabat terra, ex qua formatus eſt, cujus quidem terræ creatio, prima Adami nativitas fuit (*in cauſa* ſcilicet, ſeu *in præcedenti materia*, ut Scholaſtici loquuntur). At cum factus eſt in animam viventem (*b*), tum iterum naſci viſus eſt. Hinc alibi Hilarius triplicem *hominis facti, præformatique perfectionem* innuit, quarum altera corpus ſpectet, altera animam (& de duabus his hic loquimur), tertia vero reſpiciat imaginem Dei homini impreſſam (*c*), de qua deinceps erit ſermo. Illuſtrabunt præſentem Hilarii ſententiam ea, quæ numero VI, & VII Commentariorum in pſalmum 118, e quibus nuper nonnulla deſcripſimus, edocet: duas quippe hominis origines tantummodo memorat, eaque ipſa monet, quę in præſenti hoc opuſculo tradit. En ea, quæ dixi, Hilarii verba. *Ceterorum omnium elementorum creatio eo ipſo tempore & inſtituta, & effecta eſt, quo ſubſiſtere jubebatur: neque incboationem eorum, & perfectionem tempus aliquod diſcernit; nam conſummationem incboatio in eo, quod eſt cœpta, percepit. Homo vero cum internam, & externam in ſe naturam diſſonantem aliam ab alia contineat, & ex duobus generibus in unum ſit animal rationis particeps conſtitutus, duplici eſt inſtitutus exordio. Primum enim dictum eſt: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Dehinc ſecundo: Et accepit Deus pulverem de terra, & finxit hominem. Primum opus non habet in ſe aſſumtæ aliunde alterius naturæ originem.... Secundi vero operis efficientia quanto differt ab inſtitutione prima? Deus terræ pulverem accipit. Nam ſumitur pulvis, & terrena materies formatur in hominem, vel præparatur: & ex alio in aliud opere ac ſtudio artificis expolitur. Primum ergo non accepit, ſed fecit: ſecundum non ut primum fecit, ſed accepit; & tunc formavit, vel præparavit.*

95 An approbat hic Hilarius illorum ſententiam, qui corpus Adami ex nobiliore portione, &, ſi loqui ita licet, ex flore veluti terræ e variis, iiſque præſtantioribus locis collectæ formatum putant, an aliud quodpiam hic indicat? Judicet Lector.

96 Id ipſum alibi aliis verbis docet Hilarius, his nempe (*d*): *Qui primum animam nobis ad flatum reſpirationemque vivendi, cum hominem ſecundum imaginem ſui ſimilitudinemque conſtituit, de theſauris poteſtatis ſuę, divinitatiſque diffuderit. Secundum Apoſtolum enim, Ipſius genus ſumus: & ſecundum eumdem, Omnia ex ipſo, & per ipſum, & in ipſo ſunt: ſcilicet ut* in ipſo *habitatio noſtra atque incolatus oſtenſa ſit ſedes, dum omnia immenſa virtutis poteſtate complexus eſt*; per ipſum *vero originis incboatæ opus effectuſque monſtretur, cum in nobis id ipſum, quod ſumus, operatus ſit*; ex ipſo *autem initia vitæ ad* exor-

(*a*) Gen. I. 26, 27, & 28. Geneſ. II. 7, 22, & 23. (*b*) Gen. II. 7. (*c*) En quæ num. 8. comment. in Pſ. 118 edocet. *Utrumque autem intelligi recte poteſt, quia utrumque ſcriptum deprehendimus: ut formaverit in id quod eſt, corporis ſcilicet ſpeciem; vel præparaverit in id quod dicitur, & inſpiravit in eum ſpiritum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem. Inſpirationi ergo huic præparatus ſive formatus eſt: per quam natura animæ & corporis in vita perfectionem quodam inſpirati ſpiritus fędere contineretur. Scit in ſe duplicem beatus Paulus eſſe naturam, cum ſecundum interiorem hominem delectatur in lege, & cum aliam in membris ſuis videt legem, quæ ſe captivum ducat in lege peccati. Quod ergo ſit ſecundum imaginem Dei, ad animi pertinet dignitatem. Quod autem formatur ex terra, ſpecies corporis naturaque primordium eſt. Et quia vel locutus ad alterum Deus intelligitur, cum dicit, faciamus hominem; vel triplex cognoſcitur hominis facti præformatique perfectio: cum & ſit ad imaginem Dei, & formatur e terra, & inſpiratione ſpiritus in viventem animam commovetur: idcirco manibus ſe factum & formatum; non manu tantum Propheta teſtatur, quia in conſtitutione ſua non ſolitarii tantum, & eadem triplex fuiſſe docetur operatio.* (*d*) in Pſ. 67. num. 22. pag. 229 Tomi 1.

Digitized by Google

exordia ſpiritus indulta noteſcerent. *Non fuit ergo a beneficentia divinæ bonitatis alienum, ut qui ex ſe ipſo nobis, qui ejus genus ſumus, vitæ ac ſpiritus elementa tribuiſſet.* Alibi (*a*) vero tradiderat, *animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam, elementis corporis admiſceri.*

97 Vide diſsertationem I his annotationibus adjunctam.

98 Patrem in creando hominem vult expreſſiſſime conſortem, &, ſi loqui ita volumus, concreatorem, cum reliquorum omnium creationem recenſens, Patris minime meminerit. Id ipſum, ſed multo copioſius tradit numeris octavo, nono, & decimo libri V *de Trinitate*, ad quæ quidem loca Lectorem allego. Sed cur, quæſo, hic Patrem expoſcit, qui reliqua ſoli Filio videtur tribuere? Id repetere, ſi volumus, poſſumus ab imagine homini impreſſa; nam eam Hilarius *Patris imaginem* expreſſe appellat (*b*). Quamquam non ſolius Patris imago ea eſt, ſed totius Trinitatis, id indicantibus verbis illis: *faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram.* An etiam ex eo repetimus, quod peculiare, eximiumque omnipotentiæ opus eſt homo, jungens ſcilicet in ſe quidquid corpus, & ſpiritus præſtantiæ habent, ac dignitatis? (Omnipotentiæ porro opus ſpeciatim refertur ad Patrem). Judicaverit Lector. Illud certe conſtat, Theodoretum (*c*), quem propterea allegat Petavius (*d*), edocuiſſe id ipſum, quod hic Hilarius. Aſſerit ſcilicet Deum Patrem, cum hominis illius, quem moliebatur, naturam, ac ſubſtantiam Filium ſuum aliquando aſſumpturum prævideret, Adamum veluti humani generis originem, ac fundamentum ſuis ipſis manibus fabricaſſe. Theodoretum ipſum conſule, obſecro.

99 Locutio hæc: *ut ad immortalitatem non præſcriberet terra*, ex earum numero eſt, in quibus Tertullianum imitari videtur Hilarius. Rationem porro hic affert, cur homo, tametſi ſolubili corpore conſtans, conſtitutus a Deo fuerit immortalis: quia ſcilicet *immortales* (ſupple, *Dei*) *manus* eundem hominem efformaverunt. Quid Dei manus denotent, facile aſſequeris, ſi vel ad eam ſpeciem, formamque humanam confugias, de qua copioſe in priore diſſertatione dicemus, vel ea conſulas, quæ pſalmum 118. commentariis illuſtrans docet Hilarius. Vide n. 3, 4, & 5 litteræ x, ſeu Jod. Reſpicit porro procul dubio hic Hilarius ad duo illa Scripturæ loca (*e*). *Manus tuæ fecerunt me, & plaſmaverunt me* &c. (*f*) *Manus tuæ fecerunt, & plaſmaverunt me*, ſeu, ut legit Hilarius, *finxerunt me, præparaverunt me.* Poſt verba illa, *conſtituerent hominem*, intercapedo aliqua in codice occurrit: ſed ea tam modica eſt, ut ipſam contempſerim; & re vera ſine ulla intercapedine ſenſus integer perſtat.

100 De imagine homini a Deo impreſſa, deque ſimilitudine, quam poſt mortem recepturus eſt, ſi Deo acceptus mortem obierit, multa monet Hilarius, quæ quoniam non levem expoſcunt operam, ea in peculiarem diſsertationem rejiciam.

101 Reſpicit ad eum Joannis locum (*g*): *Chariſſimi, nunc filii Dei ſumus; & nondum apparuit, quid erimus. Scimus, quoniam, cum apparuerit, ſimiles ei eri-*

(*a*) in Pſ. 63. n. 9.

(*b*) lib. V *de Trinitate* n. 9. *Meminerit tamen ſemper per Filium omnia; ne forte heretica intelligentia operationem ſibi Dei Patris coaptet. Si igitur ad imaginem Dei Patris per Filium Deum homo conditur, conditur quoque ad imaginem Filii: quia nemo Filio dictum denegat*, ad imaginem & ſimilitudinem noſtram. *Tenuit ergo Sermo divinus rationem veritatis in dictis, quam opus explebat in factis: ut hominem ad imaginem Dei Deus figuraret, ut Deum ſignificaret, nec veritatem Deo adimeret, cum & in communione imaginis eſſet Deus verus, qui in opere efficiendo intelligebatur Deus filius.* (*c*) quæſt. xix in Geneſ. (*d*) de Opifi. II. 2. 4.

(*e*) Job x. 8. (*f*) Pſ. 118. verſ. 73. (*g*) I epiſ. III. 2.

erimus: quoniam videbimus eum ſicuti eſt. Quod porro hic paucis Hilarius, alibi copioſe, & fuſe exſequitur, undecimum *de Trinitate* librum ſic concludens (*a*): *Ceterum nos in hominis noſtri conformem gloriam proficiemus, & in agnitionem Dei renovati ad Creatoris imaginem reformabimur, ſecundum Apoſtoli dictum:* Exuti veterem hominem cum actibus ſuis, & induti novum eum, qui innovatur in agnitionem Dei ſecundum imaginem ejus, qui creavit eum. *Conſummatur itaque homo imago Dei. Namque conformis effectus gloriæ corporis Dei, in imaginem Creatoris excedit, ſecundum diſpoſitam primi hominis figurationem. Et poſt peccatum, veteremque hominem, in agnitionem Dei novus homo factus, conſtitutionis ſuæ obtinet perfectionem, agnoſcens Deum ſuum, & per id imago ejus: & per religionem proficiens ad æternitatem, & per æternitatem Creatoris ſui imago manſurus.*

102 Hæc ſi quis comparet cum iis, quæ Hilarius in Pſalmum 118 (*b*), & apertius etiam in Pſalmum 129 (*c*) ſcripſit, ſtatim, ut puto, fatebitur, unum eundemque & Epiſtolæ hujus noſtræ, & commentariorum illorum eſse auctorem. Nonnulla delibabo, quę tamen, niſi plane fallor, id quod ajo, aperte oſtendent. Ecce illa (*d*). *Ac primum quidem intelligendum eſt, Deum incorporalem eſſe, neque ex partibus quibuſdam, atque officiis membrorum, ex quibus unum corpus efficitur, conſiſtere. Legimus enim in Euangelio, quoniam Deus ſpiritus eſt, inviſibilis ſcilicet, & immenſa, atque intra ſe manens, & æterna natura. Scriptum quoque eſt, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habet. Ex his enim corporis membra conſiſtunt, quibus ſubſtantia Dei non eget. Deus autem, qui & ubique, & in omnibus eſt, totus audit, totus videt, totus efficit, totus incedit, & hoc ex Scripturis docemur, cum dicitur,* Ego ſum Deus appropians, & non de longe; & *rurſum:* Quoniam in ipſo vivimus, & movemur, & ſumus. *Virtus ergo Dei, quæ æqualis, & indiſcreta eſt, officiorum, ac membrorum habet nomina: ut virtus qua videt, oculi ſint, virtus qua audit, aures ſint; virtus qua efficit, manus ſint; virtus qua adeſt, pedes ſint: Officiorum diverſitates virtutis hujus.... poteſtate peragente. Deus ergo ubique eſt, & ubique adeſt, audit, videt, efficit.*

Porro diu ante Hilarium hæc ſcripſerat Irenæus (*e*): *Univerſorum Deus, qui ſimul ut cogitavit, perficit id quod cogitavit: & ſimul ac voluit, & cogitat hoc quod voluit.... quum ſit totus cogitatus, & totus ſenſus, & totus oculus, & totus auditus, & totus fons omnium bonorum*. Id ipſum inculcat his verbis (*f*): *Multum enim diſtat omnium Pater ab his, quæ proveniunt hominibus, affectionibus, & paſſionibus, & ſimplex, & non compoſitus, & ſimilimembrius, & totus ipſe ſibimet ipſi ſimilis, & æqualis eſt; totus quum ſit ſenſus, & totus ſpiritus, & totus ſenſuabilitas, & totus ennœa, & totus ratio, & totus auditus, & totus oculus, & totus lumen, & totus fons omnium bonorum, quemadmodum adeſt religioſis, ac piis dicere de Deo*. Similia mox docet (*g*). Et rurſus alibi (*h*): *Deus autem cum ſit totus mens, totus ratio, & totus ſpiritus operans, & totus lux, & ſemper idem...... Deus autem totus exiſtens mens, & totus exiſtens Logos* &c. Affinia tradit libro IV (*i*). Irenæum videtur exſcribere Cyrillus Hieroſolymitanus, cum hæc ait (*k*): *Suſ-*

(*a*) pag. 406 Tomi II. (*b*) litt. x. n. 8. (*c*) n. 3, & ſequentibus. (*d*) In Pſal. 129. n. 3. pag. 492.
(*e*) lib. I. cap. XII. n. 2. alias cap. VI. (*f*) lib. II contra hæreſes cap. XIII n. 2; olim cap. XVI.
(*g*) n. 9 ejuſdem capitis XIII; olim cap. XVIII. *Deus totus Nus, & totus logos quum ſit, quemadmodum prædiximus, & nec aliud antiquius.... Quemadmodum qui dicit eum totum viſionem, & totum auditum (in quo autem videt, in ipſo & audit, & in quo audit, in ipſo & videt) non peccat: ſic & qui ait totum illum ſenſum, & totum Verbum.*
(*h*) cap. 28. n. 4, & 5, olim cap. 47, & 48.
(*i*) cap. XI num. 2, olim cap. 24. *Et Deus quidem* &c. (*k*) Catech. VI num. VII.

Sufficit nobis ad pietatem illud ſolum, ut ſciamus, nos Deum habere Deum unum, Deum exiſtentem, ab æternitate exiſtentem, ſui ſemper ſimilem... qui multis nominibus inſignitus omnia poteſt, & uniformis eſt ſubſtantiæ... Non ex parte videns, & ex parte viſione privatus: verum totus oculus, & totus auditus, & totus mens. Hos imitatur Theodoretus commentariis illuſtrans Pſalmum 129 (*a*): hæc nempe ait: *Licet humano more verbis uſi ſint, tamen divinitatem incorpoream eſſe norunt, & audiendi vim, aures appellavit, & videndi potentiam, oculos: quandoquidem noſtri oculi videndi vim habent, & auribus audiendi vis commiſſa eſt. Deus autem qua potentia audit, hac etiam videt, & qua videt, hac etiam audit.*

103 Prævenit objectionem, quæ in rudioris alicujus animum venire poſset. Scilicet, ſi tantum differt homo a Deo, in qua hominis parte imago Dei poni poterit? Prævenit, inquam, monens duas eſse hominis partes, quarum utramque per Synecdochen appellare poſſumus *hominem*, interiorem, & exteriorem, in quarum priore ſita eſt ea, quam diximus, Dei imago.

104 Vide quæ diximus n. 100, & 101.

105 *Dum:* ideſt, dummodo. Porro in verbis illis, *ſine fine*, manifeſtus error ineſt. At quomodo locum eum emendem, neſcio. Suſpicor, paucas aliquas voces lineola una comprehenſas fuiſse ab imprudente amanuenſe ſublatas, ſic ut legendum nunc ſit, & *ſine ... in fine* (id eſt, in fine vitæ, ſeu in morte) fuerit comprobatus. Suſpicor etiam fuiſſe olim lectum *ſine fictione*; adeo ut ſcilicet jure expoſcat Hilarius, ut exteriori profeſſioni pietatis interior pietas reſpondeat. Suſpicatus ſum pariter, fuiſse primitus lectum, *ſine infide*: neque enim dubito, quin aliquando in uſu fuerit vox hæc, & ab ea provenerit *infidus*, ſicut ab infidelitate infidelis. Quia tamen ſuſpiciones meræ hæ ſunt, nihil immutare in ipſo Hilarii ſcripto volui. Lector pro lubito emendet. Confirmationem eorum, quæ hic traduntur, ſi quis repetere ex Hilario ipſo cupiat, ea adeat loca, quæ brevitatis cauſa in paginę calce noto (*b*). Ceterum in Scripturis id ſæpe inculcatur, veluti Luc. IX. 62; Matth. X. 22; Rurſus XIX. 17; et XXIV. 13; Heb. XII. 7. &c.

106 Animum hic intendit Hilarius ad ea Eccleſiaſtici verba (*c*): *Deus ab initio conſtituit hominem, et reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata, et præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, et in perpetuum fidem placitam facere. Appoſuit tibi aquam, et ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, et mors, bonum, et malum: quod placuerit ei, dabitur illi* &c. Hęc ſi uberiori ſtylo, atque eleganter ab Hilario expoſita videre cupis, adi num. 16 commentariorum in pſalmum II (*d*).

107 Dum hæc tradit Hilarius: *ne magnus, et ſolutus a lege animantibus omnibus æquaretur*, eum reſpexiſse arbitror ad locum illum pſalmi 48 (*e*): *Homo cum in honore eſset, non intellexit, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Fortaſſe etiam reſpexit ad ea libri Job verba (*f*): *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Ea quæ proxime ſuperiori annotatione monuimus, ſubſequentia verba: *addita comminatione poſt legem* &c., ex parte illuſtrant. Sed procul dubio innuit S. Doctor ea Geneſis verba (*g*): *Præcepitque ei* (Dominus) *dicens: ex omni ligno paradiſi comede: de ligno autem ſcientiæ boni, et mali ne comedas: in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris.*

108

(*a*) verſ. 2. *fiant aures tuæ intendentes* &c. (*b*) in pſ. II. num. 15. pag. 38, & 39 Tomi 1. Et in pſal. 118. litter. XX. n. 9, & 10. pag. 406 ejuſdem Tomi Et lib. 1 *de Trin.* n. 9. pag. 7 Tomi 1. (*c*) cap. XV verſ. 14. (*d*) pag. 39 Tom. 1. *Sed qui perfectus, ac bonus eſt &c.* (*e*) verſ. 13, & 14. (*f*) cap. XI. verſ. 12. (*g*) cap. II. verſ. 16.

Digitized by Google

108 Notant hic interpretes, mulierem ex Adami coſta eductam fuiſſe antea appellatam (*a*) *Iſhâh*, nomine ſcilicet mulieribus omnibus communi: poſt peccatum vero appellatam Hevam, quo quidem vocabulo indicatur, Deum illi poſt ejus peccatum vitam ſervaſſe; indicatur quoque ſpes ab Adamo concepta, ut per illam gignerentur, alerenturque homines, per quos propagaretur humanum genus. Vide Calmetum. Vocabulum tamen hoc potius convenire Mariæ Sanctiſſimæ, quam Hevæ, immo Hevæ tantummodo convenire, quia Mariæ typus fuit, docet Epiphanius (*b*).

109 Hevæ fuiſſe præſcriptum, ne pomum arboris ſcientiæ boni, & mali comederet, perſpicue aſſequimur ex capite III Geneſis (*c*). Eandem porro Hevam præmii Adæ promiſſi futuram fuiſſe participem, ſi in innocentia perſtitiſſet, certa res eſt, & facile ex eventu oſtenditur. Si enim propterea pœnę obnoxia fuit, quod peccatum commiſerit, præmii ſane futura fuiſſet compos, ſi caviſſet a crimine. Monent autem Patres, in Scripturis fere omnibus, ubi pręcepta nobis impoſita memorantur, & præmia proponuntur, ſolius hominis mentionem fieri, vel quia ſcilicet ſub *hominis* genere ſexus uterque comprehenditur, vel quia, cum *caput mulieris* vir ſit, hic tantummodo nominatur, quamvis & præcepta mulieres etiam afficiant, & eadem præmia iis quoque propoſita ſint. Pulcre Cyprianus (*d*) commentariis illuſtrans verba illa Apocalypſis (*e*): *hi ſunt qui ſe non coinquinaverunt*, hæc ait: *Neque enim tantum maſculis continentiæ gratiam Dominus repromittit, & feminas præterit: ſed quoniam femina viri portio eſt, & ex eo ſumpta, atque formata eſt, in Scripturis fere omnibus ad protoplaſtum Deus loquitur, quia ſunt duo in carne una, & in maſculo ſimul ſignificatur & femina.*

110 Loca Scripturarum, quæ in epiſtolæ ipſius margine notavi, conſule. Quod attinet ad vocem illam *Sermonem*, qua ſcilicet Divinum Verbum, unigenitus Dei Patris ſignificatur, vide quæ num. 20 diximus. Num voces hæ, *ideſt filium*, gloſsema quoddam ſcriptoris ſint a margine in epiſtolam ipſam illapſum, an ab Hilario ipſo proveniant, dijudicet Lector. Poſtremam ſententiæ hujus partem, *nam eſt & ipſis non peccare liberum &c.*, illuſtrant ea quæ n. 106 tradidimus; ea quoque, quę Petavius, aliique Theologi, & interpretes *de opificio ſex dierum* differentes docent.

111 Ut ea de re certior ſis, vide Theologos peculiari tractatu *de opere*, (ſeu de opificio) *ſex dierum* diſputantes, interpretes quoque, atque inter ceteros Steuchum noſtrum Eugubinum eleganti ſimilitudine ſententiam hanc illuſtrantem (*f*).

112 Cauſam hic affert Hilarius, ob quam peccatum originale trahamus, quia ſcilicet derivamur ab Adamo, in cujus voluntate poſterorum voluntates conſtituerat Dominus: derivamur, inquam, ab Adamo jam inobediente, ideoque etiã reo, quique ſecum in perniciem poſteros traxit. Hoc de argumento ſi pro dignitate agere voluero, infinitus propemodum ero: quam ob rem Lectorem rejicio ad Theologos, qui copioſe de eo diſſerunt. Hilarii loca ad rem præſentem conducentia ſi quis conſulere velit, ea adeat, quæ ad paginæ calcem allego (*g*).

113 Ea de re ſi quis dubitet, conſulat (ut reliqua ſileam) caput IV Geneſis: videbit enim Deum perquirentem Cain homicidii reum, eumque hortantem ad pęnitentiam. Memoranda

N ſunt

(*a*) אשה. (*b*) hæreſ. 78. num. 18, & 19. (*c*) verſ. 1, & ſeq. (*d*) *De habitu Virgin.*
(*e*) cap. 14. verſ. 4. (*f*) in Coſmopœja. (*g*) In pſ. 138. n. 24. *Revertetur enim &c.* (pag. 573 Tom. 1) Et in pſ. 145. n. 2. *Non enim ea vita &c.* (pag. 630). Vide etiam Commentaria in caput XVIII Matthæi n. 6. *Ovis una &c.* (pag. 758 ejuſdem Tomi).

Digitized by Google

ſunt præſertim iſta (*a*): *Nonne ſi benegeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum* (ideſt, pœna peccati) *aderit? Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Recole etiam quæ diximus num. 106. Quod ſi hic quoque Hilarium optas, lege obſecro, quæ docet ille in commentariis Pſal. 118 (*b*).

114 Id indicatur a Chriſto ipſo, dum hæc ait (*c*): *Jeruſalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt! Quoties volui congregare filios tuos, quem ad modum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti.* Neque vero neceſſe eſt, ut Jeroſolymæ nomine hic intelligamus Jeroſolymæ incolas; ſed vocabulum hoc referre commode poſſumus ad humanum genus, & ſpeciatim ad genus Jacob: niſi enim humanum genus univerſim denotaretur, haud apte ſanguinis Abelis a Caino fuſi facta fuiſſet a Chriſto mentio (*d*). Aptiſſima hoc ſuper argumento tradit Hilarius in iis, quos ad paginæ calcem deſigno, locis (*e*).

At, ne videar uno Hilario inniti, Auguſtinum Hilario adjungo hæc edocentem (*f*): *Miſit Sermo Dei legem per ſervum ſuum, nec profuit in peccatis mortuo generi humano; quæ tamen non ſine cauſa miſſa eſt; ille enim miſit, qui ſciret eam prius mittendam: venit ipſe, conformavit ſe nobis, factus particeps mortis noſtræ, & vivificati ſumus &c.*

Sed præ his omnibus uberius, atque eloquentius argumentum hoc pertractat Gregorius Magnus, cujus monita ne prætereat Lector, velim. Etenim commentariis caput xx Matthæi illuſtrans, explicanſque parabolam illam, in qua *Regnum cœlorum ſimile dicitur homini patri familias, qui ad excolendam vineam ſuam operarios conduxit*, ea tradit, quæ mirifice ſententiam hanc illuſtrant (*g*). Vide etiam interpretes in verſiculum 1 epiſtolæ ad Hebræos: *Multifariam, multiſque modis olim loquens Deus Patribus in prophetis* &c.

115 Peccatum Adami, quod omnes contraxerunt, perſpicue innuit; atque ex eo oſtendendi neceſſitatem dominicæ incarnationis, prædicandæque divinæ pietatis erga genus humanum, occaſionem ſumit Hilarius; quod alibi, & ſæpe facit. Quis enim hominum reconciliare nos Deo poterat, ſi omnes in Adamo peccavimus, & naſcimur *filii iræ, filii vindictæ?* Erat itaque opus, ut carnem noſtram ſumeret unigenitus Dei Filius, *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus* (*h*), atque in ea ſatisfaceret Deo irato. Diſſerunt hoc de argumento Theologi, & Petavius in primis, qui plurimos eam in rem Patres allegat (*i*). Unum hic affero Ambroſium hæc elocutum (*k*): *Ipſe eſt ſolus, qui redimet hominem vincens pietate germanos, quia pro alienis ſanguinem ſuum fudit, quem nemo poteſt offerre pro fratre.... ſed quare ſolus hic redimet? Quia nemo poteſt eum æquare pietate, ut pro ſervulis animam ſuam ponat: nemo integritate, omnes enim ſub peccato: omnes Adæ illius ſubjacent prolapſioni: ſolus Redemptor eligitur, qui peccato veteri obnoxius eſſe non poſſit.*

116 Quod ad priorem illam ſententiam attinet: *ne in totum diabolus triumpharet*, ea denotat priora illa, & incarnationem præcedentia tempora, quibus ſane *triumphare* viſus eſt dæmon:

adeo

(*a*) cap. IV verſ. 7. (*b*) littera XXII. n. 3. & pag. 412 Tom. 1. *Æquitatis autem &c.*

(*c*) Matth. XXIII. 37. (*d*) *Ut veniat ſuper vos omnis ſanguis juſtus, qui effuſus eſt ſuper terram a ſanguine Abel juſti uſque ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ, quem occidiſtis inter templum, & altare.* Matth. XXIII. 35. (*e*) in pſ. 52. n. 5. pag. 56 Tomi 1. *ac ne indiligens Dei erga homines &c.* Et in Matthæi caput XII. n. 22. pag. 733. Et expreſſius in caput XX n. 6, & 7. (*f*) lib. XII contra Fauſtum cap. 35. (*g*) homil. XIX in Evangelia n. 1. *Quis vero patris familias ſimilitudinem &c.* (*h*) Hebr. VII. 26. (*i*) lib. 2. *de Incarnat* cap. XII, XIII, & XIV. (*k*) in verſic. VIII Pſalmi 48, ſeu ad verba illa: *frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem.*

Digitized by Google

adeo cuncta vitiis obſita erant, & idololatriæ tenebris involuta. Indicat id ſæpe Paulus, veluti cum hæc ait (*a*): *Eramus enim aliquando & nos inſipientes, increduli, errantes, ſervientes deſideriis, & voluptatibus variis, in malitia, & invidia agentes, odibiles, odientes invicem. Cum autem benignitas, & humanitas apparuit Salvatoris noſtri Dei: non ex operibus juſtitiæ, quæ facimus nos, ſed ſecundum ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum: ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Affinia docet idem Paulus verſiculis IX, & X capitis I epiſtolæ II ad Timotheum: *Qui* (Deus) *nos liberavit &c.*

Quod vero attinet ad partem alteram, *nam hoc illi nomen eſt*, notant omnes, vocabulum hoc, *Diabolus*, ſignificare *criminatorem*, ſeu criminum auctorem.

Tertia demum pars, *poſtquam homini invidit*, innuit locum illum libri Sapientiæ (*b*): *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*: innuit quoque verba illa Pauli (*c*): *Serpens Hevam ſeduxit aſtutia ſua*, & alia his affinia. Quamquam expreſſiſſime Luciferum homini ab ipſa ejus origine invidiſſe, nonnulli tradunt: ſed eidem jam condito certe invidiſſe ii docent, quos allegat Petavius (*d*). Hos conſule, obſecro: quibus adde Chryſoſtomum in eo, qui ad paginæ calcem allegatur, loco (*e*).

117 Ea quæ ex Epiſtolis Pauli modo attulimus, huc commode referri poſſunt.

118 Stricte hic Hilarius rationes, ob quas Verbum Dei incarnatum eſt, comprehendit. Ac prima quidem eſt, quia per Filium reparari lapſum hominem conveniens erat, per quem homo erat conditus. Athanaſius, Hilarius, Cyrillus, Auguſtinus, Fulgentius, Chryſologus, Leo Papa, Alcuvinus, & Ivo Carnotenſis eandem rationem inculcant locis iis, quæ Petavius allegat (*f*). Ne cunctos videar præterire, Leonis verba (*g*) adduco. *In hac ineffabili unitate Trinitatis* (inquit Leo) *cujus in omnibus communia ſunt opera atque judicia, reparationem humani generis proprie filii perſona ſuſcepit: ut quoniam ipſe eſt, per quem omnia facta ſunt, & ſine quo factum eſt nihil, quique plaſmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam noſtram ab æternitatis arce dejectam, amiſſæ reſtitueret dignitati, & cujus erat conditor, eſſet etiam reformator, ſic conſilium ſuum dirigens in effectum, ut ad dominationem Diaboli deſtruendam magis uteretur juſtitia rationis, quam poteſtate virtutis.*

119 Vereor, ne error irrepſerit in verba illa, *hominem patienter tolerare*, legendumque ſit *hominem patiendo e poteſtate dæmonis tollere*, aut aliud hujus generis, quo ſignificetur redemptio paſſione peracta. Aliquem tamen laudabilem ſenſum habere poſſunt hęc ipſa verba. Chriſtus enim humanas infirmitates patientiſſime toleravit, hominumque peccata & tulit in ſe, & portavit in ligno, & adeo noſtri eſt miſertus, ut, dum extrema quævis ab hominibus pateretur, exclamaret ad Patrem: *Pater ignoſce illis: quod enim faciunt, neſciunt* (*h*). Niſi fortaſſe velis, eundem ſenſum habere hæc Hilarii verba, atque illas vulgatiſſimas Eccleſiæ preces: *Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime, & miſerendo manifeſtas, &c.* Utcunque ſit, ea quæ ſubſequuntur de poteſtatibus hujus ſeculi ſuperatis, morte devicta, & ceteris,

(*a*) Ad Tit. III. 3. (*b*) Sap. II. 24. (*c*) II. Cor. XI. 3. (*d*) *de angelis* l. III. 2. 16, 17. &c. (*e*) homil. XXII in Geneſ. num. 2. pag. 195 tomi II edit. Montfaucon.

(*f*) De incarnat. II. vr. 16. Et rurſus cap. XV. num. II, III, & IV. (*g*) Serm. 12 de Paſſion. cap. 2. (*h*) Luc. XXIII. 34.

ris, quæ Hilarius proſequitur, iis illuſtrantur Patrum locis, quos indicavi annotatione 115; centeſima vero decima octava ea illuſtrantur, quæ ſubſequuntur: *qui in factura hominis particeps cum Patre fuerat*. Vide etiam quæ annotatione 100, & 101 allegavimus. Ut ea confirmes Hilarii verba, *qui & ſe poſſet in homine celare, & hominem cum Deo mixtum virtutes perficere, & exhibere*, audi Auguſtinum in eandem ſententiam hæc proferentem (*a*): *Acceſſit ergo homo* (intellige, Chriſtus, ſeu unigenitus Dei factus homo) *ad illas omnes paſſiones, quæ in illo nihil valerent, niſi eſſet homo. Sed ſi ille non eſſet homo, non liberaretur homo. Acceſſit homo ad cor altum, id eſt cor ſecretum, objiciens aſpectibus humanis hominem, ſervans intus Deum: celans formam Dei, in qua æqualis eſt Patri, & offerens formam ſervi, qua minor eſt Patre.* Nolim porro putes, ſuperiora verba aut Neſtorianis favere, aut Eutychianis. Neſtorianis illa, *qui & ſe poſſet in homine celare:* Eutychianis vero ſubſequentia, *& hominem cum Deo mixtum*. Memineris, obſecro, quibus temporibus Hilarius hæc ſcripſerit; diu ſcilicet ante exortam Neſtorii, & Eutychetis hæreſim, ideoque iis temporibus, quibus liberioribus his locutionibus uti tuto licebat. Hinc mirum non eſt, ſi his utatur (*b*). Atque ea quidem loca, in quibus *hominem* veteres Patres appellant naturam humanam a Verbo aſſumptam, tam crebra ſunt, ut ea pigeat recenſere (*c*). Ea vero, in quibus voce *mixtus*, ad denotandam unionem Verbi cum natura humana, utuntur, non aliud indicant, niſi unionem Verbi Divini cum natura humana (*d*).

120. Conſule ea Scripturæ loca, quæ in epiſtolæ ipſius calce indicavi.

121. Omnes fere veteres Patres Virgineum Chriſti partum Dæmonem latuiſſe ajunt; ſed cauſam hujuſce divini conſilii plerumque non afferunt. Duas valde probabiles hic adducit Hilarius, quarum prima eſt: ne Dæmon vereretur Chriſtum tentare, quem ſcilicet non tentaſſet, ſi Deum noſſet: et ut magis appareret victoria, quam de dæmone retulit Chriſtus, qui minus diaboli victor appareret, ſi ſine ejuſdem diaboli acceſſu, & tentationibus diabolus vinceretur. Itaque voces illas, *& minus proſtratus*, ſic accipere poſſumus, ut vel addenda ſit, vel certe intelligenda particula *ne*: id eſt, *& ne minus proſtratus, &c.* Accipere tamen ita etiam poſſumus, ut per ſe ſententia illa perſiſtat.

122. Prior hujus ſententiæ pars ea innuit, quæ de Virgineo Chriſti conceptu docet Lucas. Pars altera rationem affert, cur Chriſtus diu moratus ſit inter homines; ut ſcilicet illius divinitatem per ejus dogmata, & miracula tum præcedentia illius ortum, tum etiam ab eo peracta aſſequeremur, concurrentibus ad eandem teſtificationem Angelorum nuncio, & canticis, adventu magorum, veteri-

(*a*) In Pſal. 63. verſ. 7. (*b*) lib. II *de Trinita.* cap. 26. *Spiritus* (ideſt Verbum divinum) *naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit &c.* (*c*) Vide, ut has, aliaſque affines locutiones in rectiſſimum ſenſum deducas, quæ docent Theologi. Indico e plurimis Petavium *de incarnat.* lib. VII. cap. XII, & XIII. (*d*) Vide hic quoque quæ ad deducendas in rectum ſenſum has, aliaſque affines locutiones Theologi tradunt. Petavium hic quoque ſeligo e plurimis *de incarn.* libro I. cap. XV. n. 7, & 8. & lib. IV. I. II. (numero præſertim 14, & 15.) Capite etiam X. Vide etiam annota. ſ. ad n. 26. libri II. *de Trinit.* Hilarii ad verba illa *Spiritus .... naturæ ſe humanæ carnis immiſcuit &c*; afferuntur enim probatiſſimi Patres, qui his locutionibus uſi ſunt. Ut in Hilario perſiſtam, *mixtionem* procul dubio idem intelligit, atque unionem, cum ait (num. IX commentar. in pſ. LXIII. pag. 181 To. I.) *animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admiſceri*. Auſonius quoque, ut denotet, Spiritum Sanctum unum eſſe cum Patre, & Filio Deum, miſtum cum ait (in *Precatio. matut.*) Patri, & Filio.

Unigeni cognoſco Patrem, miſtumque duobus,
Qui ſuper æquoreas volitabat ſpiritus undas.

Digitized by Google

teribus prophetiis, Simeonis pariter, & Annæ prophetiſsæ, Joannis quoque Baptiſtæ teſtificationibus. Horum partem attingit Hilarius num. 26, & 27 libri II *de Trinitate*, quæ loca rogo ut conſulas. Ne quid porro diſſimulem, ſuſpicatus ſum aliquando, legendum eſſe *diſcerent demum hæc omnia &c.* Vel, *ut omnes ferre diſcerent Deum*, ideſt legi Chriſti ſubjici. Num recte, judicet Lector.

123 Duo emendavi, quæ depravata reperi in codice: legitur ſiquidem in eo *perterriti*, cum procul dubio legendum ſit *præteriti*, id eſt, ii, qui adventum Domini præceſſerunt. Legitur quoque: *quibus hoc his oculis, &c.*, omiſſo verbo *videre*, aut *inſpicere*. Quod ſi quis ut oculos mentis oculis corporis opponat, vocem *his* retinere velit, per me quidem licebit, dummodo verbum *videre*, aut *inſpicere* adjungat (*a*). Duo porro hic docet Hilarius: primum quidem, Chriſti Domini adventum prædictum fuiſſe in lege, & prophetis: alterum, cur prædictus is fuerit: ac poſtremi duas cauſas adducit, quarum prior præſentes afficit, præteritos altera. Ideo ſcilicet multo ante prædictum vult hujus modi adventum, ne rem tam mirabilem præſentes credere recuſarent, quandoquidem jam diu tam certis, perſpicuiſque prædictionibus innotuerat. Ideo vero iis, qui Chriſti Domini adventum antecedebant, prædictus fuit adventus ille, ut in venturum Meſſiam crederent, & ab eo ſe conſecuturos ſalutem ſperarent: hinc crebræ illæ voces (*b*): *Utinam diſrumperes cœlos &c. Rorate cœli deſuper &c.* (*c*), & ſimiles aliæ. Immo Chriſtus ipſe aliquando teſtatus eſt (*d*) optaſſe Abrahamum *videre diem illius*: id eſt, ea tempora, quibus Unigenitus Dei aſſumpto humano corpore inter nos degit, humanum genus exemplis, & monitis ſuis erudiens, morte vero ſua ſalvaturus. Porro Chriſti Domini adventum jam pridem fuiſſe prædictum, cum alii multi, tum præſertim oſtendit Cyrillus Hieroſolymitanus, cujus XII, & XIII Catecheſim, obſecro, legas. Sed quis Hilarium omiſerit, quippe qui id ipſum, quod hic paucis, alibi luculenter exequitur? Nonnulla indico ex plurimis. Sunt porro numerus 13 commentariorum in pſalmum LIV (*e*); numerus 1 commentariorum in pſalmum LXI (*f*); numerus primus comment. in pſalmum LXVI (*g*); numerus viceſimus comment. in pſalm. lxviii (*h*); numerus primus comment. in pſ. cxxxi (*i*): numerus xxxv. 11 libri iv de Trinitate (*k*); ac denique, ne in ſingulis immorer, dum pſalmos explicat, magnam horum partem ad Chriſtum refert: id quod is fatebitur, qui ipſos Hilarii tractatus in pſalmos legerit. Nonnulla de hoc argumento attuli in annotationibus in quemdam S. Antipatri ſermonem, in Vaticana Bibliotheca repertum, quem paucis ab hinc menſibus edidi (*l*). Vide ibi annotationem 18, & ſubſequentes.

124 Poſt voces illas, *majeſtatis, et bonitatis ſuæ*, addidi vocem *ſpeciem*, cum hæc, aut altera affinis in codice deſit. Deinceps in codice legitur *ſuſceperant*; ſed omnino legendum puto *ſuſceperat*, idque refero ad Chriſtum, qui venit ad tollenda peccata mundi. Paulo obſcurior videtur hic eſſe ſyntaxis; ſed eam immutare nolui, ne plus æquo audacior apparerem. Num aliqua deſint, judicabit, qui periodos ſuperiores expenderit. Codex ita ſcriptus eſt, ut legi etiam poſſit: *quod ſi Deus.... oſtenderet, forſitan* &c.

125. *Parto corpore* intellige *aſſumpto corpore*. In calce epiſtolæ ea Scripturarum loca notavi, ad quæ oculos intendiſſe Hilarium, arbitror. Si loca ea, quibus Patres id ipſum perſequuntur, afferre ſtuduero, infinitus propemodum ero. Notant porro interpretes Scripturarum, & Theologi, atque in

pri-

(*a*) Vide quæ docet Hilarius tractat. in pſ. 118. litter. xi. n. 5. pag. 344 Tomi 1. *ſed hi nunc oculi prophetæ, &c.* (*b*) Iſai. lxiv. 1. (*c*) Iſai. xlv. 8. (*d*) Joan. viii. 56. *Ut videret diem meum.* (*e*) pag. 123 tomi 1. (*f*) pag. 161. tomi 1. (*g*) pag. 208 tomi 1. (*h*) pag. 253. (*i*) pag. 500. (*k*) pag. 97, & 98 tomi II. Et pag. 123 tomi 1. (*l*) in tomo 45 opuſculorum a Patre Calogera collectorum.

Digitized by Google

primis Petavius (*a*), duos præſertim ob fines humanam carnem a Domino Jeſu fuiſſe aſſumptam, quorum prior eſt, exemplis, & monitis ſuis nos erudire; alter, morte pro nobis tolerata, ex Dæmonis poteſtate eripere humanum genus.

126 Indico in calce epiſtolæ ea Scripturæ loca, ad quæ reſpexiſſe Hilarium puto. Verba porro illa, *per mortem hominis*, quoniam ab amanuenſi depravata fateri non cogimur, vel explica *propter mortem hominis* (quam ſcilicet homo in Adamo ſubierat, & ad quam vincendam Chriſtus Dominus crucem pertulit); vel, *morte hominis*: Chriſtus enim mortuus eſt eo mortis genere, quo ſolent mori homines. Vocem *Immortalis* refer ad Chriſtum, qui, utpote Deus, per ſe *immortalis* erat.

127 Loca Scripturæ, quæ in calce epiſtolæ indico, conſulat Lector. Conſulat pariter eos Patres, quos hoc ſuper argumento Petavius allegat (*b*). Duos tantum adducere hic libet, Hilarium (*c*), & Cyrillum Hieroſolymitanum (*d*), quorum teſtimonia ad paginæ calcem innuo. Recole quæ diximus n. 115, & 118. An error eſt in iis verbis: *in perniciem hominis, & ſalutem*, &c.? An ea denotant, quidquid tentaſſet homo ad ſalutem adipiſcendam inutile futurum fuiſſe? Aliorum judicium opto.

128 Recole quæ num. 119 tradidimus, ut vim aſſequaris locutionis illius: *triumphans homo cum Deo*.

129 Verba hæc, *quia cum Deo quiſquis ſe conjunxerit, mori videri poteſt, non poteſt interire*, paulo obſcuriora nonnullis viſa ſunt. Perſpicua fiunt, ſi ea referas ad mortem perpetuam, quam non ſubibunt, qui Chriſto conjuncti perſtant. Si vis ad Chriſtum ipſum referre, eundem habent ſenſum, atque illa Petri verba (*e*): *Quem* (Chriſtum) *Deus ſuſcitavit, ſolutis doloribus inferni, juxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo: David enim dicit in eum.... Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem*: interitum quippe, cujus hic mentionem facit Hilarius, idem eſſe arbitror, ac *corruptionem*, quam a Chriſto arcent David, & Petrus. Juvabit porro ad Hilarii ſenſa penitius aſſequenda, ea conſulere, quæ Clariſſ. Monachus S. Mauri, editor Operum S. Hilarii, paragrapho III præfationis docuit (*f*). Sane voce hac *interitus* exterminium ab Hilario intelligi fatebitur, qui hæc audiet (*g*): *Qui vero prædicabit animæ cum corpore occaſum, audiet animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admiſceri: mortem autem, non interitum eſſe, ſed diſceſſionem ejus a corpore.*

130 Poſt voces illas, *extincto inimico vitam*, adjeci *homini*, id expoſcente ordine ipſo, ac vi diſputationis. Audi porro, quanta elegantia, & verborum copia hoc ipſum argumentum alibi pertractet Hilarius (*h*). *Cum cohæredes, et concorporales, et comparticipes Chriſto gentes fierent ..... cum mors poſtquam in Deo eſſet graſſata, deſineret; cum lex peccati, quæ in carne noſtra eſt, tolleretur; cum revelationem filiorum Dei congemiſcens omnis creatura ſperaret; cum in paſſione unigeniti Dei omnium ante conſtitutionem mundi cauſarum et originum conſummaretur effectus; principem ſeculi judicando, hominem ex peccati lege redimendo, creaturis a corruptionis vanitate, cui ſervierant, liberandis, nequitiis ſpiritalibus Domini morte damnandis, Deo in omnibus et per omnes æternitatis munere, et immortalitatis noſtræ claritate laudando. Omnia autem hæc virtutis reſurrectionis implevit: quia per primitias ex mortuis ab hominum genere morte depulſa, in auctores mortis æternæ mortis pœna decreta eſt.*

Præ-

(*a*) *de Incarnat.* lib. II. cap. 6. 1. &c. (*b*) *de Incarn.* lib. II. cap. 6. (*c*) lib. 1 *de Trini.* n. 13. pag. 11 To. 1. Et in pſ. 67. n. 23. pag. 230 To. II. *Ac primum, quid in Crucis Sacramento &c.* Et in pſ. 68. n. 14. pag. 249. (*d*) Catech. XIII, & XIV. (*e*) Act. II. 24. (*f*) n. 98, & ſeq. pag. XXXII To. 1. (*g*) in Pſ. 63. n. 9. (*h*) in pſ. 68. n. 14.

Digitized by Google

Præclara etiam multa in idem argumentum tradiderat n. 6, & n. 19 tractatus in Pſalmum 67 (*a*). Affinia autem, ne dicam eadem cum iis, quæ noſtra habet Epiſtola, tradit capite tertio commentariorum in Matthæum (*b*). Ecce illa. *Qua rerum ratione indicat* (quadraginta dies, quibus Jeſus jejunavit, & poſtea eſuriit, innuit Hilarius), *poſt quadraginta dierum converſationem, quibus poſt paſſionem in ſeculo erat commoraturus, eſuritionem ſe humanæ ſalutis habiturum. Quo in tempore expectatum Deo Patri munus, hominem, quem aſſumpſerat, reportavit*. Sed, ne unice Hilarium citare videar, nonnullos alios Patres indico e plurimis, quos tu Lector conſules, Cyrillum (*c*), Nyſſenum (*d*), Auguſtinum, ſeu alium quempiam auctorem Sermonis 176 *de tempore*, & Leonem Magnum (*e*).

131 Fuere nonnulli, quibus placuiſſet, ut Hilarius expreſſius de Spiritus Sancti divinitate locutus fuiſſet; idque facile aſſequimur ex iis, quæ in præfatione in libros *de Trinitate* collegit (*f*) doctiſſimus Monachus S. Mauri, cui editionem S. Hilarii debemus. Sed ejuſdem Sancti Spiritus cum Patre, & Filio æqualitatem, ac conſubſtantialitatem procul dubio aſſeruit Hilarius: quod quidem is fatebitur, qui ad ea, quæ in ea præfatione traduntur (*g*), advertet animum. Neque porro perſuaſionem hanc attenuat ea, qua in hac epiſtola utitur, phraſis, nempe, *pro ſe vicarium dimiſit Spiritum Sanctum*. Nimirum (quod alibi etiam monui) eo tempore Hilarius ſcripſit, quo nondum exortus erat Macedonii error, accenſentis ſcilicet Creaturis Spiritum Sanctum: ideoque paulo liberius ſcripſit, imitatus (quod alibi interdum facit) Tertullianum hæc ſcribentem (*h*): *Regula autem eſt fidei.... Jeſum Chriſtum...ſediſſe ad dexteram Patris, miſiſſe vicariam vim Spiritus Sancti, qui credentes agat*. Si Tertulliano tum plane Orthodoxo hæc ſcribere licuit, cur non licuit Hilario, præſertim cum in Catholicum, ac probabilem ſenſum facile ea deducantur? Dicitur ſcilicet hac ſignificatione Chriſti *vicarius* Spiritus Sanctus, quod intima ſua inſpiratione, & interno afflatu conſolatus eſt Apoſtolos, adiuvit quoque, & direxit, &, ſi vis ita loqui, permovit eos ad ea opera, ad quę Chriſtus monitis, exemplisque invitavit. Dicitur etiam Chriſti vicarius, propterea quia donis in Apoſtolos infuſis, miraculorum reddiderit effectores, ſicut effectores eorumdem miraculorum eos reddiderant Chriſti auctoritas, & præcepta. Aliis de cauſis dicitur Spiritus Sanctus ſupplere vices Chriſti, veluti quod donorum ubertate, & conformatione pleniſſima divinæ voluntati iis infuſa compenſet corporalem, & ſenſibilem Chriſti Domini abſentiam; aliiſque affinibus, ob quas *alius Paraclitus* appellatus eſt a Chriſto ipſo (*i*). Perſtitimus hactenus in locutione illa: *pro ſe vicarium dimiſit Spiritum Sanctum*. Ut autem aliquid de iis vocibus dicam: *ut hominibus credentibus & auxilio eſſet, & ſanctificationi*, illud gratiæ genus, quod *actuale* Theologi vocant, voce illa *auxilio*: illud vero, quod *habituale*, voce altera *ſanctificationi* denotari arbitror. Quod ſi earum etiam gratiarum genus, quas *gratis datas* iidem Theologi appellant, hic pariter denotari affirmes, ego quidem minime obſiſtam. Etenim & hoc ipſum gratiarum genus *auxilio* Eccleſiæ eſt, & *ſanctificationi*, quatenus ſanctam denotat, quam ſic adjuvat Deus, & alios invitat, ut eam ingrediantur, & ſancti fiant.

132 Ideſt, hactenus per ordinem noſtram expoſuimus de Chriſto ſententiam.

133

(*a*) Ad verba illa: *qui aſcendit ſuper occaſum*, (*b*) n. 2. pag. 667.
(*c*) Catech. XIV. (*d*) Oratione, quæ *de aſcenſione* inſcripta eſt. (*e*) in Sermonibus duobus *de aſcenſione*, præſertim vero capite IV Sermonis 1. *Super omnium creaturarum* &c.
(*f*) num. XII. (*g*) num. XV. (*h*) lib. *de præſcriptio. hæreticor.* cap. 13. (*i*) Jo. XIV. 16, & 17.

133 Poſtquam ſatis in ſuperioribus hujuſce Epiſtolæ partibus ſuam de Patre, & Filio ſententiam declaraverat Hilarius, tranſit ad tertiam Sanctiſſimæ Trinitatis perſonam, Spiritum Sanctum ſcilicet, de quo ſtatim profert, in eum pariter credendum eſſe: deinde de eodem Spiritu Sancto pronunciat eum univerſa, quæ poſtmodum fierent, & inſpirare, & ſanctificare ſuæ ſubſtantiæ... Sed quænam (inquies) ſunt, quæ *poſtmodum fierent?* An Eccleſia in Chriſto, veluti angulari lapide Judæos, & Gentiles jungente ædificata? An Sacramenta, ac præſertim baptiſmus, ſuper cujus aquas Spiritum Sanctum ferri dixere Veteres (*a*)? An peccatoris cor, quod in converſione creari dicitur (*b*), ut illius renovatio indicetur? Utrumque commode admitti poteſt. Suppleri vero poteſt, quod periodo deeſt, *communicatione*, aut *munere*, aut aliud aliquid affine, quoniam ex iis, quæ docet Petavius, diſcimus in juſtificatione Spiritum Sanctum ipſum nobis communicari (*c*). Quæ nuper dixi de duplici genere gratiæ, de *actuali* ſcilicet, & de *habituali*, mihi quidem videntur rurſus hic tradi verbis iis: *& inſpiraret, & ſanctificaret*, &c.

134 Meminerit Lector, hic retractare Hilarium, & accuratius explicare, quæ in priori epiſtolæ parte ſummatim tradidit. Neque porro locum hunc copioſius illuſtrare conveniens duco, cum ea jam docuerim, quæ ad eundem illuſtrandum valde apta ſunt. Recole itaque quæ dixi numeris 23, 24, & 30. Videtur autem hic aliquid deſiderari præter vocem *communicatione*, quam addendam eſſe dixi.

135 De unitate baptiſmi egimus num. 25. Per baptiſmum porro deleri peccata, indubitatum eſt, & manifeſto a Theologis demonſtratum. Hilarius, qui hic ſtrictim fidei noſtræ capita complectitur, unicum allegat Scripturæ teſtimonium, quod in Vulgata noſtra ſic integrum legitur: *Quod & vos nunc ſimilis formæ ſalvos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Jeſu Chriſti.*

136 Recole quæ annotavi num. 27.

137 Arbitratus ſum aliquando aliqua hic deeſſe: neque enim ſtatim apparet, prioribus verbis (nimirum: *poſt hæc ordo exigit credere reſurrectionem mortuorum in eadem carne*), ſubſequentia cohærere. Cohærent tamen, & ea ſic explico: Credenda eſt reſurrectio mortuorum: etenim per diſceſſionem animæ a corpore non interit, nec prorſus perit homo, ſed ſapienti Dei cuncta prævidentis conſilio poſt mortem perſtat ſtatuto tempore reſurrecturus, & judicandus. Quod ſi putes, melius fuiſſe homini non eſſe æternum, quam eſſe, ſcito Deum, antequam hominem conderet, probe agnoviſſe, quid melius foret. Itaque ſi *æternum* condidit, id melius fuiſſe dicendum eſt. Quæ deinceps afferemus, explicat onem hanc ipſam confirmant. Addidi vocem *Deus* (*præſcius ſit Deus*), quæ deeſt in Codice, ut ſententia conſtaret.

138 *Homo, qui ſit*; ideſt conſtat; niſi malueris legere *qui ſit*; ideſt, qui eſt: utitur enim (quod alibi dixi) ſæpe ſubjunctivo pro indicativo Hilarius. Ut ad ſententiam ipſam veniam, a ratione Theologica ad Scripturam tranſit Hilarius, adducitque librum *Sapientiæ*, quem & Salomoni tribuit (quatenus ſcilicet Salomonis ſententiæ in eo colliguntur), & aptum putat ad id, de quo agit, evincendum, ideoque Canonicum judicat. In Vulgata autem locus ille ſic ſe habet: *Deus creavit ho-*

(*a*) Vide annotationem (*a*) adjunctam num. 24. Addere potes Patres plurimos, qui de baptiſmi aquis agentes, & ad eas invitantes Catechumenos, ſuper eaſdem aquas ferri Spiritum Sanctum, & eaſdem ſanctificare dixerunt. Tertullianus cap. 4 libri de baptiſmo: *ſupervenit* (inquit) *ſtatim Spiritus de cœlis, & aquis ſupereſt ſanctificans eas de ſemetipſo, & ita ſanctificata vim ſanctificandi combibunt.* (*b*) *Cor mundum crea in me Deus.* Pſal. 50. (*c*) Vide quæ tradit Petavius *de Trinit.* lib. 8. cap. 4. n. 5. & ſubſequent.

Digitized by Google

hominem inexterminabilem. Num aliqua hic deſint, ex Scriptura pariter deſumpta, ad id, de quo agimus, confirmandum, an non; judicaverit Lector. Profecto voces illæ, *pauca ad exemplum ponam*, duo ſaltem loca, quæ adducerentur, videbantur expoſcere.

139 Suſpicionem illam meam, quam nunc indicavi (deeſſe ſcilicet hic nonnulla), augent illa ipſa verba, quæ ex Geneſi adducuntur: videntur enim indicare alia Hilarii verba, quibus moneretur Lector, hominem peccando ſibi met eripuiſſe corporis immortalitatem: quam ob rem vetuit Deus, ne ex ligno vitæ, qua mors arceretur, homo comederet. Anceps porro hæreo, num verba illa, *utique ut immortalis perſeveraret*, gloſſema olim fuerint verborum illorum, *Deus condidit hominem ad immortalitatem*, quod a margine in textum ipſum epiſtolæ tranſierit; an potius his ſtatuat Hilarius ipſe, quod tametſi peccando corporis diſſolutionem, ideoque hoc ſenſu mortem incurrerit homo, adhuc tamen immortalis perſeverat, in ea ſcilicet parte, quæ *interior homo eſt* (*a*), & quæ omnino, ſeu, ut cum Scholaſticis loquar, *abſolute*, & *independenter a quavis conditione*, immortalis fuerat conſtituta. Poſtremum hoc magis placet.

140 In Codice legitur *quid*, ubi ego ſubſtitui vocem *quis* (*Quid? niſi homo* &c.) Si priorem illam retinere vult Lector, retineat per me licet, dummodo ea vox reliquis concordet. Verba illa, *homo, qui immortalis a Deo factus fuerat*, interiorem hominem, ſeu animam denotant (*b*); nam hæc natura ſua immortalis eſt, corpus autem per gratiam, a qua peccando decidit.

141 Poſt verba illa: *jam enim erat in tranſgreſſione*, in codice hæc adduntur, *a peccato poſſidebatur*, quæ delevi, propterea quia manifeſtum gloſſema ſunt præcedentium verborum, *jam enim erat in tranſgreſſione*, quod ex margine in epiſtolam ipſam illapſum eſt. Superioribus vero illis verbis, quæ incipiunt: *Sed credo* &c., hanc ineſſe arbitror ſignificationem: Si forte Lectorem moveat, quod homo a ligno vitæ ſumendo prohibitus ſit, noverit id hominis ipſius bono eſſe factum. Scilicet jam reus admiſſi criminis erat. Itaque ſi ad arborem vitæ acceſſiſſet, cujus eſu vitam continuaſſet; nec ſuam noviſſet culpam, nec ſpem ſuam in Chriſtum incarnandum direxiſſet, ideoque eandem culpam ſuam dolore, caſtigationibus, ac pœnitentia minime deleviſſet. Conſultum itaque illi eſt, dum ab arbore vitæ comedenda prohibitus eſt. Ante Hilarium hæc tradiderat Novatianus, ſi is auctor eſt libri *de Trinitate*, qui ipſi tribuitur (*c*): *Nam & quod requiritur, non ex ignorantia venit, ſed ſpem hominis futuræ in Chriſto & inventionis, & ſalutis oſtendit: & quod, ne de ligno arboris vitæ contingat, arcetur, non de invidiæ maligno livore deſcendit, ſed ne vivens in æternum, niſi peccata Chriſtus ante donaſſet, circumferret ſecum in pœnam ſui ſemper immortale delictum*. Vetuſtam querelam de homine ab eſu arboris impedito ſi alibi ab Hilario allatam, & breviter repulſam videre cupis, eum locum, quem ad paginæ calcem indico, conſule (*d*).

142 Hunc ineſſe arbitror ſuperiori ſententiæ ſenſum: Conſultum itaque, & utiliter proviſum eſt homini, qui vera factura Dei eſt (*e*), ut qui temporariam diſſolutionem ſubire cogitur, expulſo per Chriſti merita, & gratiam malo, excitetur in vitam, per reſurrectionem ſcilicet, de qua antea locutus fuerat. Vide numerum 136.

143 Vereor, ne aliquid hic deſit. Ceterum ſenſus adhuc perſtat, tametſi nihil deſit. Nimirum ſic interpretari ſententiam hanc poſſumus: id eſt, *ſemper permanet homo*, ſive quia permanet homo interior (anima ſcilicet, quæ minime diſſolvitur); ſive (quod tamen

O eo-

(*a*) Vide num. 103. (*b*) Vide num. 103. (*c*) cap. 1. (*d*) In pſ. 118. litte. XVI. n. 9. pag. 380 tom. 1. *Cum Adam de paradiſo* &c. (*e*) Vide numerum 97, &c.

Digitized by Google

eodem recidit) quia tametſi immortalitatem amiſerit corpus, eam tamen non amiſit animus.

144 Objectioni, quam experientia ipſa dictat (omnes enim morimur), occurrit Hilarius; negatque nos vere, ſeu prorſus interire, ſed tantummodo ſeparari ait: perſtat enim individuus animus, corpus vero conſtituto a Deo tempore reſurget, & ab anima aſſumptum Chriſto judici ſe ſiſtet. Quænam ſit vis vocum harum, *non interire hominem, ſed ſeparari*, aſſequeris ex numero 129. Recole, obſecro, verba illa: *Qui vero prædicabit animæ cum corpore occaſum, audiet animam non eſſe terrenam, ſed ex afflatu Dei ortam elementis corporis admiſceri: mortem autem non interitum eſſe, ſed diſceſſionem ejus a corpore.*

145 In codice ad hunc modum legitur: *ſed ad reſurrectionis timet Dei judicium reſervari*: errore, me quidem judice, manifeſto: cum procul dubio legendum ſit, *ad reſurrectionis diem judicium reſervari*. Delevi autem vocem *timet*, quia veteres omnes, cum de divino judicio agitur, *timorem* inculcaverunt (*a*): hinc notula addita eſt, ut puto, in margine, *time*, ſeu, ſi vis, *timet*, a margine vero illapſa eſt amanuenſis inſcitia in epiſtolam ipſam. Qui veteres codices pervolvere conſueverunt, ſæpiſſime in hæc offendunt. Venio nunc ad ſententiam ipſam. Obſcura ſane ſunt iſta: *nec aſſumere materias hominem, ex quibus corpus eſt fabricatum*. An hic eorum opinionem rejicit, qui poſt mortem repeti ab animabus priora corpora arbitrabantur, & *Deos manes, Deoſque lemures* ea de re confingebant? An potius docet hominem, cum reſurget, non habiturum illius generis corpus, ex quo primitus conſtitit? Quis enim dicet, nos luteum habituros eſſe corpus, cum *ex luto* humanum corpus *fuerit fabricatum*, & moneat Apoſtolus, Deo caros in reſurrectione immutandos(*b*), ideſt, multo præſtantius corpus habituros eſſe?

146 Rationem reddit, cur omnes, nullo prorſus excepto, divino judici præſentabimur: cum enim & pro omnibus mortuus fuerit, & omnium tum hominum, tum Angelorum Judex electus ſit Dominus Jeſus, nullus erit, qui ab ejus judicio, quod propterea univerſale, & poſtremum erit, ſe queat eripere.

147 Fortaſſe vocula *nam* ad eum modum hic adhibetur, quo ſæpe in Scripturis (*c*); ita ſcilicet, ut ſuperiorum dictorum rationem minime reddat, ſed vices habeat particulæ *Et*. Verbum *expingi* (ſi nullus amanuenſis error hic ineſt) ſic accipe, ut Hilarius ſumpſerit verba illa Pauli (*d*): *Omnes enim nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſive bonum, ſive malum*, quaſi vox illa *referat* idem ſit, ac *repræſentet*, ſeu *exhibeat*, adeo ut nota futura ſint omnibus opera noſtra, quæcunque illa ſint, ſive bona, ſive mala. Voces illæ, *ſecundum voluntatem ejus*, aut prædeſtinationem denotant (*e*); aut indicant, illos, qui recta geſſerunt opera, id egiſſe, quod maxime optat Deus: *hæc eſt enim voluntas Dei ſanctificatio veſtra*, inquit Paulus (*f*). Illa porro, quæ extremo loco habentur: *unde nos appetamus &c.*, hortatio quædam ſunt, ex ſuperioribus dictis conſequens, & valde apta ad excitandos homines ad recta opera. Recole etiam, ſi vis,

(*a*) *A judiciis tuis timui &c.* (*b*) *Omnes quidem reſurgemus, ſed non omnes immutabimur.* I. Corin. XV. 51. &c. (*c*) *nam in Chriſto Jeſu ego vos genui*: hic nempe particula *nam* rationem minime reddit ſuperiorum dictorum: quod alibi ſæpe ſit. (*d*) II. Corin. V. 10. (*e*) *In quo* (Chriſto) *etiam & nos ſorte vocati ſumus prædeſtinati ſecundum propoſitum ejus, qui operatur omnia ſecundum conſilium voluntatis ſuæ*. Epheſ. I. 2.
(*f*) I. Theſſa. IV. 3. Affinia tradit idem Apoſtolus Roman. XII. 2. Et Epheſ. V. 17.

Digitized by Google

ſi vis, quæ num. 8, 27, & 28 tradidimus.

148 Difficilioribus emenſis, longa adhuc, tametſi minus aſpera, ſupereſt via. Traditis ſcilicet, explicatiſque in ſuperioribus duabus epiſtolæ partibus Orthodoxæ fidei dogmatis, ad mores *perſonarum* (*a*) recte inſtituendos ſe convertit Hilarius, inſtructionem ſuam in quinque partes dividens, quarum prima ad divites, & pauperes dirigitur. Ad mares, & fœminas altera. In tertia quid unicuique ætati conveniat, explicat. Habet quarta communem quandam exhortationem ad fideles omnes, quorum munia percurrit, eoſque ad martyrium (ſi opus fuerit) ſubeundum incitat, & ad everſionem idololatriæ: tum breviſſimis monitis perſtringit, quomodo in eo vitæ genere, in quo unuſquiſque verſatur, ſe recte, ac laudabiliter gerat. In quinta denique de virtutibus diſſerit. Tametſi porro deinceps multo parcior in annotationibus apponendis futurus ſim (fere enim perſpicua per ſe ſunt, quæ docet Hilarius), aliquas tamen, quum ſcilicet conveniens id judicavero, adjungam. Loca porro Scripturę, quæ in calce paginæ indico, ipſe per ſe conſulet Lector.

149 En quomodo ſuperiorem Pauli locum Vulgatus interpres exhibeat. *Divitibus hujus ſæculi præcipe non ſublime ſapere, neque ſperare in incerto divitiarum ſuarum, ſed in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, theſaurizare ſibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam*. Quod porro deinceps paucis docet Hilarius, alibi luculentius exſequitur. En quomodo (*b*). *Divites quoſdam inſolentes eſſe præſtat opulentia, & maxime timorem Dei divitiarum fiducia inanis avertit: ſtulti, non intelligentes, hoc ſe magis religioſos oportere eſſe, quod divites ſunt; quia gratiam referre largitori bonorum ſibi deſiderabilium conveniat: & hoc magis inexcuſabilis avaritiæ ſit reatus, quia avaritiæ neceſſitatem non excuſet opulentia. Jam vero quam infelix fiducia eſt rei inanis: Deum contemnere habendo aurum, quaſi aurum non ex Dei ſit creaturis; aut aliquem per id, judicio ſanæ mentis, beatæ vitæ acquirat profectum, quod ſibi aurum jaceat ſuffoſſum; & hinc fiat non generalis animæ, & corporis homo, aliuſque poſſit eſſe, quam natus eſt; aut cum vita excedat, auro ſuo ſit uſurus in morte! Utetur plane, ſi eo recte utetur in vita, ſi eſurientem pane ſuo aluerit, ſi nudum veſte ſua texerit, aut ægrum ſumtu ſuo reſoverit, aut captivum libertati ſuę reddiderit. Hæ ſunt plane ambitioſæ apud Deum humani theſauri legationes, hæc potentia deprecandorum criminum, & vera ſuffragia. Sic auro demutabimur, ut ex terrenis cœleſtes, & ex mortalibus ſimus æterni.*

150 Innuit fortaſſe Hilarius locum illum Epiſtolæ Pauli Apoſtoli primæ ad Timotheum (*c*): *Nam qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & in deſideria multa inutilia &c.* Sane Hilarius in eandem ſententiam alibi (*d*): „Sed radix maxime „iniquitatum in pecuniæ cupiditate „eſt: quam qui appetit, graviſſimæ tem„peſtatis naufragio mergitur. Sequitur „enim: *Nolite ſperare in iniquitate, &* „*in rapinas nolite concupiſcere: Divitię* „*ſi fluant, nolite cor apponere*. Magnę „enim in hiſce deſiderii ſui, & amoris „illecebræ ſunt: rapiunt ingenia, men„teſque pendulas apprehendunt. Non „ſolum itaque non concupiſcendæ ea„rum rapinæ ſunt, verum ab his vo„luntas noſtra, etiamſi præbeantur, flu„antque, referenda eſt; ne deſideratæ „cupitæque dominentur. Non enim „ſpebus noſtris bona ſunt coæterna, „neque nobiſcum aut condeſcendunt in „infernum, aut conreſurgunt de inferno.

O 2

(*a*) *Nunc ergo de perſona tractemus.* (*b*) in pſal. 51. n. 21. pag. 90 Tom. 1. (*c*) cap. VI verſ. 9. (*d*) In pſ. 61. n. 8. pag. 169 Tom. 1.

„no. Fides, pietas, continentia, be-„nignitas expetenda eſt, & maxime Dei „cognitio ſectanda eſt. Ceterum hæc „vana, & per naturam ſui ad omnem „iniquitatum neceſſitatem captioſa, vi-„tanda ſunt.„ Denique indicat (niſi me fallit animus) locum illum Euangelii (*a*): *Eſtote miſericordes, ſicut Pater veſter miſericors eſt:* miſericordia enim Deo efficimur ſimiles.

151 Modum in diſpenſanda pecunia primum adhibendum ait, adeo ut diſtribuatur quidem, ſed non profundatur, ac diſperdatur. An tacite celebrem Eccleſiaſticæ pecuniæ diſtributionem in Eccleſiæ miniſtros, in ædificia ſacra, & in pauperes hic indicet Hilarius, Lector dijudicabit. Si revera indicat, in ea diſtributione pauperes præferre videtur, quod & reliqui Patres ſæpe faciunt. An non ipſa Eccleſiaſtica, & ſacra vaſa ad pauperes ſublevandos ſanctiſſimi, iique doctiſſimi Epiſcopi ſæpe diſperdiderunt? Verba illa, *non exiſtiment finiri poſſe &c.*, tum ſuperiorem Pauli ſententiam (*b*), tum celebrem illam Dei promiſſionem innuunt (*c*): *Benefacite, & mutuum date, nihil inde ſperantes: & erit merces veſtra multa ... Date, & dabitur vobis, menſuram bonam, & confertam, & coagitatam, & ſuperaffluentem dabunt in ſinum veſtrum.* Alibi, idque ſæpe utilitas eleemoſynæ in pauperes effuſæ commendatur. Pauciſſima loca ſeligo ex plurimis, eaque ad paginæ calcem indico (*d*). Si quis multa tum ex Scriptura, tum ex Patribus collecta cupit, Muratorium eo ſuper argumento diſſerentem conſulat (*e*). Deinceps etiam idem argumentum retractat Hilarius: *Non deſit etiam &c.* (*f*)

152 Id eſt, expenditur, ſeu inſumitur: niſi velis, errorem amanuenſis hic ineſſe, legendumque *deperditur*: videtur enim infidelibus id deperdi, quod pauperibus tribuitur: temere tamen, & perperam.

153 Id quod antea propoſuerat, nempe, *finiri non poſſe quod in uſus pauperum contemplatione præceptorum Dei dependitur*, ſtatim probat ratione Theologica uſus. Vox illa *confuerit* ex earum numero eſt, quæ cum perraro a ſcriptoribus adhibeantur, in Hilario ſunt ſpeciatim notatæ. Tamen apud veteres aliquando uſitatam fuiſſe eandem vocem, demonſtrat verbum *confert*, quod adhuc in uſu eſt, eſtque portio (ſi licet ita loqui) verbi *conſum*, quod idem valet, ac *proſum*. Ad utilitatem porro eleemoſynæ comprobandam præter ea, quæ ego modo notavi, plurimum virium ea habent, quæ hic docet Hilarius, quęque perſpicua per ſe ſunt. Periculum ex divitiis imminens poſtremo exequitur.

154 Quæ divitibus ſervanda ſint, ſtatim proponit. Ea, quę numero proxime ſuperiore Scripturarum loca notavi ad calcem paginæ, ſententiam iſtam aliqua ex parte illuſtrant: *Nec in iſto ſæculo, nec in futuro ſentiet egeſtatem.* Alia ſi vis eodem ſpectantia Scripturæ loca, adi Matth. cap. v. verſ. 5, & cap. vi. verſ. 19, & 20; & Luc. cap. xii verſ. 31, 32, & 33; & Act. cap. xx verſ. 33.

155 In epiſtolæ ipſius calce notavi, quem reſpicit locum Hilarius; verſiculum ſcilicet 17 capitis 19 Proverbiorum. Nunc Lector excipiat, quid ad eum locum tradat egregius Calmetus. „*Fœneratur* „*Domino qui miſeretur pauperis*, & *viciſſitudinem ſuam reddet ei. Dominus* „*ipſe illius debitor fit, eique cum fœ-„nore reddet, quæ ipſe pauperi erogave-„rit. Excipiat illum, quemadmodum* „*ipſe exceperit fratrem ſuum: miſerebi-„tur ejus &c.* Non ait ſimpliciter: *Dat* „*Domino, ſed fœneratur.* Non recipiet „dumtaxat ea, quæ pauperi dederit, „ſed recipiet cum fœnore. Aviditas no-„ſtra majoris lucri promiſſionibus erat „allicienda, ait S. Baſilius in Pſal. 38.

Hoc

(*a*) Lucæ vi. 36. (*b*) 1. Timot. vi. 17. *ſperare in Deo vivo, qui præſtat nobis omnia abunde ad fruendum.* (*c*) Luc. vi. 35, & 38. (*d*) Tobi. iv. 7, 8. & 12. Prover. xxviii. 27. xxix. 27. Eccleſiaſtici xxix. 13. pſal. xxxvi. 25. II. Corin. ix. 9, et 10: *Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti &c.* (*e*) *Della Carità Criſtiana &c.* cap. vii. (*f*) cap. x pag. 46. col. 2.

„Hoc fœnus permiſſum eſt. Diteſcere „vis, & ex argento quæſtum capere; „illud large pauperibus eroga, ne vereris, quo minus ęs mutuatum diſ„ſolvant; Deus vas eſt, ipſe tibi de„bet. *Cum pauper orat pro ſe*, S. Au„guſtinus in Pſal. 36 ait, *tamquam* „*Deo dicit: Domine mutuum accepi*, „*fidedic pro me. Proinde & ſi non te*„*nes pauperem redditorem, ſed idoneum* „*tenes fidejuſſorem. Ecce Deus tibi de* „*Scriptura ſua dicit: da ſecurus, ego* „*reddo*.„ Nec porro Hilarium ipſum prætereas volo, cujus ſcilicet in eo loco, quem in paginæ calce noto, præclara in hanc ſententiam monita ſunt (*a*).

156 Monuere jam pridem Critici, fuiſſe interdum Amanuenſes, qui, ut eruditi apparerent, Scripturarum loca ſępiſſime ex ingenio addiderunt. Hinc vetuſtiores codices non raro breviores ſunt, & loca quidem Scripturarum indicata plerumque habent, minime tamen per totum allegata. Hoc ego in duobus Cypriani Codicibus, quos poſſidemus, expertus ſum. Sed & manifeſtum exemplum nobis nunc præbet locus ille, quem modo illuſtramus. Scilicet in Codice ad hunc modum ſe habet: *Sciat præpoſitam eſſe miſericordiam ſacrificiis: dicente Domino: Beati miſericordes, quia ipſi miſericordiam conſequentur.* An hæc Chriſti verba miſericordiam ſacrificiis præponi docent? minime vero. Alibi igitur perquirendus eſt locus ille, quem Hilarius hic citat; in Oſee ſcilicet, in cujus capite VI (*b*) hęc expreſſiſſima habentur: *Miſericordiam volui, & non ſacrificium*: quibus affinia habes capite I Iſaiæ (*c*).

Quod ſi non ſcitulum fuiſſe velis amanuenſem noſtrum, ſed imperitum, aut potius indiligentem, tum vero dicere commode potes, verba iſta: *dicente Domino: Beati miſericordes &c.*, fuiſſe ab aliquo poſita in margine ad illam Hilarii ſententiam confirmandam, *ut beatior ex hoc judicetur*. Is vero a margine in Epiſtolam ipſam transferens aptavit loco non ſuo. Utcunque ſit, hic ſane delenda erant.

157 Ideſt, gloriam apud homines, qui eum laudabunt veluti liberalem, & æternam beatitudinem (*requiei* enim nomine æterna beatitudo hic denotatur. Vide num. 47). Beatitudinem porro fuiſſe promiſſam iis, qui miſericordes in pauperes fuerint, ea oſtendunt, quæ numero 151, & ſubſequentibus tradidi. Vide quæ ſcribit Hilarius in caput Matthæi XXVII. (*d*).

158 A divitibus tranſit ad pauperes, quos conquiſitis optimis argumentis conſolatur. *Et primo quidem quod a Deo ſit pauperi utiliter proviſum*, reſpiciens, ut puto, ad illa Apoſtoli Pauli verba (*e*): *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti:* Aut ſi vis ad illud Petri monitum (*f*): *Ipſi* (Deo) *cura eſt de vobis.*

159 Objectionem prævenit, quam pauperes facere conſueverunt, illamque diſſolvit. Fortaſſe intelligendum eſt: *Quæ frequenter corpori contraria eſt*; fovet enim affluentia luxuriem, ebrietatem, & reliqua hujus generis vitia, quæ corporis vires imminuunt. Nolui tamen ſuſpicioni meæ ita fidere, ut vocem illam *corpori* adjungerem. Reliqua perſpicua ſunt & elegantiſſima.

160 In codice legitur *Vitam gerere*: manifeſto utique errore, ſed qui manifeſto doceat, emendatione interdum egere codicem noſtrum.

161 Innuit verbis illis, *non deſit etiam ab ipſo*, niſi plane fallor, monitum illud Tobiæ ſenioris, cujus antea me-

(*a*) In Pſal. CXXXI. n. 25. pag. 515 Tom. 1. *Deinde ait: Pauperes &c.* (*b*) verſ. 6.
(*c*) verſ. 11, et 17. *Quo mihi multitudinem victimarum veſtrarum? .... Diſcite benefacere &c.*
(*d*) num. 4. pag. 794. *Vendentes ſunt ii &c.* (*e*) Rom. VIII. 28. (*f*) 1 Petri. V. 7.

Digitized by Google

memini (*a*): *Quomodo potueris, ita eſto miſericors*. Nolo autem diſſimulare, ſic deinceps in codice legi: *quia ſicut juſtus efficitur de frugalitate, ſi inferioribus, & non habentibus erogarit. Non vereatur*, &c. vitioſa procul dubio lectione, quam emendavi, ut novi, pauciſſima ſubſtituendo, nimirum hæc verba, *dives liberalitate, ita pauper;* quæ in codice non reperiuntur. Quod attinet ad epitheton *glorioſi* tributum Apoſtolo Paulo, conſule num. 2.

162 Jam notavi in calce ipſius Epiſtolæ, verbis illis: *Si vera fide, & propter ſalutem credere optavit, cœleſtes ſibi divitias cooptet, & comparet &c.*, fortaſſe reſpicere Hilarium ad locum Iſaiæ XXXIII. 6: *Divitiæ ſalutis ſapientia, & ſcientia: timor Domini ipſe eſt theſaurus ejus*. Addo, fortaſſe etiam reſpicere ad locum illum Pſalmi 118: *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus divitiis*. Sane hæc verba ita explicat, & commentario illuſtrat Hilarius (*b*): *Sunt opes in auro, ſunt in argento, ſunt in pecuniis, ſunt in veſtibus, ſunt in domibus, ſunt in agris; eorumque aut vitibus, aut oleis, aut frugibus: ſed Domini propheta doctrinarum fruge perfectus eſt, & legis, ac prophetalium inſtitutionum facultatibus dives eſt: & anteriore licet tempore, non tamen euangelicorum, & Apoſtolicorum præceptorum ignarus eſt. Novit enim & has divitias Paulus ad Corinthios loquens.* „Gratias ago Deo meo ſemper pro vobis ſuper gratiam Dei, quæ data eſt vobis in Chriſto Jeſu: quoniam in omnibus ditati eſtis in ipſo, in omni verbo, & in omni ſcientia.„ *In his ergo dives eſt, & in his delectatur Propheta. Ceterum non eſt exiſtimandus ſæcularium opum comparatione delectatus eſſe, qui niſi cum contemtu, atque inopia ſæculi, dives in Domino eſſe non potuit.*

163 Partem alteram moralis inſtructionis, quam explicandam ſuſcepit Hilarius (*c*), nunc aggreditur, eamque ad diverſam ſexuum conditionem erudiendam dirigit. In codice porro nonnulla extant, quæ emendationis indigent: ſunt vero iſta: *omni gerere uni animo*, quæ ſi ita legas, uti ſunt ſcripta, ſenſu carent. Aut itaque ad eum modum legere debes, quo ego emendavi: ideſt, *omnia gerere uno animo concordes*. Vel, ſi vis, *omni genere unanimes eſſe, & concordes*. Facilior, & veriſimilior prima eſt emendatio, quam propterea poſui. De manuum porro elatione in oratione cum adhuc multi agant, ii præſertim, qui locum illum epiſtolæ Pauli ad Timotheum illuſtrant: *Volo ergo viros orare in omni loco levantes manus puras ſine ira & diſceptatione* (*d*); tum certe agit Tertullianus in Tractatu de Oratione (*e*), ubi Orationis nomine (quod Hilarius ipſe expreſſe ait) integram, ut ita loquar, completamque orationem intelligit, publicam nempe, et quæ ſacramentorum ſuſceptionem, ideſt pœnitentiæ integræ, & communionis ſuſceptionem complectitur. Tum porro a conjugali opere abſtinendum jubet. Vide, obſecro, interpretes in hæc Pauli verba (*f*): *Nolite fraudare invicem, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacetis orationi*: Nec Orthodoxos tantum, ſed & externos, veluti Hugonem Grotium, alioſque ex Proteſtantium communione valde doctos.

164 In eum locum incidimus, qui explicationem fortaſſe non levem expoſcit. Etenim vocabula hæc, cum & varias ſubierint ſignificationes, & multos denotent ſacros ritus, ut in iis illuſtrandis tantiſper conſiſteremus, operæ pretium eſſet, ſi hoc ferret illa adnotationum brevitas, quam mihi propoſui. Indico tamen locos eos, ex quibus intelligi hæc penitiſſime poſſint. Interpre-

(*a*) num. 151. (*b*) in Pſal. 118. litte. II. Beth. n. 9. pag. 286 Tom. 1. (*c*) Vide num. 148.
(*d*) 1. Tim. II. 8. (*e*) Cap. XIV. *nos vero non attollimus tantum* &c. Cap. XVII. *Atqui cum modeſtia* &c. Vide annotationem Muratorii in Caput iſtud. (*f*) 1. Corinth. VII. 5.

Digitized by Google

tes omnes ad verſiculum 1 Capitis II Epiſtolæ I ad Timotheum de *obſecrationibus*, *orationibus*, *poſtulationibus*, & *gratiarum actionibus* agunt. Eos conſulat Lector. Sed in primis Auguſtinum conſulat in eo loco, quem in paginæ calce allego (a): quippe tum noſcet, quid ſit deprecatio, adoratio, & interpellatio, de qua hic Hilarius loquitur. Locum hunc Auguſtini, Lectorem obſecro, ne prætereat; copioſiſſime quippe, & luculentiſſime ea de re diſputat. Atque ex hoc ipſo Auguſtini loco aſſequetur, quid *voti* nomine intelligatur, cum jungitur *precationi*, ſive *orationi*, ſive *interpellationi*, ſeu *poſtulationi*. „ Voventur autem omnia, inquit Auguſtinus (b), quæ offeruntur Deo, maxime Sancti Altaris oblatis, quo Sacramento prædicatur noſtrum illud votum maximum, quo nos vovimus in Chriſto eſſe manſuros, utique in compage corporis Chriſti. Cujus rei ſacramentum eſt, quod unum corpus multi ſumus. Ideo in hujus ſanctificationis præparatione exiſtimo Apoſtolum juſſiſſe proprie fieri προσευχὰς, ideſt *orationes*, vel (ut nonnulli minus perite interpretati ſunt) *adorationes*; hoc eſt enim ad votum, quod uſitatius in ſcripturis nuncupatur εὐχή. „ Atque in hac ſignificatione cenſetur ſumere eccleſia vocem hanc, cum ſæpiſſime in Miſſæ precibus *Votorum*, *votivorum munerum* mentionem facit. Reſtat exomologeſis. Porro de exomologeſi agunt multi, ſed unum hic indico, quem adire poſſumus, Lectorem minime compellens, ut illius ſententiam amplectatur, deprecans tamen, ut Patrum loca ab eo allegata conſulat, expendatque. Albaſpinæus is eſt obſervatione XXVI, & XXVII libri II *Obſervationum*.

165 Ea Scripturarum loca, quæ in calce epiſtolæ ipſius noto, adeat Lector, eaque, quæ Hilarius tradit, fortaſſe per ſe aſſequetur. Aliqua tamen, quæ peculiarem animadverſionem mereri videntur, hic exhibeo. Verba illa, *Viro enim omni competit ſacerdotare Deo*, duobus modis intelligi facile poſſunt. Et quod talem agere debeant vitam viri omnes, qui Chriſtianam fidem profitentur, ut eligi poſſint, tametſi uxorati, ad Sacerdotium. (Et ſane Hilarius ipſe ex uxorato ad Epiſcopatum promotus eſt): Et quod talis debet eſſe exterior cultus, & tam modeſta veſtis, qualis Sacerdotem decet. An vero etiam indicet hic Hilarius, exemplo, ac monitis familiæ ſuæ præeſſe debere Chriſtianum virum, item ut exemplo ac monitis præeſt Eccleſiæ Sacerdos, judicaverit Lector. Verba illa, *ſed & ceteris ſpeciem vitæ ſuæ præſtet*; illa quoque, *ut ſi tempor: munere atque officio Sacerdotali non fungitur, vitæ tamen ſimilitudine Sacerdoti coæquetur*, poſtremis duabus explicationibus favere videntur. Sed antequam finem huic adnotationi pono, monitum Lectorem volo, verba ea, *ut ſi tempor. munere &c.* re vera ita in Codice legi, uti ego edi juſſi. Tum porro ambiguitas aliqua his verbis ineſt, non ea tamen, ut ſuperiores explicationes labefactet. An verbum aliquod hic deeſt, quo ſcilicet compleatur ſententia? Vel legendum eſt *tempore*; ideſt ſi per aliquod tempus, ſeu, ſi eo tempore, quo matrimonio jungitur, *munere atque officio Sacerdotali non fungitur*, aliquando fortaſſe functurus; ſi ſcilicet moriatur uxor, aut is ab illius contubernio, eadem conſentiente, ſe amoveat. Hujus ſane rei in veteribus Eccleſiaſticis monumentis non pauca habemus exempla.

166 Si junxeris ea, quæ traduntur Levit. XII. 2, & XV. 19, 20, & 24, fortaſſe aſſequeris, cur hæc tradiderit Hilarius: *vel cum poſt partum &c.* Noluit enim Chriſtianis continentiores eſſe veteres Hebræos. Scripturarum loca, quæ reſpicit Hilarius, in Epiſtolæ calce notavi. Accommodat autem.

(a) Epiſtola ad Paulinum olim 59, nunc 149. cap. II. ad quæſt. de I. ad Timoth. num. 12, 13, 14, 15, 16, et 17. (b) ibidem n. 16.

tem interdum fœminis, quæ præpoſitis omnibus dicta ſunt.

167 Nonnullam verborum tranſpoſitionem in Epiſtolam ipſam irrepſiſſe arbitror: ad eum quippe modum legendum eſſe videtur, quo ego emendavi: *Sed & inceſſu pudicam, non fucata forma procedere, aut circumdatam auro, aut veſte precioſa: non ſtudere capillorum incriſpationibus: ſed ut decet feminas Chriſtianas &c.*, cum in codice legatur: *Sed & inceſſu pudicam, non fucata forma procedere: non ſtudere capillorum incriſpationibus: aut circumdatam auro, aut veſte precioſa: ſed ut decet* &c. Si quis Scripturæ loca, quæ in Epiſtolæ calce innuo, & locum Cypriani, quem deinceps afferam, adverterit, mihi, ut arbitror, aſſentietur.

168 Quod indicat Petrus verbis notatis in ipſius Epiſtolæ calce: *quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem* &c., id fortaſſe illuſtrat, quod his verbis ait Hilarius: *Neque ulli ſe præponere viro contemplatione ſexus*. Scilicet tenuia quædam honoris argumenta, quibus mulieres vetuſtis ipſis temporibus afficiebantur, leves eorum animos in ſuperbiam erigebant. Nimirum ad dexteram virorum ſedere permittebantur, quod ſummæ honorificentiæ loco habebatur. Hoc modo ad dexteram ſuam matris thronum collocari juſſit Salomon (*a*). Immo ad dexteram Regis ſedere dicitur illius uxor Regina (*b*). Dexter porro locus præſtantior apud Hebræos habebatur; quod quidem diſcimus ex verſiculis 13, & 14 capitis 48 Geneſis. Matronis quoque Romanis veſtibus purpureis, aureiſque ornamentis uti licebat (*c*). Carpentis etiam feſtis, profeſtiſque diebus vehi. Quo de argumento cum alii multi agant, copioſe ſane, & luculenter agit Titus Livius (*d*). Num alia delata fœminis honoris argumenta, atque iis præſertim, quæ ceteris præſtant, innuat, judicet Lector.

169 Ne ſuſpiceris, favere hic Hilarium illorum opinioni, qui putarunt ſanctarum fœminarum corpora in extremo judicio eſſe immutanda, cujus quidem opinionis patronus fuiſſe cenſetur Hilarius (*e*). Scilicet hic *vir perfectus* ſumi videtur pro perſona Chriſtianis virtutibus undique inſtructa.

170 Perſpicuum eſt Hilarium imitari Tertullianum hæc tradentem (*f*): „Ceterum baptiſmum non temere credendum eſſe ſciant, quorum officium „eſt... Immo illud potius perſpiciendum: Nolite dare ſanctum canibus, & „porcis projicere margarita veſtra, & manus ne facile impoſueris, ne participes aliena delicta. Si Philippus tam „facile tinxit Eunuchum, recogitemus, „manifeſtam, & exertam dignationem „Domini interceſſiſſe. Spiritus Philippo præceperat in eam viam pertendere; ſpado & ipſe inventus eſt non otioſus, nec qui ſubito tingui concupiſceret: ſed ad templum orandi gratia profectus Scripturæ Divinæ impreſſus, ſic oportebat deprehendi, cui ultro Deus Apoſtolum miſerat, ad quem „rurſus Spiritus, ut ſe curriculo Eunuchi adjungeret, juſſit; Scriptura ipſius „fidei

(3) 3. Reg. 2. 19. *Poſituſque eſt thronus matri Regis, quæ ſedit ad dexteram Regis*.

(*b*) Pſal. xliv. 10. *Adſtitit Regina a dextris tuis*. (*c*) Vide quæ tradit Ferrarius *de re veſtiaria* part. 1. lib. 3. cap. 22. Tertullianus tamen in lib. *de Idololatria* cap. 17. *purpuram, & aurum cervicis ornamentum, inſignia fuiſſe dignitatis* affirmat. Atque id quidem confirmari facile poteſt ex iis quæ traduntur lib. 1. Machab. cap. 8. verſ. 14. quibus ea adde, quæ habentur cap. x ejuſdem libri 1 Machab. verſ. 20, et 62.

(*d*) lib. v. hiſtor. Rom. num. 25.

(*e*) Numero x Commentariorum in Caput V Matthæi pag. 693 Tomi 1. *Cum enim univerſorum corporum, quæ vitam hauſerint, diverſitatem in unum conſummatum virum perfectumque ſit excitaturus* etc. Et multo clarius num. 4 Comment. in caput 23 Matthæi pag. 781. *Quia igitur eas angelis* etc. Vide etiam annotationem valde doctam a Patribus S. Mauri poſtremo huic loco appoſitam. (*f*) De Baptiſmo cap. 18.

Digitized by Google

„ fidei occurrit; in tempore exhortatus „ adſumitur, Dominus oſtenditur; Fi„ des non moratur; aqua non expecta„ tur; Apoſtolus perfecto negotio eri„ pitur. Sed & Paulus revera cito tin„ ctus eſt. Cito enim cognoverat Si„ mon hoſpes, vas eum eſſe electionis „ conſtitutum. Dei dignatio ſuas præmit„ tit prærogativas; omnis petitio & de„ cipere, & decipi poteſt. Itaque pro „ cujuſque perſonæ conditione, ac diſ„ poſitione, etiam ætate, cunctatio Ba„ ptiſmi utilior eſt: præcipue tamen „ circa parvulos. Quid enim neceſſe eſt, „ ſponſores etiam periculo ingeri? quia „ & ipſi per mortalitatem deſtituere pro„ miſſiones ſuas poſſunt, & proventu „ malæ indolis falli. Ait quidem Do„ minus: Nolite illos prohibere ad me „ venire. Veniant ergo, dum adoleſcunt; „ veniant, dum diſcunt; dum, quo ve„ niant, docentur; fiant Chriſtiani, „ quum Chriſtum noſſe potuerint: „ quid feſtinat innocens ætas ad remiſ„ ſionem peccatorum? Cautius agetur in „ ſecularibus, ut cui ſubſtantia terrena „ non creditur, divina credatur. No„ rint petere ſalutem, ut petenti dediſ„ ſe videaris. Non minori de cauſa in„ nupti quoque procraſtinandi, in qui„ bus tentatio præparata eſt tam virgi„ nibus per maturitatem, quam viduis „ per vacationem, donec aut nubant, „ aut continentiæ corroborentur.

Cupiebant ſcilicet Tertullianus, & noſter Scriptor, quoniam perſecutio ſæpe vexabat Eccleſiam (& en quid, me judice, ſignificent verba illa, *qualitate temporis*) cupiebant, inquam, ut Tyrannorum artibus ſive blandis, ſive aſperis Chriſtiani obſiſterent: Cupiebant etiam myſteria noſtra non prodi, ſanctaque canibus dari vetabant. Pueri autem plerumque aut blanditiis, aut minis, aut certe cruciatibus cedere conſueverant, Chriſtianamque religionem deſerere: manifeſtabant quoque quæcunque noverant: hanc ob rem Chriſtianis annumerari pueros nolebant. Ætas etiam ipſa minus apta eſſe ſolet ad ſublimia percipienda myſteria: qualia procul dubio chriſtiana ſunt. Et his quidem de cauſis, ut dixi, pueros Chriſtianam religionem plerumque doceri prohibebant. Dixi *plerumque*: etenim ſi eos & ingenioſos noverant, & valde probos, conſtanteſque, hos ipſos myſteriis noſtris imbuere non recuſabant. Hinc S. Babylas duos eos pueros inſtruxit, quos martyrii poſtea conſortes habuit. Agnes tredecim annorum martyrium paſſa indicat procul dubio, pueros interdum in ſinum ſuum recepiſſe eccleſiam, quibus tamen amoto perſecutionis periculo baptiſmum in pueritia ipſa conferri optavit.

171 *Ætatis defectu* legendum ſtatui: etenim tametſi vox hæc *defectu* deſit in codice, ſubſtitui tamen ea debet, expoſcente ſenſu ipſo verborum, alioquin deficiente. Deinceps porro monet Hilarius, inſtruendos eſſe a parentibus ipſis pueros: etenim in publicis concionibus præcepta eorum ætati, atque ingenio congruentia proponi non poſſunt. Id vero exſequetur Eccleſia, cum maturior ætas aptos percipiendis Eccleſiaſticis inſtructionibus reddet. Senſim tamen, non confertim edocendi pueri ſunt, ne ſcilicet aut inſtructionum multitudine opprimantur, aut propter obſcuritatem ea minime diſcant, quæ tamen diſcenda ſunt.

172 Num legendum ſit *fidei donum*, reſpiciendo ad locum illum Scripturæ (*a*): *dabitur illi fidei donum electum*; an retinenda ipſa Codicis lectio, *fidei bonum*; dijudicet Lector. Retineri ſane commode poteſt lectio ipſa codicis. *Deifici muneris* nomine baptiſmus intelligi rectiſſime poteſt, confirmatio quoque apto tempore ſuſcipienda: quamquam ea verba explicatio quædam uberior eſſe poſſunt ſuperiorum verborum, *fidei bonum*, denotareque *fidei bonum* deificum munus eſſe: quod deinceps Pelagiani, &

P Semi-

(*a*) Sap. III. 14.

Semipelagiani impugnarunt. Verba porro illa, *& non naturæ*, ſic emendavi ex ingenio: in codice enim habetur, *& naturæ*: tum vero nullum in eis perſpexi ſenſum: perſpicuus porro eſt, & probabilis, ſi adjunxeris particulam *non*, legaſque, *& non naturæ*. Scilicet in innocentia, & ſanctitate perſeverantes oſtendant in ſe regnare non veterem, ſed novum Adamum. Ea, quæ tradit Paulus capite V, & VI epiſtolæ ad Romanos (*a*), interpretationem hanc meam comprobant.

173 Pro *confirmandi* in codice legitur *affirmandi*. Si lectionem hanc retinere vis, ego minime obſiſtam, dummodo probabilia exempla ſignificationis hujus afferas. Confirmantur porro pueri *in fidei bono, & deifico munere*, dum per inſtructiones in Eccleſia factas inſinuantur eis recta præcepta, iiſque indicitur, quid agendum Chriſtiano ſit, ut Deo gratus, ſuaque vocatione ſit dignus.

174 Ea, quæ ex Tertulliano num. 170 (*b*) allegavimus, locum hunc ſatis, ut arbitror, illuſtrabunt. *Puerorum* nomine eos ſane non modo intelligit, qui tenella adhuc ſunt in ætate, verum etiam eos, qui juventutem attigerunt. Pueris enim a fornicatione cavendum eſſe minime dixiſſet, ſi puerorum nomine eos tantum intellexiſſet, qui tenella adhuc in ætate ſunt. Quamquam *fornicationis* nomine interdum omnis *immunditia carnis* denotatur.

175 Ne miretur Lector, ſi reliqui vocem *idolatriæ*, uti in noſtro codice habetur: Etenim in codicibus fere omnibus tam Cypriani, quam reliquorum veterum Patrum *idolatria* legitur, ubi in editis legitur *idololatria*. Id ante me notarunt Baluzius, aliique Critici: id tamen minime omittendum hic duxi. Venio jam ad ſententiam ipſam. Sæpiſſime fornicatio in Scripturis interdicitur. Ut in iis me contineam, quæ ex novo teſtamento deſumuntur, aliqua in paginæ calce indico, quæ id, quod ajo, comprobant (*c*). Sed difficilius eſt explicare, cur *initium idolatriæ* habere dicatur fornicatio. Si id excipias, quod egregius Calmetus monet (*d*), *avaritiæ* nomine fornicationem ipſam intelligi, ſeu omne libidinum genus, reſponderi commode poteſt, Hilarium ad verba Pauli, quibus id ipſum inculcatur, reſpexiſſe. Porro Paulus, qui, ſi id tradidit, temere ſane non tradidit, expreſſiſſime ait (*e*), *concupiſcentiam malam, & avaritiam* (id eſt, effrenem libidinem cupientem immundis voluptatibus exſaturari) *eſſe ſimulacrorum ſervitutem*. Quod ſi dicti hujus penitiorem rationem exquiras, ideoque etiam exquiras, cur hæc Hilarius tradiderit: *Et neceſſe eſt utrumque noverit, qui ſecutus fuerit alterum*, id exquires, quod haud ita facile explicaverim. An quia cum inter Chriſtianos meretrices nullæ eſſent, is qui fornicarius eſſe cupiebat, ad meretrices Gentilium confugere compellebatur, quæ mercaturam ſui corporis numinibus impudicis devoverant, & Veneri in primis? ſic ut *interpretativa* idololatriæ approbatio, & participatio eſſet eorum temporum fornicatio? An quia eædem mulieres amaſiorum ſuorum affectibus potitæ, atque animo, ad earum numina colenda certo deducebant? Hujus quidem rei miſeranda exempla nobis reliquit populus Iſrael (*f*), qui, *dum morabatur in Settim, fornicatus eſt cum filiabus Moab, quæ vocaverunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adoraverunt Deos earum: initiatuſque eſt Iſrael Beelphegor*. Eam ob cauſam vetuit Dominus, ne filii Iſrael (*g*) mulieres Amorrhæas, & Chananæas, & Hethæas & Pherezæas,

(*a*) verſic. præſertim 18, & ſequent. capitis V; ſecundo vero, & ſequentibus capitis VI.
(*b*) *Non minore de cauſa innupti*, &c. (*c*) Act. XV. 20, & 29. Et rurſus cap. XX. 25. & 1. Corin. V. 13. Et Galat. V. 19. Et 1. Theſſal. IV. 3. (*d*) Eph. IV. 19. Et V. 5. Et Coloſs. III. 5. (*e*) Coloſs. III. 5. *Concupiſcentiam malam, & avaritiam, quæ eſt idolorum ſervitus*. (*f*) Num. 25. 1. (*g*) Exodi cap. 34 verſ. 16.

Digitized by Google

zæas, & Hevæas, & Jebuſæas uxores ducerent: ſubjungens, *ne poſtquam ipſę fuerint fornicatæ* (cum diis ſuis), *fornicari faciant & filios tuos in Deos ſuos.* Quod quidem monitum negligens Salomon (*a*), *cum jam eſſet ſenex*, *depravatum eſt cor ejus per mulieres*, *ut ſequeretur Deos alienos*.

Quamquam ad depravandos animos, atque a recta fide alienandos neceſſe non erat, ut falſorum numinum cultrices mulierculæ perquirerentur. Libido ipſa excæcat animum, ac corporeis, & ſenſibilibus voluptatibus irretitum a ſpiritualibus, & incorporeis abducit, ideoque a deſiderio, ac ſtudio præmiorum eorum, quæ nobis Chriſtiana fides proponit. Hinc ea contemnere ſtudet, rationeſque perquirit blandulas, quibus perſuadeatur, imprudenter pręſentia, ſenſibuſque ſubjecta deſpici, ut incorporea, & vitæ alteri ſervata bona perquirantur. An temere hæc dico? an non potius hæc intemperantium, ac libidini deditorum ſenſa in libro Sapientiæ expreſſa invenimus (*b*)? „ Umbræ enim tranſitus eſt tempus noſtrum, & non eſt reverſio finis noſtri: quoniam conſignata eſt, & nemo revertitur. Venite ergo, & fruamur bonis, quę ſunt, & utamur creatura tamquam in juventute celeriter. Vino pretioſo, & unguentis nos impleamus: & non prętereat nos flos temporis. Coronemus nos roſis, antequam marceſcant: nullum pratum ſit, quod non pertranſeat luxuria noſtra. Nemo noſtrum exors ſit luxuriæ noſtræ: ubique relinquamus ſigna lætitiæ: quoniam hæc eſt pars noſtra, & hæc eſt ſors.

Quapropter ne in ſummam hanc calamitatem inciderent, ut a gentilium libidini deditorum exemplis caveant, Fideles monet Paulus, cujus verba referre hic placet (*c*): *Hoc igitur dico, & teſtificor in Domino, ut jam non ambuletis ſicut & gentes ambulant in vanitate ſenſus ſui; tenebris obſcuratum habentes intellectum, alienati a vita Dei per ignorantiam* (affectatam, & vincibilem, ut cum Theologis loquar) *quæ eſt illis, propter cæcitatem cordis ipſorum, qui deſperantes ſemetipſos tradiderunt impudicitiæ, in operationem immunditiæ omnis in avaritiam*. Quod attinet ad vocem *initiat*, vide quæ diximus num. 21.

176 A pueris, & adoleſcentibus tranſit ad juvenes, quorum ætatem aliquantulum confirmatam egregiis monitis inſtruit.

Prioribus illis verbis: *Ergo quomodo &c.*, innuit Euangelicum illud monitum (*d*): *A fructibus eorum cognoſcetis eos*. Notiſſima quoque ſunt Jacobi verba (*e*), & ad confirmandam eam, quam illuſtramus, ſententiam aptiſſima. *Sed dicet aliquis: tu fidem habes, & ego opera habeo. Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtendam tibi ex operibus fidem meam*. Verba illa, *quæ deſignant Gentiles*, ſic interpretor, ut ex impudica vita Gentiles dignoſcerentur, ex caſta Chriſtiani. Interpretationem hanc meam comprobant in primis illa Petri Apoſtoli monita (*f*): *Sufficit enim præteritum tempus ad voluntatem Gentium conſummandam his, qui ambulaverunt in luxuriis, deſideriis, vinolentiis, comeſſationibus, potationibus, & illicitis idolorum cultibus. In quo admirantur non concurrentibus vobis in eandem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes*. Comprobant pariter ea Pauli dicta (*g*): *Mortificate ergo membra veſtra &c.* Et alibi (*h*): *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia* (ideſt, ut antea diximus, cupiditas voluptatum) *nec nominetur in vobis &c.* Affinia tradiderat in epiſtola Romanis ſcripta (*i*). Subſequentia porro: *ſi tamen eorum monita, & oratio nihil legitimi* aſ-

(*a*) 3. Reg. XI. 2, 4. &c. (*b*) cap. II. verſ. 5. (*c*) Ephe. IV. 17. (*d*) Matth. VII. 16.
(*e*) cap. II. verſ. 18. (*f*) Epiſt. 1. cap. IV. verſ. 3, & 4. (*g*) Coloſſ. III. 5, & ſeq.
(*h*) Eph. V. 3, & ſeq. (*i*) cap. VI. verſ. 19. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſervire immunditiæ*.

afferet impedimenti, ad eum modum intelligo, quo Gregorius Magnus (*a*) verba illa Chriſti (*b*): *ſi quis venit ad me, & non odit patrem ſuum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres &c.* Scilicet: *Si vim præcepti perpendimus* (inquit Gregorius), *utrumque agere per diſcretionem valemus, ut eos qui nobis carnis cognatione conjuncti ſunt, & quos proximos novimus, diligamus, & quos adverſarios in via Dei patimur, odiendo, & fugiendo neſciamus.* Poſtrema hæc: *& ipſam* (uxorem) *deifice comparatam*, matrimonium Eccleſiæ miniſterio peractum procul dubio innuunt. Præclariſſimum iſtud eo ſuper argumento Hilarii teſtimonium æſtimabit quicunque ſapit.

177 In libertate cujuſque ſinit, ut uxorem, ſi placuerit, ducat, ideoque eos redarguit hæreticos, qui Chriſtianos nubere prohibebant. Tum eos reprehendit, qui, ne abſtinere compellerentur ab *immunditia*, quam Chriſtiana lex ſuis interdicebat, baptiſmum differebant. Peccare ſcilicet eos ait in hac ipſa dilatione. Monitum porro Lectorem volo, me ſubſtituiſſe vocem *amplectenda*, quandoquidem in codice legitur *conſideranda* (*conſideranda continentia*), prava utique, aut aliqua verborum intercapedine deficiente lectione. Si melius emendaverit Lector, rem gratam faciet.

178 At magis illaudabiles eos eſſe ait, qui ſuſcepto baptiſmo *immunditiæ* ſe dedunt, & operibus carnis: quippe *illuminati prolabuntur* (*c*). Quæ n. 175 tradidi, referri huc commode poſſunt. Reliqua is facile per ſe intelliget, qui loca Scripturæ in calce epiſtolæ ipſius notata conſulet. Addidi, *inter ſenes*. Legendum ſcilicet putavi ad hunc modum: *& apud interiorem hominem juvenes, inter ſenes Deo judice collocentur*: hanc quippe lectionem videtur ſenſus ipſe expoſcere: legitur enim in codice: *& apud interiorem hominem juvenes Deo judice collocentur*. Conjecturam vero hanc meam confirmant ſequentia haud multo intervallo verba: *in tentationibus juvenes: in conſiliis, & cogitationibus ſenes graves*.

179 Deerat porro poſt vocem *flagitiorum* vox aliqua, quæ dæmonem eorundem flagitiorum *auctorem* denotaret. Hanc poſui, id quoque expoſcente ſententia. Quis porro neget flagitiorum omnium auctorem dæmonem? quando quidem ipſe *ab initio peccat* (*d*): & per ejus aſtutiam mors introivit in orbem terrarum (*e*). Et merito eundem dæmonem errorum omnium, hæreſumque auctorem deſcribunt Auguſtinus (*f*), & Leo Magnus (*g*), quatenus ſcilicet tentationibus, & impulſibus ſuis affectus pravos in nobis excitat, & ad peſſima quævis committenda hortatur.

180 Quædam verba ex ſuperiori loco huc tranſtuli. Scilicet in codice ipſo poſt voces, *crediderint*, *inveniri*, ſequuntur ea, quæ ad hunc modum incipiunt: *Et hos omnes monendos eſſe exiſtimo*, uſque dum ad ea pervenias, quæ ad hunc modum terminantur: *quæ crediderimus, tradiderimus*. Tum ſequuntur alia: *Conſiderandum juvenibus &c.* Ideo vero huc tranſtuli, quia ad ſenes potius, quam ad juvenes pertinere iſta putavi. Ad ſenes porro ſi iſta non referas, omiſſam fuiſſe ſenum inſtitutionem dicere debes, cum tamen ad ætates omnes ſe ſermonem directurum antea promiſiſſet Hilarius. *Jam ætatum* (inquit) *ſermo habeatur in manibus* (*h*). Num intercapedo aliqua extet poſt verba illa, *ſenes graves*, an non, minime definierim. Fortaſſe ſe ſenes alloqui ſatis innuere putavit, cum poſt verba illa, *Senes graves*, hęc ſtatim ſubjicit: *Et hos* (ſcilicet ſenes graves) *monendos eſſe exiſtimo*, &c.

Sed placet hic, claritatis cauſa, to-

(*a*) homil. 37 in Evangelia num. 2. (*b*) Luc. XIV. 26. (*c*) Hebræ. VI. 4, 6. (*d*) 1. Jo. 3. 8. (*e*) Sap. II. 24. (*f*) *de utili. Jeju.* n. 10, alias cap. 8. *Hoſtem quippe &c.* (*g*) Serm. VII *de Nativit.* cap. III. *non enim deſinit hoſtis &c.* (*h*) paragrapho XII.

totum hunc locum, uti in codice legitur, apponere. *Itaque aut illis ducenda eſt uxor, aut conſideranda continentia. Sane ne territi fidem differant, ſciant malum eſſe propter immunditiam non credere; deterius eſſe, impudicos, poſtquam crediderint, inveniri. Et hos omnes monendos eſſe exiſtimo, ut omnibus propter Deum obſequantur. Domum ſuam bene regere diſcant. Si filios habent, pie tractent, & inſtruant rebus deificis: hæc enim ſigna ſunt fidei noſtræ: ſi non ſolum crediderimus, verum etiam aliis quæ crediderimus, tradiderimus. Conſiderandum juvenibus, ut in omnibus factis ætatem ſuam ſuperent: animo, & virtute fortes, & apud interiorem hominem juvenes Deo judice collocentur. Gratulandum etiam, quod non omni ætate conſummata, ſed in ipſo ætatum calore, & in ipſa adoleſcentia flagitiorum diabolo, & immundis factis renunciaverint, & renovati exhibeant ſe Deo puros in malitia; in tentationibus juvenes; in conſiliis, & cogitationibus ſenes graves. Milites Chriſti ſciant*, &c.

181 Generatim Chriſtianos omnes adhortatur, ut vocationi reſpondeant ſuæ, eaque agant, quæ ſanctitas fidei noſtræ ab iis expoſcit. Eos vero *milites Chriſti* appellat, uſitatiſſimo (*a*) per ea tempora vocabulo, non modo quia *militia eſt vita hominis ſuper terram* (*b*); verum etiam quia Chriſtiani hominis vitam militiæ ſępiſſime ſimilem dixere Canonici ſcriptores, Paulus vero præ ceteris, qui allegoria hac ſæpe Chriſtianos alloquitur, indicatque. Loca aliqua in paginæ calce noto, quæ per ſe Lector conſulat (*c*). Donativa porro, & ſtipendia (*) dum hic commemorat, & eandem allegoriam retinet, & ea innuit, quæ de corona immarceſcibili alibi dicit; neque enim ſolum in *agone certantibus* coronæ dabantur, verum etiam militibus, atque his ſane civicæ, triumphales, aliæque hujus generis coronæ pro præmio tribuebantur: innuit quoque celebratiſſimum illum Pauli locum: *ſtipendia peccati mors* (*d*). Si enim ſtipendia peccati mors, ſtipendia Chriſtianæ vitæ erit *vita æterna* (*e*), quæ alibi expreſſius dicitur *corona vitæ*. Vide num. 47.

182 Duo perſecutionum genera Chriſtianis imminere apertiſſime ait: ſcilicet ab inviſibilibus hoſtibus, de quibus ait Apoſtolus Paulus (*f*): *Induite vos armaturam fidei, ut poſſitis ſtare adverſus inſidias diaboli, quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem, & ſanguinem, ſed adverſus principes, & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ* &c. Et a viſibilibus, ſeu Tyrannis, ſeu aliis Chriſtianæ fidei, aut, ſi vis, Catholicæ veritati obſiſtentibus. Vide quæ diximus in præfatione (*g*). Nolui porro voci *circa* (*circa diabolum*) quam habet Codex, ſubſtituere vocem *contra*; quia ferri utcunque poteſt prior illa lectio. Ceterum ego quidem legi mallem *contra diabolum*.

183 Plurima hoc ſuper argumento eloquentia, aptaque ad perſuadendum reperies in Martyrum Actis, in libro *ad Martyras* Tertulliani, & in epiſtolis, aliiſque opuſculis Cypriani.

184 Recole tradita numero ſuperiore. Eadem ſane tradit Cyprianus. Verbum *expugnatur* hic accipio pro pugna vehementiſſima, quæ glorioſiſſime terminetur. Zelus Hilarii poſtremis his verbis: *aptandus omnis ſermo ad deſtructionem idolatriæ, & martyrii coronam laudandam*, mirifice eminet.

185 Suſpicatus ſum, fateor, legendum eſſe: *is qui evangelizat*, (evangelizatum) *interroget quid agat*: aut, ſi vis, *is qui evangelizatur, interrogetur quid agat*. Nolui tamen quidquam immutare: fortaſſe enim vox *Evangelizat* hic eum denotat, qui Euangelicam legem ſuſcipere cupit. Aliqua deeſſe hic arbi-

(*a*) in Actis S. Cæciliæ: *Eja milites Chriſti &c.* (*b*) Job. VII. 1. (*c*) I. Timoth. I. 18. Et II. Timoth. II. 3. Et II. Corinth. X. 3, & 4. (*) De donativis, & ſtipendiis vide quæ notant PP. S. Mauri pag. 742 tomi I Oper. S. Ambroſii, ad Enarrat. in pſ. 1.
(*d*) Rom. VI. 23. (*e*) Ibidem. (*f*) Eph. VI. 11. (*g*) cap. 1. num. 4.

Digitized by Google

arbitror, quibus monitum ad unumquodque vitæ genus pertinens terminetur. Sed quænam ea fuerint, divinare quis audeat? *Officialis* nomine miniſtrum magiſtratus intellige. Ad hunc certe modum in Lexico Facciolati (*a*) ſumitur; & duo afferuntur exempla, primum ex Apulejo (*b*), alterum ex vetuſta inſcriptione Gruteri (*c*). Verbum *moderari* videtur ſumi pro *moderatum eſſe*.

186 Ea, quæ in epiſtolæ calce notavi, Scripturæ loca perſpicue indicant, ad quæ Hilarius perſpexit. Ad alia etiam reſpexiſſe arbitror: ſed cum ea expreſſe non allegarit, Lector ea per ſe perquirat. *Fidem plenam* (*fide plena*) haud temere eam intelligo, quæ opera habet: vacuam ſeu mortuam eſſe eam, quę *ſine operibus* ſit, aſſequimur ex Jacobo (*d*).

187 Ad expreſſam illam, ſolemnemque renunciationem reſpicit Hilarius, quam adverſus dæmonem profitemur, cum baptiſma ſuſcipimus.

188 Legendum ſuſpicor, *ſpes eorum, quæ videntur, non eſt ſpes*; nam antea *ſpem* de rebus futuris eſſe ait: futura porro non videntur. Quia tamen ferri utcunque poterat codicis noſtri lectio, eam reliqui. Lector, ſi vult, eam emendet. Delevi porro vocem *quid* poſitam poſt vocem *quis* (*e*), quia manifeſtum amanuenſis errorem ea præſeferebat. Ubi Vulgata legit in Pſ. 18 ab Hilario allegato, *Timor ſanctus*, vetuſtiſſima alia verſio legit, *timor caſtus*. Hanc Hilarius, nec temere, ſequitur. Reliqua per ſe patent. Delevi poſt vocem *judices*, vocem *putes*, quæ in codice habetur; facile quippe intelligis, ab imperito amanuenſi eam in epiſtolam ipſam inductam eſſe. Vereor ne in definitione continentiæ deſit vox aliqua, veluti *complexio*, aut, ſi vis, *deſiderium*, *amor*, *cupiditas*, aut aliud affine. Vide caput XVII proxime ſequens (*In bonis aviditas exigenda eſt* &c.). Ferri tamen poteſt hic quoque codicis noſtri lectio.

189 Præclariſſima ſane ſunt iſta Hilarii verba: *Malorum ſane ſubſtantiam ab initio nullam eſſe comperimus: quippe inobedientia... juxta bonum, malum eſt.* In priori porro hujus ſententiæ parte indicatur pariter, & refellitur impium dogma Manichæorum, qui mali originem a principio malo repetebant. Dum hæc ſubjicit: *quippe inobedientia* &c., indubitate Adami inobedientiam innuit, per quam mors, adeoque mala omnia in mundum ſunt introducta. Utinam reliqua extarent in codice, quæ de eadem Adami inobedientia Hilarius tradidit. Ea ſane haberemus, quibus non modo Manichæi, verum etiam ii omnes revincerentur, qui circa peccati originem erraverunt. Sed intercapedo fortaſſe non modica, & ſubſequentium obſcuritas ab amanuenſium inſcitia, ut puto, proveniens, emolumentum hoc nobis demunt. Duo tamen notare operæ pretium reor: ſcilicet ſententiam illam: *juxta bonum malum eſt*, ipſiſſimam eſſe (niſi plane fallimur) atque eam, quæ legitur in Eccleſiaſtico (*f*): *Contra bonum malum eſt, & contra mortem vita: Sic & contra virum juſtum peccator*. Alterum: neſciri, ad quem finem afferatur. At eorum, quæ ſequuntur, non modo metam, verum etiam ſenſum plane ignoramus: quin etiam, quoniam vitioſa procul dubio eorum lectio eſt, neſcimus plane, quanam ratione emendari ea poſſint. Quis enim recte emendet hujus modi verba: *Et quæ* (*g*) *ſi nuſquam comparentur ſibi, boni tutela ſervatur?* quamquam ſubodoramur, tradidiſſe hic Hilarium non compelli quemquam ad malum, ſed in noſtra eſſe poteſtate probitatem amplecti, & in ea perſiſtere, vindicante nimirum nos ab illecebris, & ten-

(*a*) ad verbum *Officialis*. (*b*) *Ædilis jubet officialem ſuum inſuper piſces inſcendere, & pedibus ſuis totos obterere*. lib. V Metam. (*c*) *Officiales ejus* (conſulis) *Provinciæ Aquitaniæ*. Inſcript. Grut. pag. 422. n. 7. (*d*) cap. 2. verſ. 17. & 26.
(*e*) *quis quid ſperat?* (*f*) cap. 33. verſ. 15. (*g*) vel, *& quod*; vel, *& quam*.

Digitized by Google

tentationibus divina gratia, qua quidem protecti, *bona tutela ſervamur*: ſeu, ſi vis, boni tutelam ſervamus: ideſt, non relinquimus bonum, quod amplexi jam fuimus.

190 Continentiam hic latiſſime ſumit Hilarius. Aviditatem vero pro deſiderio ardentiſſimo operandi bona accipit. De continentia copioſe mox diſſerit.

191 Poſt vocem *conferre* fortaſſe deeſt vox *ſermonem*. Hinc in Evangelio: *ſermones, quos confertis ad invicem*. Quamquam ſuſpicor, ita re vera ſcripſiſſe Hilarium, uti habet noſter codex; ita ſcilicet, ut nulla expreſſa ſermonis mentio habeatur. Nam ſimpliciter *Collationes* a Caſſiano appellati ſunt pii Monachorum ſermones, & mutuæ exhortationes.

192 Proxime poſt vocem hanc, *tantummodo*, hæc habentur in noſtro codice: *quia contemplatione Deus judicat conſcientiam ſingulorum:* manifeſto utique errore. An vero gloſſa quædam eſt olim in margine appoſita verbis illis, *juxta conjunctionem conjugalem continentes?* an in autographo conſcripta ea ſunt poſt illa verba, quæ deinceps habentur: *non uniformem mandavit Deus continentiam*: aut etiam poſt illa, quæ deinceps etiam, ſed longiori intervallo pariter habentur: *Deus ſolus intima, & ſecreta conſpicit*, & caſu aliquo in epiſtola ipſa ab antiquo amanuenſi omiſſa, & conjecta in marginem, nota appoſita, quæ locum indicaret, ubi ea collocari debuiſſent, a poſteriori amanuenſi, quem ſæpe imperitum diximus, poſita hic ſunt? Alienum judicium eſto.

193 Sic porro interpretor verba illa: *Et ex forma veluti continentiæ magis inflati*. Ex hac ſpecie, &, ut fere dicimus, apparentia, & larva continentiæ: vera enim, & ſolida continentia non eſt, quippe continentia, ſi Hilario credimus eam paulo ante definienti, *appetendarum omnium rerum malarum eſt refrenatio*: ex hac, inquam, continentiæ ſpecie inflati deſpiciunt alios, quibus a Deo conceſſum non eſt donum iſtud, percutiuntque, maledicta in eos conjiciunt &c.

194 Ubi poſui *continentiam* in codice habetur *conſcientiam*. Sed procul dubio legendum eſt *continentiam*: quippe de iis loquitur, qui *proferunt*, ideſt jactitant ſe habere continentiam: cum tamen ea ipſa continentia, quam habent, tantum abſit, ut eos vere continentes, ut potius vitioſos efficiat; ſic ut fomitem, & materiam *criminum* videatur ea, quam habent continentia, ſubminiſtrare. Addidi vocem *criminum*: deeſt enim in codice, cujus rei materiam ſubminiſtret larva hæc, & ſpecies continentiæ. Sed ex ſenſu utique conſtat, vitiorum, criminumque materiam ab ea ſubminiſtrari.

195 Ubi poſui: *cum utique hæc præſecanda ſint*, in codice legitur, *cum utique hac perſeveranda ſint*. Sed quis id ferat? Si probabilius emendet Lector, illius emendationem equidem approbabo.

196 In priori illa ſententia: *multos vel plurimos ſic flagrare cupiditate ....ſicut exitus docet*, nonnulla procul dubio deſunt. Sed quanam ratione ea reparem, plane ignoro. Senſus tamen omiſſorum verborum hic fuiſſe videtur: *Multos, vel potius plurimos ſic flagrare cupiditate comperimus, ut a virginibus, quibuſcum familiariſſime vivunt, avelli nulla ratione poſſint: atque id quidem eventus docet: etenim univerſa pœnarum genera &c.* In codice legitur, *aut ſub uno cubent tecto*. Si in typos irrepſit vox &, eam emendet Lector.

197 *Interdictum majorum natu*; ideſt, ſacerdotum, quos *presbyterorum*, ſeu *majorum natu* vocabulo honeſtatos ex ſacris ipſis bibliis novimus: aut ſeniorum ætate, quorum utpote prudentia, & rerum experientia præſtantium auctoritas in Eccleſia non levis erat: hi enim, quibus licentia ab Hilario hic deſcripta jure meritoque diſplicebat, quantum poterant, cavebant, ne Virgines

Chri-

Chriſto dicatæ viris cohabitarent, multoque magis ne uno lectulo cum iis degerent. Hoc ſane non leve malum vetuſtis ipſis temporibus vidit, & reprobavit, ſummiſque viribus evellere Eccleſia ſtuduit. Pauca ad exemplum innuo. Conſule itaque LXII Cypriani epiſtolam, quæ in editione Baluzii inſcribitur *de Virginibus ad Pomponium* (*a*), in qua quidem epiſtola hæc præſertim notes velim: *Primo igitur in loco, frater cariſſime, & præpoſitis, & plebi nihil aliud elaborandum eſt, quam ut qui Deum timemus, cum omni obſervatione diſciplinæ divina præcepta teneamus, nec patiamur errare fratres noſtros.... nec pati virgines cum maſculis habitare, non dico ſimul dormire, ſed nec ſimul vivere, quando & ſexus infirmus, & ætas adhuc lubrica per omnia frenari a nobis, & regi debeat, ne diabolo inſidianti, & ſævire cupienti ad nocendum detur occaſio, quando & Apoſtolus dicat:* Nolite locum dare diabolo. *Liberanda eſt vigilanter de periculoſis locis navis, ne inter ſcopulos, & ſaxa frangatur.* Conſule Hieronymi pariter epiſtolam ad *Paulum Concordienſem* (*b*), Homiliam Chryſoſtomi *adverſus eos, qui apud ſe Virgines ſubintroductas habent*; Ejuſdem quoque Doctoris homiliam alteram, quę inſcribi ſolet: *Quod regulares feminæ viris cohabitare non debeant* (*c*). Extat ea de re Theodoſii Junioris conſtitutio lib. XVI Cod. Theodoſ. titul. II lege XLIV, quam legas obſecro. Multa porro in eam notavit Gothofredus, ad quem te allego.

198 *Quid hoc mali eſt?* &c. Verba hæc ſunt excuſantium eos, qui cum virginibus nulla cognatione ſibi devinctis, familiariter tamen ſub uno tecto habitant, atque adeo uno dormiunt lecto. Atque hos quidem vehementer redarguit Hilarius, monens, ab oſculis eos certe non cavere, quod tamen ferri omnino non poterat: id enim non leve eſt argumentum animi jam a dæmone correpti. Hos ſane pœnitentiæ legibus ab Eccleſia ſubjici declarat Cyprianus, cum hæc ait (*d*): *Et idcirco conſulte, & cum vigore feciſti, frater cariſſime, abſtinendo Diaconum, qui cum virgine ſæpe manſit, ſed & ceteros, qui cum virginibus dormire conſueverant. Quod ſi pœnitentiam hujus illiciti concubitus ſui egerint, & a ſe invicem receſſerint.... accepta communicatione ad eccleſiam admittantur, hac tamen interminatione, ut, ſi ad eoſdem maſculos poſtmodum reverſæ fuerint, aut ſi cum eiſdem in una domo, & ſub eodem tecto ſimul habitaverint, graviore cenſuſa ejiciantur, nec in Eccleſiam poſtmodum tales facile recipiantur.* Vide etiam, obſecro, epiſtolam, quam Hieronymus ad Sabinianum diaconum ſcripſit (*e*). *Serpentem* dæmonem intellige; eſt enim ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus (*f*), & ea ſub forma expreſſum novimus a Conſtantino Magno (*g*).

199 Alteram excuſationem idem Hilarius ex eorumdem virginibus cohabitantium ſententia profert. Atque ea ipſa, qualiſcunque ſit, Cypriani tempore afferebatur. Eam autem rejicit idem Cyprianus his ſane præſtantiſſimis monitis (*h*): *Nec aliqua putet ſe poſſe hac excuſatione defendi, quod & inſpici, & probari poſſit, an virgo ſit, cum & manus obſtetricum, & oculi ſæpe fallantur, & ſi incorrupta inventa fuerit virgo ea parte ſui, qua mulier poteſt eſſe, potuerit tamen ex alia corporis parte peccaſſe, quæ corrumpi poteſt, & tamen inſpici non poteſt. Certe ipſe concubitus, ipſe complexus, ipſa confabulatio, & inoſculatio, & conjacentium duorum turpis, & fœda dormitio quantum dedecoris, & criminis confitetur? Si ſupervenients*

niens

(*a*) pag. 219 edition. Venet. (*b*) Olim 213; in Veron. edit. X. (*c*) Harum I extat pag. 227, altera 248 Tomi I editionis Montfauconii. Vide ibidem monitum hiſce homiliis præpoſitum. (*d*) Epiſto. LXI pag. 220. (*e*) in Veron. editione eſt 147; olim erat 48. (*f*) Apocalyp. XII. 9, 14, & 15. (*g*) Euſeb. de vita Conſtan. lib. III. cap. III. (*h*) in eadem epiſt. LXI. pag. 220.

Digitized by Google

niens maritus ſponſam ſuam jacentem cum altero videat, nonne indignatur, & fremit, & per zeli dolorem fortaſſis & gladium in manum ſumit? Quid Chriſtus & Dominus, & Judex noſter, cum virginem ſuam ſibi dicatam, & ſanctitati ſuæ deſtinatam jacere cum altero cernit, quam indignatur, & iraſcitur, & quas pœnas inceſtis ejuſmodi conjunctionibus comminatur, cujus ut gladium ſpiritalem, et venturum judicii diem unuſquiſque fratrum poſſit evadere, omni conſilio providere, et elaborare debemus. Notare autem libet, Cyprianum quidem, alioſque, quos Baluzius decimanona in eam, quam attulimus, epiſtolam annotatione allegat, non reprobaſſe experimentum ab obſtetricibus in virginum corporibus factum. Sed certe illud reprehendit Hilarius, cujus exemplum ſecutus eſt Ambroſius Mediolanenſis, vir ſane egregius (*a*).

200 Obſcuriora ſunt, quæ hic traduntur: aſſequeris tamen, propterea ardentius dilectas fuiſſe eas, de quibus antea locutus fuerat, virgines, quod ſe virgines profiterentur, quamquam nomine tantum, & profeſſione virgines eſſent. Temere porro eæ ſe virgines jactitabant, laudem hanc ab hominibus perquirentes, cum eam a ſolo Domino expectare debuiſſent, præmium ſcilicet pudicitiæ iis reddituro.

201 Præcepiſſe Apoſtolum Paulum mulieribus, ut tecto capite orarent, indubitata res eſt. Vide locum epiſtolæ ad Corinthios, quem in calce paginæ indico (*b*). Hæ porro Virgines, de quibus loquitur hic Hilarius, detecto capite orabant: fortaſſe ut capillorum, & capitis ornatus omnibus appareret, faventibus *corruptoribus ſuis*, quos antea reprehenderat. Appellat autem eos *Virginum corruptores*, quia ſi non corporis, animi certe, morumque corruptores erant. Num voces illæ, *cohibentibus corruptoribus ſuis*, apto loco ſint poſitæ, anceps hæreo. Si ſuo tamen loco ſunt poſitæ, ita illas explico, ut hi *cohibeant* (ideſt reſtringant) Apoſtoli præceptum, quod ad fœminas omnes extenſum fuerat, ad eas ſolas, quæ matrimonio junctæ erant. Quod quidem Hilarii ætate novum non erat: etenim hæc apud Tertullianum legimus (*c*): „ Sed „ quid promiſcue obſervetur per Eccle„ſias, quaſi incertum, id retractandum „ eſt, velari ne debeant virgines, an „ non. Qui enim virginibus indulgent „ capitis immunitatem, hoc niti viden„tur, quod Apoſtolus non virgines no„minatim, ſed mulieres deſignaverit ve„landas eſſe; nec ſexum, ut diceret *fe„minas*, ſed gradum ſexus, dicendo „ *mulieres*. Nam ſi ſexum nominaſſet „ *feminas* dicendo, abſolute definiſſet de „ omni muliere. Aut quum unum gra„dum ſexus nominat, alium tacendo ſe„cernit. Potuit enim, inquiunt, aut & „ Virgines nominare ſpecialiter, aut com„pendio generaliter feminas. Qui ita „ concedunt, recogitare debent de ſta„tu vocabuli ipſius, quid eſt mulier a „ primis quidem litteris ſanctorum com„mentariorum; nam inveniunt ſexus eſ„ſe nomen, non gradum ſexus. Siqui„dem Hevam nondum virum expertam „ Deus *mulierem*, & *feminam* cognomi„navit: feminam, qua ſexus generali„ter, mulierem, qua gradus ſexus ſpe„cialiter. Itaque jam tunc innupta ad„huc Heva mulieris vocabulo fuit, com„mune id vocabulum & virgini factum „ eſt. Nec mirum, ſi Apoſtolus eodem „ utique ſpiritu actus, quo cum omnis „ Scriptura divinitatum, & illa Geneſis „ digeſta eſt, eadem voce uſus eſt, mu„lierem ponendo; quæ exemplo Hevæ

(*a*) Vide obſecro, quæ hac ſuper re ex Epiſtolis ejuſdem Ambroſii eruit Tillemontius tom. X *Hiſto. Eccleſiaſ.* de Ambroſ. cap. 85, et 86. pag. 280 edit. Venetę. Epiſtolæ 46, et 47, quæ a Tillemont o citantur, in editione PP. Benedictinorum ſunt V, et VI Claſſis 1. *Syagrio. Proſpiciendum &c.* Et. *Quæ ſunt in noſtro judicio decurſa &c.* (*b*) 1. Corinth. x. 5. etc. *Omnis autem mulier orans, aut prophetans non velato capite &c.* (*c*) *de Oratione* cap. XXI. tom. III anecdot. Muratorii pag. 40.

Digitized by Google

„ innuptæ & virgini competat. Cetera „ denique non ſonant. Nam & hoc ipſo, „ quod virgines non nominavit, ſicut a- „ lio in loco, ubi de nubendo docet; „ ſatis prædicat de omni muliere, & de „ toto ſexu dictum, nec diſtinctum eſſe „ inter virginem, omnino non nominat. „ Qui enim alibi diſtinguere meminit, „ ubi ſcilicet differentia poſtulat (diſtin- „ guit autem utramque ſpeciem ſuis vo- „ cabulis deſignans); ubi non diſtinguit, „ dum utramque non nominat, nullam „ vult differentiam intelligi. „ Neque porro ab hac ſententia Tertullianus receſſit, cum ab Eccleſia ipſa receſſit, adhæſitque Montano. Etenim librum *de velandis virginibus*, poſtquam Montano adhæſerat, conſcripſiſſe traditur: & tamen etiam capite IV ejuſdem libri eadem, quæ hic, docet. Vehementer autem eos redarguit, qui Virgines capite minime velato orare poſſe in Eccleſia ajebant, toto capite XXII libri *de Oratione*: quod quidem caput integrum legas, rogo. Ceterum *mulieris* vocabulo interdum denotari ſubjectam viro, non virginem, ea veterum latinorum exempla oſtendent, quæ annotatione 12 in epiſtolam Cypriani ad Pomponium in Baluzii editione LXII idem Baluzius collegit (*a*). Eam pariter Lector adeat rogo. Vox illa *initiantur* (*intecto capite initiantur*) vel ad oblationem illam refertur, qua ſe Deo ſiſtunt, virginitatem illi in eccleſia devoventes, vel, ſi vis, ad publicas preces. Reliqua per ſe patent, conſtituta præſertim definitione illa continentiæ, quam antea poſuerat.

202 Delibata videtur ex variis Scripturæ locis ea patientiæ definitio, quæ hic affertur: ſed potiſſimum ex verſiculis primo, & ſecundo capitis IV epiſtolæ ad Epheſios: etenim ad hunc modum locus ille ſe habet: *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate*: quippe patientiæ in primis tribuitur, ut ſufferat (*ſupportantes invicem*). Duas porro hic Hilarius illi adſignat partes, quarum una eſt *tolerantia injuriarum, & paſſionum*; altera *ſufferentia omnium expectationum*. Ac de prima quidem facile aſſentieris: ſæpe enim in Scripturis admonemur, ut caritatem exerceamus, *patientiam, & manſuetudinem* (*b*): quæ quidem tolerantiam injuriarum, ac paſſionum exponunt. At de ſecunda etiam nullum nobis ineſſe poteſt dubium: Etenim, ut reliqua omittam, eo ſpectant monita illa Jacobi (*c*): *Patientes igitur eſtote fratres uſque ad adventum Domini: Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter ferens, donec accipiat temporaneum, & ſerotinum. Patientes igitur eſtote & vos, & confirmate corda veſtra, quoniam adventus Domini appropinquavit*. Hujus modi patientiæ genus ſi quis poſſederit, an non feret (*d*) *contraria vitæ?* an non etiam *bona* omnia poſſidebit? Profecto hæc habebit, qui expectationes omnes ſine præcipitatione ſufferet.

203 Innuit, ut puto, illa Apoſtoli verba (*e*): *Scientes, quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationem: probatio vero ſpem*.

204 Perſpicua ea ſunt, quæ tradit Hilarius, ſi eas definitiones recolueris, quas ſupra poſuit. Verba illa, *ſuperius comprehendi*, idem hic ſunt, ac *ſupra monui*.

205 Omnino legendum eſt, *quando*: etenim quando nihil ſperatur, id quod ſperatur, impatienter fertur. Sed in noſtro codice legitur *quia* ob poſtremi amanuenſis, ut puto, imperitiam.

206 Verba hæc: *omni autem virtute patientia perfert, quod ſpe pereunte dignoſcitur*, perſpicua quidem ſunt, & cum prioribus plane continuantur. At ob-

(*a*) pag. 223 editionis Venetæ. (*b*) I. Timoth. VI. 11. (*c*) cap. V. verſ. 7.
(*d*) *bajulat*. (*e*) Rom. V. 3.

Digitized by Google

obſcuriora ſunt, quæ ſequuntur: *At ſi ſpem fructus patientiæ ſubſequatur, hæc matre gaudet fide, gubernaculum habet Dei, continentia genus, propinquitatem.* Sic autem ea interpretor: Si ſpem ſequatur patientia, quæ ſpei fructus eſt (legendum eſt quippe *ſpem*, tametſi codex habeat *ſpes*), hæc, vel, ſi vis, & *hæc* (ſpes) gaudet matre fide; ſpes vero præſidium Dei peculiare habet: nam *ſperantes in Domino miſericordia circumdabit* (*): continentia vero (quæ harum virtutum genus eſt, id eſt eas omnes complectitur, vel, ſi explicari ita jubes, primaria earum parens eſt, & veluti radix) propinquitatem Dei habet: efficimur enim per continentiam veluti propinqui Dei, vel quia *divinæ conſortes naturæ* per eam efficimur (*a*); vel quia per eam *appropinquamus Deo:* cui ſi appropinquamus, ipſe appropinquabit nobis (*b*); vel, ſi vis, quia potiti cæleſti beatitudine *ſimiles Deo erimus.* Id autem probat Hilarius, tum exemplo martyrum, qui fide, & ſpe corroborati cruciatus quoslibet, & tormenta patienter, & fortiter pertulerunt (Deo ſcilicet eos præſidio, ac gratia ſua adjuvante), tum reliquorum Chriſtianorum, qui uſque ad mortem *patientiæ virtutibus*, ſeu, ſi vis, certaminibus (*c*) Chriſtum imitati *cohæredes Chriſti* efficiuntur. Si quis probabiliora propoſuerit, mihi utique rem gratiſſimam faciet. Illud porro notare hic libet, ad plura Scripturarum loca reſpexiſſe quidem Hilarium, ſed quæ certo deſignare vix poſſumus, præſertim cum vetuſtiorem Vulgata noſtra interpretationem ſequatur. Ne quid diſſimulem, verba hæc: *inde juſti, dum omnia patienter operantur*, in codice noſtro habentur poſt voces illas *patientiæ virtutibus* (aut potius *certaminibus*) *imitantur*. Et poſt vocem *propinquitatem*, legitur ibi: *inde glorioſi Dei teſtes* &c. Senſus tamen, & diſtributio ſententiæ videtur expoſcere, ut ita concludatur periodus, ac ſententia ipſa: *deinde* (ideſt extremo loco) *cohæredes Chriſti, dum illum uſque ad mortem patientiæ certaminibus imitantur.* Si quis tamen codicis lectionem retinere velit, putetque ab illa deſumpſiſſe Hilarium occaſionem, ut de juſtitia diſſereret, per me quidem licet. Quod attinet ad vocem *glorioſi* (*d*), recole num. 2.

207 In codice ita legitur: *quam ſi quis obtinens, & cui quis adhærens vite ſue diſpoſite, & ſine conturbatione conſervat.* Quæ quidem verba implicita manifeſto ſunt, & nitido ſenſu carent. Emendavi porro, ut probabilius duxi. Si quis aliter emendare cupit, quod libuerit, faciat. Poſt voces, *cum eſſet omnium dominus, a Johanne*, additur in codice, *qui major in natis mulierum:* ſed manifeſtum gloſſema, quod reſpicit ad verſiculum 43 capitis V Matthæi, jure, meritoque ſuſtuli.

208 Arbitror, Hilarium reſpicere ad locum illum, quem in epiſtolæ ipſius calce notavi, ſcilicet ad verſiculum II epiſtolæ Judæ Apoſtoli. Nimirum hæc ſcribit Judas: *his qui ſunt in Deo Patre, dilectis, & Chriſto Jeſu conſervatis, & vocatis, miſericordia vobis, & pax, & charitas adimpleatur.* Neque enim ad Paulum referas neceſſe eſt locum hunc; nam voces hæ, *alio item loco*, commode deſignant locum alium Scripturæ: neque cogimur, ut locum alium Pauli indicari putemus. Porro Chriſtus *miſericordia, et pax, et charitas*, ſeu *dilectio* noſtra dici poteſt, tum quia harum auctor eſt, & origo, tum quia gratia ſua has in nobis efficit. Suſpicor etiam, aliter olim in aliquibus codicibus fuiſſe lectum, & expreſſe dictum: *in Chriſto Jeſu, qui nobis miſericordia eſt, pax, et charitas*, ſeu *dilectio*. Si locum alium indicatum vis ab Hilario, ego quidem minime obſiſtam, dummodo probabilem indices.

209 Eccleſiaſtici Scriptores non modo dilectionem ipſam *agapen* vocant,

(*) Pſ. xxxi. 10. (*a*) II. Petr. 1. 4. (*b*) Jaco. iv. 8. (*c*) Legitur quidem in codice *virtutibus*, ſed vox *certaminibus* ad id, de quo agimus, ſignificandum aptior eſſe videtur. (*d*) *glorioſi Dei teſtes.*

verum etiam illius fructus (ut ita dicam), & opera ex caritate provenientia *agapes* appellant. Hinc Auguſtinus (*a*): *agapes noſtræ*, inquit, *pauperes paſcunt*, *ſive frugibus*, *ſive carnibus*. Si quis multa hac de re noſſe cupit, eos Scriptores conſulat, quos allegat Ducangius (*b*).

210 Vulgata hic habet *caritas*. Sed Hilarius vetuſtam aliam ſecutus interpretationem, legit *dilectio*, quam proxime poſt diſtinguit a *caritate*.

211 Porro ex ſuperioribus duabus definitionibus conſtat, Hilario judice, dilectionem a caritate diſtingui. Is porro qui vere diligit Deum, virtutes reliquas habet, & præcepta omnia obſervat: Quis enim illius præcepta non obſervet, quem vere amat? Patres ſi afferam, atque adeo ipſa Scripturarum loca id confirmantia, infinitus propemodum ero: quippe tam Scripturæ, quam Patres ſæpiſſime id ipſum docent, quod hic Hilarius, qui dum hæc ait: *Caritas eſt conſummatio omnium mandatorum*, videtur reſpicere ad locum illum epiſtolæ Pauli ad Romanos (*c*), qui in Vulgata ſic ſe habet: *Plenitudo ergo legis eſt dilectio*.

212 Simillima ſunt Hilarii monitis ea, quæ docet Gregorius Magnus (*d*), cujus verba adducere hic placet. *Cum cuncta ſacra eloquia plena ſint Dominicis præceptis, quid eſt, quod de ſola dilectione, quaſi de ſingulari mandato, Dominus dicit: Hoc eſt præceptum meum, ut diligatis invicem? niſi quia omne mandatum de ſola dilectione eſt: et omnia unum præceptum ſunt: quia quidquid præcipitur, in ſola charitate ſolidatur. Ut enim multi arboris rami ex una radice prodeunt, ſic multæ virtutes ex una charitate generantur. Nec habet aliquid viriditatis ramus boni operis, ſi non manet in radice charitatis.*

213 Inter veteres querelas, quas adverſus Hilarium effudit Eraſmus, non poſtrema hæc fuit, Hilarium magna contentione defendere, nos quoque cum Patre, & Filio unum eſſe natura. Auxiſſet ſane querelas ſuas rigidus ille Criticus, ſi epiſtolam hanc habuiſſet in manibus, in qua ſcilicet *Deus*, *et Dei Filius* ſine ulla limitatione appellatur quiſquis caritatem habet. Præproperam tamen, atque injurioſam adverſus Hilarium Eraſmi cenſuram refellit egregius Pater Couſtantius, cui debemus Hilarii editionem, quem rogo conſulas (*e*). Illud ſane conſtat, quemlibet noſtrum, caritate ſupernaturali ornatum, dici utcumque poſſe *Deum*. Nonne Chriſtus ipſe hominibus pietate præſtantibus tribui poſſe docuit ſublimem hunc titulum, cum ad refellendos Judæos, quibus diſplicebat, quod ſe *Deum*, & *Dei Filium* appellaret, hæc repoſuit (*f*): *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra, quia ego dixi: dii eſtis?* (Quæ quidem verba deſumta ſunt ex Pſalmi 81 verſiculo 6: qui ſic ſe habet: *Ego dixi: dii eſtis, et filii Excelſi omnes*): quaſi diceret: Cur vos me reprehenditis, quod me Deum, Deique filium appellem, quandoquidem hominibus rectis communis jam pridem factus eſt titulus iſte? Nonne etiam Petrus homines eos, qui in adoptionem filiorum Dei per caritatem aſſumerentur, *divinæ conſortes naturæ effici* dixit (*g*)? Et en cur non modo Hilarius, ſed & Patres alii Deum, aut certe Dei filium, aut divinum eum appellarent, qui caritate imbueretur. Audi, obſecro, quid tradat Ambroſius (*h*): *Verbum caro factum eſt, ut caro fieret Deus*. Audi pariter, quid Auguſtinus ſcribat (*i*): *Talis eſt quiſque, qualis ejus dilectio eſt. Terram diligis? terra eris. Deum diligis? quid dicam, Deus eris?* Non

(*a*) lib. xx contra Fauſtum cap. 20. Vide etiam cap. 4 ejuſdem libri. (*b*) in *Gloſſario mediæ, & infimæ latinitatis*, ad vocem *agape*. (*c*) cap. XIII. verſ. 10. (*d*) Homilia 27 in Evangel. n. 1. (*e*) in præfatione præpoſita Operibus Hilarii n. 76, & ſubſeq. pag. XXV tomi 1. (*f*) Joan. X. 34. (*g*) II. Petr. 1. 4. (*h*) lib. 1 de Virginibus cap. 3. alias n. 11. (*i*) In epiſto. 1. Joan. tractat. 2. n. 14, ideſt poſtremo.

Digitized by Google

Non audeo dicere ex me. Scripturas audiamus: Ego dixi, dii eſtis, et filii Altiſſimi omnes. Si ergo vultis eſſe Dii, et filii Altiſſimi, nolite diligere mundum, nec ea quæ ſunt in mundo. Si quis affinia in Bernardi ſcriptis reperire cupit, adeat ea loca, quæ ad paginæ calcem adnoto (*a*).

214 Sexcenti ſunt Scripturarum loci, quibus docemur nos diligi a Deo, cujus proinde ſimiles efficimur, ſi eum amamus, nullo ſcilicet timore permoti, ſicut & nos ab eo nullo timore ad nos diligendos permoto diligimur. Quamquam hæc ſimilitudo poteſt etiam ad eum modum explicari, quem expoſuit Auguſtinus nuper allegatus. Quin etiam per anticipationem dici poteſt, nos ſimiles eſſe Deo, quatenus ſimiles ei erimus in beatitudine, cujus *ſemen* dicitur *gratia* a Theologis.

215 Vereor, ne poſt illa verba: *nunquid fidit? Non*, aliqua verba deſint, quibus ſcilicet in noſtro codice omiſſis objectio antea propoſita diſſolvatur. Tamen perſiſtere adhuc poſſunt ſine ulla intercapedine Hilarii verba. Etenim caritas *expreſſe* non ſperat, *expreſſe* non fidit (nam certe aliqua ratione ſperare, & credere docet Apoſtolus Paulus (*b*): *caritas*, inquiens, *omnia credit, omnia ſperat*), nec ullo timet modo, ſi de timore, quem *ſervilem* Theologi appellant, ſermo ſit; tametſi eo timore timeat, qui timor *filialis*, aut *reverentialis* a Theologis appellatur. Profecto in cœlis caritas perſtat, & Deum amamus, nec tamen credimus, aut ſperamus. Multa hoc ſuper argumento tradunt Theologi, atque interpretes Scripturarum, ad ea præſertim Pauli verba (*c*): *Caritas nunquam excidit*. Et ad alia (*d*): *Evacuabitur quod ex parte eſt etc.* Hos conſule.

216 In eo epiſtolæ ad Romanos loco, quem hic allegat Hilarius, deſunt verba: *cum dilexiſſet mundum* (Deus): deeſt quoque epitheton *unicum*, quod quidem epitheton tribuitur *filio*. Ea porro, quæ hic deſunt, deſumpta ſunt ex loco illo Evangelii Joannis (*e*): *Sic enim Deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret*. An id referendum in Hilarium ipſum, qui hæc, quæ allegat, a Paulo tradi putavit? An potius hæc a Paulo tradi ait, quia majorem horum partem tradit? An referendum id eſt in codicem, quo uſus eſt, in quo ſcilicet ea ſcripta erant, quæ ipſe allegat? An in amanuenſem, qui ex duobus Scripturæ locis ab Hilario allegatis unum conflavit? Judicaverit Lector.

217 Ubi ego poſui: *Ergo qui hanc veluti ſpeciem* &c., codex habet: *ergo qui hanc veluti ſpem*, &c. At poſt verbum *veluti* aliqua vox eſſe deberet, quæ, niſi fallor, caritatem reliquis virtutibus præſtantiorem denotaret. Porro vox illa *veluti* hyperbolem aliquam innuit, qua Hilarius in extollenda caritatis excellentia uſus ſit, & quam lenivit præpoſito adverbio *veluti*, quod ſæpe imminuendi vim habet. *Speciei* nomine virtutem indicari quis neget, poſtquam hæc ab eo ſcripta noverit: *Et quamvis omnes, quas ſupra tractavimus, ſpecies* (ideſt virtutes): Et infra: *decet jam finem ſpecierum* &c. Verba illa, *Deus dilectio eſt*, perſpicue oſtendunt, *dilectionem* hic pro caritate accipi: ſed non eo ſenſu, quo eam paulo ante expoſuerat Hilarius: quis enim dicat, Deum *conſummare* (ideſt implere) *mandata omnia?* An Deo mandatum imponi poteſt, quod ipſe adimpleat? De Deo porro non licere multum diſputare, ſed obſequio potius illa eſſe excipienda, quæ fides de ipſo tradit, ea docent, quæ Deum *ineffabilem*, & *inmveſtigabilem* tradunt, expreſſiſſima ſane, & plurima

tum

(*a*) Serm. VIII in Canti. n. 9. *Ipſa ipſa paterno ſe diligi præſumat affectu &c.* Serm. 46 pariter in cantic. n. 4. *Nam quod ait noſter, & noſtrarum &c.* Et ſerm. 71 itidem in Cantic. n. 10. (*b*) I. Corin. 13. 7. (*c*) I. Corinth. XIII. 8. (*d*) I. Corin. XIII. 10.
(*e*) cap. III. verſ. 16.

tum Scripturarum, tum Patrum monita. Vide n. 33, & ſubſequentes.

218 Aliqua profecto in hac ſententia deſunt, pauca illa tamen. Si conjecturis fidimus, ſic ſupplere quæ deſunt, poſſumus: *& alienum a temeritate. Id ipſum de dilectione ſentiendum: tanta enim de ipſa* (ideſt de dilectione), *quanta de Deo, cognitio eſt, quoniam Deus dilectio eſt*. Si vis loco vocum iſtarum, *& alienum*, legendum eſſe, *id ipſum*, per me quidem licebit.

219 An hic innuit Hilarius, quod olim præcepit Apoſtolus Paulus iis verbis (a): *Quod ſi nos met ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur?* An potius celebratiſſimum illud veterum Philoſophorum adagium: *Noſce te ipſum*, a Patribus ipſis ſæpe laudatum? Judicium alienum eſto.

220 Ideſt: convenit (ſeu æquum reor) virtutum tractationem in plenitudine dilectionis, & omnium rerum bonarum deſinere. Hanc plenitudinem dilectionis, atque adeo rerum omnium in Deo eſſe, antea dixerat.

221 Verba iſta: *aut ſi quid prætermiſſum eſt, in mundi plenitudine, videatur eſſe concluſum*, obſcuriſſima, meo quidem judicio, ſunt. An error aliquis in vocem illam *mundi* irrepſit, ita ut aliud quodpiam ſubſtitui debeat? Sed quid ſubſtitui debeat, ego quidem ignoro. An retenta voce illa *mundi*, ad Verbum Divinum omnium conditorem hęc verba referes? adeo ut verborum iſtorum hic ſenſus ſit: Si quid forte in rerum enumeratione omiſimus, illud expreſſe non commemorantes, omnino tamen non eſt omiſſum: Siquidem cum dixerimus, omnia a Deo fuiſſe condita, hæc ipſa, quæ a nobis prætermiſſa putabuntur, minime omiſſa ſunt. Sed quanto intervallo diſtant hæc, quæ nunc dicit, ab iis quæ antea de Deo, de Verbo, & mundi creatione dixerat? & tamen continuatum, conjunctumque ſenſum ubique retinere videtur Hilarius. An deſunt aliqua, quibus ab amanuenſi omiſſis interruptus apparet ſenſus? In tanta rerum obſcuritate, id quod magis probabile duxerit, eligat Lector. Quod attinet ad rationem præſtitam fidei, & æmulos, quorum hic meminit, recole, quæ numero poſtremo capitis II præfationis diximus.

222 Obſcura ſunt quoque verba illa: *Et magis myſterium ſumant* (æmuli ſcilicet fidei meæ). An legendum eſt potius, *momentum* (ideſt occaſionem) *ſumant?* an aliud aliquid occaſioni affine? Quod ſi omnino vocem *myſterium* retinere vis, ſic explicare (mea quidem opinione) hæc poſſumus: Ipſi quoque fidei meæ æmuli confeſſionem excipiant meam, fateanturque me plane cum eccleſia convenire, & jam denique rationem noverint, ob quam in libris meis nonnulla obſcurius tradidi, involucro quodam ea obtegens: ne ſcilicet infirmiores offenderem. Jam enim cum ſenſa mea explicandi facultas ſe obtulit, ea plane explicavi. Vel, ſi vis, *myſterii* nomine *formulam fidei* intellige, & tum dic, optare Hilarium, ut æmuli fidei ſuæ *myſterium* ſumant, ideſt eandem *fidei formulam*, in qua tum ipſe, tum iidem æmuli plane conveniant; quæ quidem fidei formula apertiſſime declaret, orthodoxe credere Hilarium: *proderit* autem & *inimicis*, *& credentibus*, quatenus omnes in unam, eandemque apertiſſime myſteria Religionis noſtræ declarantem formulam convenient.

Expliciunt Annotationes in Hilarii Epiſtolam.

DIS-

(a) I. Corin. XI. 31.

Digitized by Google

DISSERTATIO PRIMA

AD HÆC EPISTOLÆ HILARII VERBA (*a*):

Ut etiam quod propter nos poſtmodum fuerit fabricatum.

Num hominis cauſa ſenſibilia omnia, a Moyſe deſcripta, condita ſint.

1 ADnotationibus, quas Hilarii Epiſtolæ adjeci, nunc demum diſſertationes adjungo, quibus ſcilicet nonnulla quæſtionum capita pertractantur, quæ brevibus illis monitis, quæ adnotationes expoſcunt, comprehendi nequeunt. In prima porro diſſertatione explanabo verba illa: *Ut etiam quod propter nos poſtmodum fuerit fabricatum;* & inquiram, num (quod verba illa indicant) *hominis cauſa ſenſibilia omnia a Moyſe deſcripta, condita ſint.*

2 Vetuſtiſſima hæc quæſtio eſt, quæque Græcos inter philoſophos quoque agitata fuit. Stoici ſcilicet *omnia noſtri cauſa feciſſe Deum* aſſerebant (*b*), obſiſtentibus Epicureis, & Academicis; ac primis quidem, quia Dei erga nos providentiam irridebant, Academicis vero, quia id minus certum eſſe putabant, quam dicerent Stoici.

Horum tamen opinio & aliis Philoſophis placuit, veluti Ariſtoteli (*c*) monenti, *hominem eſſe finem, propter quem reliqua omnia in natura ſunt facta:* vetuſtis quoque Hebræorum doctoribus, & Patribus arriſit. Ex vetuſtis Hebræorum doctoribus Philonem ſeligo; quippe in libro, quem *de mundi opificio* inſcripſit, hæc ait (*d*): *Quæret hic aliquis cauſſam, cur ultimum operum ſit homo in mundi creatione? Nam poſt omnia eum conditor ac Pater fecit, ut docent ſacræ litteræ. Qui legem rimantur profundius, eamque quam maxime fieri poteſt excutiunt ſumma diligentia, dicunt, quod poſtquam Deus hominem in ſuam cognationem admiſit ratione donatum dono longe optimo, ne cetera quidem ei invidit: ſed ut animali familiariſſimo amiciſſimoque, omnia quæ mundo continentur, præparavit, volens, ut recens creatus nulla re careret, quæ ad vitam, atque adeo bene vivendum conferat. Quorum alterum præſtat copia ubertaſque rerum ad fruendum paratarum: alterum contemplatio cæleſtium, qua quidem perculſa mens amorem ac deſiderium ſcientiæ rerum hujuſmodi concipit.*

3 Eam, de qua agimus, Chriſtianis omnibus inhæſiſſe opinionem, ex eo patet, quod Celſus eam ob rem Chriſtianos irrideat, redarguatque (*e*). *Addit Celſus* (inquit Origenes) *nos dicere: Omnia nobis ſervire juſſa ſunt.* Nec tamen id negat ipſe Origenes Celſum

(*a*) cap. III. pag. 39. (*b*) Lactant. *de divina præmio* (qui quidem liber ſeptimus eſt *Inſtit.*) cap. 7. (*c*) lib. II Phyſic. cap. 2. Et lib. 1. Metaph. cap. 2. Et Polit. cap. V.
(*d*) interprete Gelenio, pag. 25 edit. Lugd. anni 1561. (*e*) Contra Celſum lib. IV. n. 20. pag. 523 Tomi 1 editionis Caroli de la Rue.

Digitized by Google

ſum refutans, ſed tantum ait, fortaſſe id minime verum eſſe (& ſane ſi *rigoroſe* loquimur, angeli nobis, & cœli minime inſerviunt; ſaxa quoque, & metalla, & inanima quævis nobis non inſerviunt, tametſi iis utamur, & noſtri cauſa ſint condita). Addit, id ipſum, quod in Chriſtianis Celſus redarguit, a Græcis fuiſſe traditum, nec tamen eam ob rem fuiſſe reprehenſos. Perperam itaque id in Chriſtianis condemnari a Celſo. Sed præſtat ipſa Origenis verba, prout in editione doctiſſimi Caroli de la Rue latinitate donata ſunt, allegare. „ Addit Celſus nos „ dicere: *Omnia nobis ſervire juſſa ſunt.* „ Fortaſſe neminem e noſtris ſapientibus „ talia dicere audivit... Deinde cum „ Græci dicunt (*a*):

Sol, nox, uterque ſerviunt mortalibus, „ dictum laudant, & commentariis illu„ſtrant. Idem nos ſive non dicamus, ſive a„ liis verbis dicamus, perinde eſt Celſo, „ ut nobis intendat litem. „ Notatur autem in margine, *Græcorum* nomine deſignatum fuiſſe ab Origene Euripidem, cujus in Phœniſſis verſiculus ille eſt. In calce porro paginæ affertur integer Euripidis locus tum Græce, tum latinitate donatus: ſic porro ille ſe habet.

> *Obſcuramque palpebram noctis, & lumen ſolis,*
> *Ut æqualiter circuirent annuum circulum* (conſtituit).
> *Et neutrum horum duorum victum invidet alteri.*
> *Atque ita ſol, & nox ſerviunt hominibus, &c.*

4 Origenem ſubſequatur Auguſtinus. Etenim propoſita ſibi ad ſolvendum hac quæſtione (*b*): *utrum omnia in utilitatem hominum creata ſint*, affirmantem partem amplectitur, & ad hunc modum quæſtionem concludit: *Omnia ergo, quæ facta ſunt, in uſum hominis facta ſunt, quia omnibus utitur judicando ratio, quę homini data eſt.*

5 Lactantium Auguſtino adjungamus; quippe hæc ait (*c*): *Omnia quibus conſtat, quæque generat ex ſe Mundus, ad utilitatem ſolius hominis accommodata ſunt. Homo utitur igne ad uſum calefaciendi, & luminis, & coquendorum ciborum, ferrique fabricandi. Utitur fontibus ad potum, & ad lavacra: fluminibus ad agros irrigandos, terminandaſque regiones. Utitur terra ad percipiendam frugum varietatem, collibus ad conſerenda vineta, montibus ad uſum arborum, atque lignorum, planis ad ſegetem. Utitur mari non ſolum ad commercia, & copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad ubertatem omnis generis piſcium. Quod ſi his elementis utitur, quibus eſt proximus, non eſt dubium, quin & cœlo; quoniam & cœleſtium rerum officia ad fertilitatem terræ, ex qua vivimus, temperata ſunt.*

Subinde vero poſtquam varios tum cæleſtium, tum aereorum meteororum uſus deſcripſit, hæc demum ſubjicit. *Num etiam mutorum cauſa Deus laboravit? Minime: quia ſunt rationis expertia. Sed intelligimus & ipſa eodem modo ad uſum hominis a Deo facta, partim ad cibos, partim ad veſtitum, partim ad operis auxilia, ut clarum ſit, divinam providentiam rerum, & copiarum abundantia hominum vitam inſtruere, atque ornare voluiſſe, ob eamque cauſam & aerem volucribus, & mare piſcibus, & terram quadrupedibus implevit.* Et rurſus (*d*): *ſequitur, ut oſtendam, cur fecerit hominem ipſum Deus, ſicut mundum propter hominem machinatus eſt, ita ipſum propter ſe, tanquam divini templi antiſtitem, ſpectatorem operum, rerumque cœleſtium.*

6 Sed omittendus non eſt Gregorius; quippe expreſſiſſime id de quo agimus, tradit (*e*). *Ille videlicet* (inquit) *docetur, propter quem in terra cuncta creata ſunt* (de homine porro ille loqui-

(*a*) Eurip. in Phœniſs. (*b*) libro *de diverſis quæſtionibus octoginta tribus*, quæſt. xxx.
(*c*) De ira Dei cap. xiii. (*d*) cap. 14. (*e*) hom. 29. in Euange, n. 2.

Digitized by Google

loquitur). Adde, ſi vis, Bernardum (*a*), & ſcriptorem libelli, qui *inſtructio ſacerdotum* inſcriptus eſt, extatque inter Bernardi opera (*b*).

7 Et id ſane quod hi tradunt, valde probabilis ratio nobis perſuadere videtur. Etenim & præſtantiſſima creaturarum omnium eſſe videtur homo, cui merito cuncta inſerviunt, ut ſubſequenti diſſertatione haud indiligenter oſtendam; & nihil indicare ex iis, quæ facta ſunt, quiſquam poterit, quod homini utile aliqua ratione non ſit.

8 Novi equidem, hæc in dubium vocari ab Academicis, irriderique ab Epicureis. Sed immerito utrumque fieri is fatebitur, qui eorum expenderit argumenta: quæ propterea audiamus oportet. Sic porro ii diſputant. An ſi hominis cauſa reliqua eſſent condita, omnium animantium miſerrimum hominem natura effeciſſet? Porro effecit miſerrimum, idque adeo, ut palam conſtet deſpectum prorſus fuiſſe a Deo, ſive, ut veteres dicere conſueverant, a natura. Sed præſtat hanc ipſam, qualiſcunque ea ſit, argumentationem iis ipſis proponere verbis, quibus veteres propoſuere. Lucretii ſane notiſſima ſunt illa carmina (*c*), quibus quam ſæva adverſus hominem natura fuerit, docet.

> *Tum porro puer, ut ſævis projectus ab undis*
> *Navita, nudus humi jacet, infans, indigus omni*
> *Vitali* (*d*) *auxilio, cum primum in luminis oras*
> *Nixibus ex alvo matris natura profudit;*
> *Vagituque locum lugubri complet, ut æquum eſt,*
> *Cui tantum in vita reſtet tranſire malorum.*

9 Sed & id ipſum copioſius Plinius hæc ſcribens (*e*): *Hominis cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura, magna, & ſæva mercede contra tanta ſua munera: ut non ſit ſatis æſtimare, parens melior homini, an triſtior noverca fuerit. Ante omnia unum animantium cunctorum, aliena alienis velat opibus: ceteris varie tegumenta tribuit, teſtas, cortices, coria, ſpinas, villos, ſetas, pilos, plumam, pennas, ſquammas, vellera. Truncos etiam, arboreſque cortice interdum gemino a frigoribus, & calore tutata eſt. Hominem tantum nudum, & in nuda humo, natali die abjicit ad vagitus ſtatim, & ploratum; nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, & has protinus vitæ principio. At hercule riſus præcox illi ac celerrimus, ante quadrageſimum diem nulli datur. Ab hoc lucis rudimento, quæ ne feras quidem inter nos genitas vincula excipiunt, & omnium membrorum nexus; atque infeliciter natum jacet, manibus, pedibuſque devinctis flens animal ceteris imperaturum: & a ſuppliciis vitam auſpicatur unam tantum ob culpam, quia natum eſt. Heu dementiam ab iis initiis exiſtimantium ad ſuperbiam ſe genitos!* Tum alia multa proſequitur, quibus quidem apertiſſime oſtendit, aut deteriorem animantibus cunctis hominem eſſe, aut certe iis æqualem, ideoque eum, cujus cauſa reliqua non ſint condita.

10 Et ſane reliquas res homini minime inſervire & idem Plinius, & philoſophi alii palam evincunt. Ut a ſtellis, cœliſque, eorumque motibus, ac converſionibus exordiamur, hæc de iis pronunciat Plinius (*f*): *Non tanta cœlo ſocietas nobiſcum eſt, ut noſtro fato mortalis ſit ille quoque ſiderum fulgor*. Et eodem fine Seneca (*g*): *Nihil horum, quę nobis nocent, proſuntque, ad nos proprie dirigitur: non enim nos cauſa mundo ſumus hyemem, æſtatemque referendi. Suas iſta leges habent, quibus divina exercentur. Nimis nos ſuſpicimus, ſi digni*

R

(*a*) Serm. I de diverſ. n. 6. (*b*) extat pag. 583 Tomi III editionis Venet. Mab. an. 1717.
(*c*) lib. V. verſ. 223, & ſeqq. (*d*) alii *Vitai*. (*e*) lib. VII in præfat. (*f*) lib. II cap. 8.
(*g*) lib. II de ira cap. 27.

Digitized by Google

gni nobis videmur, propter quos tanta moveantur.

Et profecto quis ſibi perſuadeat, immenſa cœlorum, atque ætheris ſpatia hominis cauſſa fuiſſe condita? cum tantum abſit, ut iis utatur, ut ne ea noſcat quidem. Quis enim, ut de uſu aliqua dicamus, quis, inquam, utitur ſtellis, & immenſis iis, quæ diximus, cœli ſpatiis? Cui prodeſt Sirius Canis, aliaque ſidera? Ii certe longe melius videntur ſapere, qui alium prorſus in finem, quem nos ignorare fatendum eſt, ea eſſe creata cenſent, quam hominis cauſa. Quid? quod ii minime errare videntur, qui cœleſtes orbes incolis vacuos eſſe non putant: & horum cauſa aſſeverant, eoſdem orbes eſſe creatos. An hæc irrides, & Fontenellio per jocum hæc proponenti tribuis? Lege, obſecro, quæ hoc de argumento non per jocum, ſed ſerio diſſerit Clariſs. Derham, & palam videbis, valde probabilem eorum eſſe ſententiam, qui hęc tradunt (*a*).

11 An vero, ut de argumento altero, deducto ſcilicet ex noſtra inſcitia, etiam dicam, an, inquam, ſi noſtri cauſa eſſent conditi cœli, cœleſteſque orbes, tanta eorum ignorantia nos laborare permiſiſſet Deus, ut (quod jam diximus) ne eorum quidem aut magnitudinem, aut diſtantiam, aut numerum noſſe poſſimus? *Numera ſtellas, ſi potes*, dixit olim Deus Abrahamum alloquens (*b*), veluti rem, quæ fieri non poſſet omnino, illi proponens. Ad hęc, ſibi reſervatum prorſus aſtrorum uſum, notitiamque, atque adeo numerum ipſum, haud obſcure Job, & David indicant, cum hæc de Deo ajunt (*c*): *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas, & interiora auſtri. Qui facit magna, & incomprehenſibilia, & mirabilia, quorum non eſt numerus.* Et (*d*): *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Atque ex ea re divinæ ſapientiæ magnitudinem eruit David hæc ſubjiciens: *Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus: & ſapientiæ ejus non eſt numerus.* Quin & Deus ipſe hiſce verbis Jobum alloquitur (*e*): *Indica mihi, ſi noſti omnia: in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus ſit.... per quam viam ſpargitur lux, dividitur æſtus ſuper terram* (*f*). *Nunquid noſti ordinem cœli, & pones rationem ejus in terra* (*g*)?

12 Sed cœlos omittamus, &, ſi vis, ad ea ipſa deſcendamus, quæ obvia habemus, noſtriſque oculis ſæpe ſubjecta. An animalia noſtri cauſſa dicemus condita, cum ea noxia plerumque experiamur, aut certe inutilia? An non noxias experimur feras, immo minutiſſimas eas animantes, quæ æſtivo præſertim tempore noſtra corpora infeſtant, magnamque nobis moleſtiam faceſſunt? Notiſſimi ſunt illi Lucretii verſus (*h*):

> *Præterea genus horriferum naturæ ferarum,*
> *Humano generi infeſtum, terraque, marique*
> *Cur alit, atque auget?*

atque in eamdem ſententiam hæc apud Tullium legimus (*i*): *Cur Deus omnia noſtri cauſa cum faceret (ſic enim vultis) tantam vim natricum, viperarumque fecerit? Cur mortifera perniciosa tam multa terra, marique diſperſerit?* Ad quem Tullii locum reſpicere videtur Lactantius, cum hæc ſcribit (*k*): *Sed Academici contra Stoicos differentes ſolent quęrere, cur ſi Deus omnia hominum cauſa fecerit, etiam multa contraria, & inimica, & peſtifera nobis reperiantur tam in mari, quam in terra. Quod Stoici veritatem non reſpicientes ineptiſſime repulerunt. Ajunt enim multa eſſe in*

(*a*) Theolog. Aſtronom. præfat. pag. 26, & 30 editionis Italicæ. (*b*) Gen. xv. 5.
(*c*) Job. ix. 9. (*d*) Pſal. 146. verſ. 4, & 5. (*e*) Job. cap. 38. verſ. 18, & 19.
(*f*) verſ. 24. (*g*) verſ. 33. (*h*) lib. v. verſ. 219. (*i*) lib. iv Academ. quæſt.
(*k*) in libro *De ira Dei* cap. xiii.

Digitized by Google

ſe in gignentibus, & in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas, ſed eam proceſſu temporis inveniri, ſicut jam plura prioribus ſeculis incognita neceſſitas, & uſus invenerit.

13 Vehementius hæc porro urget Theodoretus (a) explicans illa Scripturæ verba: *Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, & jumentis, atque univerſe terræ, & omnibus reptilibus repentibus ſuper terram. Animadvertendum eſt* (inquit) *quod ſilentio prætermiſſum eſt, non univerſa animalia propter hominem creata eſſe, ſed ea demum, quibus dominari dicitur, nempe piſces maris, volucres cœli, & pecora terræ: fortaſſe etiam & reptilia terræ, propter neceſſarium uſum pharmacorum, quæ ex iis conficiuntur: non tamen propter hominem cete illa grandia, & feræ terreſtres: alioquin cum data eſt homini hæc poteſtas, earum quoque nomina addita fuiſſent. Atqui non reperimus in Scriptura ſerpentium genus inter reptilia collocatum, ſed inter feras. Serpens enim, inquit, erat callidiſſimus omnium beſtiarum. Et in actis Apoſtolorum &c.... Non dominatur igitur homo cete illis grandibus, neque beſtiis, quæ fortaſſe ab initio non propter ipſum creata ſunt. Et ſimile quidpiam his, quæ deſcribuntur hic, ſub hominis eſſe dominio, in octavo dicitur pſalmo: Omnia ſubjeciſti ſub pedibus ejus &c.... Nam & hic cete, & feræ prætermiſſæ ſunt.* Quibus poſitis, mirum non eſt, ſi ad ſerpentium, ac ferarum aſpectum formidemus, fugamque capiamus. Oſtendit id ſcilicet, prævalere illas nobis, non illis nos.

14 Sed neque argumentum hoc diſſimulavit Bernardus, quippe hæc tradidit (b): *Sed adhuc multa, inquies, graviter inquietant, multa evidentius adverſantur: & miror, quomodo omnia data memores, quibus fere nulla famulantur ad votum. Servire nobis videntur aliqua, ſed cum labore noſtro; nec niſi prius ſervierimus eis. Jumenta ipſa, niſi fuerint a nobis nutrita, niſi domita, niſi fuerint pabulo ſuſtentata, non adjuvant. Terra ipſa, quæ debuerat nobis eſſe germanior, non ſine ſudore vultus noſtri panem nobis miniſtrat: immo & cum coluerimus eam, ſpinas, & tribulos germinat nobis. Et cetera omnia denique, ſi diligenter conſideremus, ſervitium a nobis magis exigunt, quam exhibent nobis: ut ea interim ſileam, quæ ſunt parata nocere, ut eſt ignis ad exurendum, aqua ad ſubmergendum, fera ad lacerandum. Et hæc quidem ita ſe habent.*

15 Sed minori fortaſſe numero noxia homini ſunt, quam ſint inutilia. Quod emolumentum, obſecro, dic, percipit homo ab innumero culicum, aliorumque exillimorum inſectorum exercitu, quo nos obſitos, æſtivo præſertim tempore, cernimus? Antiqua eſt hæc quidem, ſed tamen nondum diſſoluta difficultas, quam adverſus Stoicos interferunt vetuſti Academici. *Quæ tanta utilitas* (inquiebant illi) (c) *poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri?... An medicina in his aliqua latet, quæ ſi eſt, inveniretur aliquando?*

16 Sed beſtias, & animantes quaslibet omittamus. Quodnam emolumentum ex præruptis, atque inacceſſis, iiſque ſaxeis montibus homo percipit? Quodnam ab herbis, quas nec ipſe comedit, nec comedunt pariter beſtiæ? Hactenus qui ſecus ſentiunt.

17 Magnam porro habent, fateor, hęc, & affinia alia apud Veteres veriſimilitudinis ſpeciem; veritatem tamen minime habent. In eo quod primum ex Lucretio, & Plinio deſumptum eſt, leviſſimæ inſunt vires. Ac ſtatim notandum eſt, eam ipſam, quam nos aſſerimus, opinionem Plinio ipſi minime diſplicuiſſe, dum hæc ſcripſit (d): *Si-*

(a) quæſt. xx in Geneſim.
(b) Serm. 1 de diverſis num. 6.
(c) referente Lactantio in lib. *de ira Dei* cap. 13.
(d) in præfatione libri VII.

quidem cum omnia exſequi humanus nequeat animus, principium jure tribuetur homini, cujus cauſa videtur cuncta alia genuiſſe natura. Sed tamen quidquid ille ſenſerit, indubitata res eſt, ab iis, quæ ſubjicit, & antea objecta ſunt (*a*), minime ſententiam noſtram infirmari. Scilicet, niſi hominem natura feciſſet inermem, niſi quoque alienæ opis indigum conſtituiſſet; paratiorem illum feciſſet ad faciendam, quam ad repellendam injuriam: nec ea in puerulum parentum caritas exerceretur; qua quidem dum eximius parentum amor erga filios tam certis argumentis declaratur, filii erga parentes grati animi, amoris, atque obſequii vinculis arctiſſime devinciuntur. Ex qua ſane re, plurima, eaque præclariſſima humano generi commoda, atque emolumenta proveniunt. Ceterum ad abigendum frigus, & reliquas hujus generis moleſtias, neceſſe non eſt hominem pellibus amictum, aut pluma protectum enaſci (quibus ſane ea præſtantiſſima ſpecies deformaretur, qua ornatum hominem eſſe voluit ſupremus artifex), cum illum intellectu, ac ratione ditaverit, quibus profecto incommoda quævis arcere facile poteſt, ſibique commoda plurima comparare. Pulcre Lactantius (*b*): *Ubi autem ratio, & manus eſt, tam non eſt id neceſſarium, quam indumentum pilorum; adeo in ſuo quoque genere aptiſſime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius poſſet.*

18 Fletus, a quo vitæ exordium ſumere videtur homo, inutilis, atque adeo etiam noxii humoris naturalis quædam expreſſio eſt, quæque nullum vel leviſſimum habet incommodum. At fac habere. Nonne illud matris, nutriciſque cura tollitur? Quid? quod hominem ab innocentiæ, ideoque felicitatis ſummæ ſtatu, ac ſublimitate prolapſum, multorum Patrum judicio, fletus ille indicat, ideoque hominem monet, ut Deo de reparatione recepta gratias agat, & ad eum per preces ſuas, auxilii opiſque aſſequendæ cauſa, confugiat.

19 Vincula, quæ commemorat Plinius, homini non officiunt, ſed illum juvant, &, ut de emolumentis ceteris ex ea re provenientibus ſileam, corpus illius firmant roborantque, & quam illi Deus dignitatem tribuit, quum *os homini ſublime dedit, cœlumque tueri*, ut retineat ac ſervet, efficiunt: etenim ſi vinculis faſciiſque in pueritiæ exordiis (quibus ſcilicet erectum, rigidumque puerile corpuſculum detinetur) minime devinciretur, pedibus ipſe quoque homo reptaret, illique adimeretur eximia illa Boethii commendatio (*c*):

Unica gens hominum levat altius cacumen,
Atque levis recto ſtat corpore, deſpicitque
Terras.

20 At ad alteram objectionem nos convertamus oportet n. 10 propoſitam. Dicat porro quiſque quod libet: ego quidem facilius, & obſequentius credam Scripturæ, in qua nos docet Deus, quam hominibus, tametſi doctrina præſtantibus, qui ſecus ſentiant. Porro hæc in Scriptura legimus (*d*): *Dixit autem Deus: fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos: ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram &c.* Et alibi (*e*): *Qui fecit luminaria magna ... ſolem in poteſtatem diei... lunam, & ſtellas in poteſtatem noctis &c.* Et rurſus (*f*): *Ne forte elevatis oculis ad cœlum, videas ſolem, & lunam, & omnia aſtra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cœlo ſunt.* Si creavit in miniſterium, quæ ſub cœlo ſunt, noſtri ſane cauſa ea condidit.

21 Po-

(*a*) recole num. 9. (*b*) de *Opific.* cap. 7. (*c*) de conſol. 5. 5. 8. (*d*) Geneſ. I. 14, 15, 16, & 17. (*e*) Pſ. 135. verſ., 7, 8, 9. (*f*) Deut. IV. 19.

Digitized by Google

21 Poſtrema Plinii verba: *Non nos cauſa Mundo ſumus &c.*, nihil habent quod noſtræ ſententiæ officiat. Etenim in eo capite irridet, rejicitque vulgi ſententiam, quod quidem exiſtimabat, *ſidera ſingulis attributa nobis, clara divitibus, minora pauperibus, obſcura defectis, & pro ſorte cujuſque lucentia, & attributa mortalibus*. Horum ſcilicet a vero remotiſſimam opinionem his verbis ſtatim repellit: *quia nec cum ſuo quęque homine orta moriuntur, nec aliqui extingui decidua ſignificant*: tum illa ſubjicit, quæ ſunt objecta: *Non tanta cœli ſocietas nobiſcum eſt, ut noſtro fato mortalis ſit ille quoque ſiderum fulgor*. Quæ quidem monita quam præclara ſunt ad eam refutandam, quam perſtringit ille, ſententiam; tam inepta ſunt, ſi adverſus id, de quo agimus, adducantur.

22 Senecæ porro opinio tanto in pretio habenda non eſt, ut Lactantii, Auguſtini, atque adeo Scripturæ ipſius monitis præponatur.

23 Pleraque eorum, quæ immenſis cœlorum ſpatiis comprehenduntur, ignorari a nobis, haud invitus fateor. Sed quot nobis proſunt, immo etiam inſerviunt, quorum naturam, & numerum prorſus neſcimus? An aeris, an ignis, aliorumque, quibus quotidie utimur, naturam novimus, aut multitudinem? Deo credimus, cujus teſtimonio diſcimus, *omnia aſtra cœli* ab eo creata fuiſſe *in miniſterium cunctis gentibus, quę ſub cœlo ſunt*. Alios ob fines condita ea fuiſſe, minime nego; ſed neque affirmare id poſſumus, cum id prorſus lateat. Nec contemnendum ob finem ea erunt condita, ſi propterea condita erunt, ut ex eorum ſpecie exſurgamus ad divinam omnipotentiam agnoſcendam, ac commendandam, præſertim quum tam præſtantia eximiaque, atque immenſa, pene dixerim, corporà *in miniſterium noſtrum* eſſe voluerit.

24 Feras porro, atque immites beſtias, venenoſaſque, & animantes, & herbas condidit quidem Deus, non propterea tamen hęc hominis cauſa non condidit. Si hominem innocentia adhuc potitum inſpicis, hæc, & alia quævis, quantumvis peſſima fingas, minime nocere illi poterant (*a*). Si ab innocentia prolapſum; ad terrendum hominem, eumque admonendum ea poſuit, ne ab illius juſſionibus deficiat, qui *armavit creaturam ad ultionem inimicorum ſuorum* (*b*). Ea conſule Scripturarum loca, quæ in paginę calce noto (*c*). Quid? quod ipſa leonum feritas Divinam omnipotentiam mirum in modum non raro commendavit. Quid inuſitatius, ideoque quid ad divinam omnipotentiam celebrandam aptius eo portento, quod tum contigit, quum ne Danielem vorarent, *Deus concluſit ora leonum* (*d*), *nec nocuerunt ei* (Danieli), *& nulla læſio inventa eſt in eo, quia credidit Deo ſuo*. Et, ut in Daniele conſiſtam, quid admirabilius, ideoque quid ad Dei providentiam erga probos viros declarandam aptius eo, quod de eodem Daniele diſcimus? atque id quidem ipſis Scripturæ verbis referre libet (*e*). *Vidit ergo rex, quod irruerent in eum vehementer* (Babylonii), *& neceſſitate compulſus tradidit eis Danielem. Qui miſerunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus ſex. Porro in lacu erant leones ſeptem, & dabantur eis duo corpora quotidie, & duę oves, & tunc non data ſunt, ut devorarent Danielem....* (*f*) *Venit ergo rex die ſeptimo, ut lugeret Danielem, & venit ad lacum, & introſpexit, & ecce Daniel ſedens in medio leonum. Et exclamavit voce magna rex dicens: magnus es Domine Deus Danielis* (*g*)... *Paveant omnes habitantes in univerſa terra Deum*

(*a*) Vide obſecro quæ hoc ſuper argumento docet Auguſtinus lib. I de Geneſ. adverſus Manich. cap. 18. n. 20. (*b*) Sap. V. 18. (*c*) Levit. XXVI. 22. Deuteron. XXXII. 24. Et lib. IV. Reg. II. 24. (*d*) Daniel. VI. 27, & 22. (*e*) Daniel. XIV. 29. &c. (*f*) verſ. 39. (*g*) verſ. 41.

Digitized by Google

um Danielis, *quia ipſe Salvator*, *faciens ſigna*, *& mirabilia in terra*: *qui liberavit Danielem de lacu leonum*. An non etiam divinam omnipotentiam teſtificatus eſt leo ille, qui prophetæ, Dei juſſibus haud obſequenti, morſu necem intulit, illius tamen cadaver minime attigit (*a*)?

25 Quod porro tum contigit, id deinceps etiam haud raro eveniſſe novimus, id teſtificantibus Eccleſiaſticis monumentis; ex quibus diſcimus, impeditas fuiſſe aliquando feras, ne expoſitos eorum morſibus martyres tangerent (*b*), neve eorum cadavera vorarent (*c*).

26 Sed hæc, ſi vis, omittamus, conſiſtamuſque in exemplis iis, quæ quotidie conſpicimus. An non venenoſis ipſis animantibus utimur, earumque carnes, & venenum ipſum in medicinam vertimus? Quis neſcit nos urſorum, & reliquarum ferarum pellibus uti ad frigus abigendum, eaſque in noſtrum ipſum emolumentum convertere? Hæc ſane ſi ſerio attendamus, haud inviti fatebimur, quod ab initio poſitum eſt, corpora ſcilicet quævis, tametſi præſtantiſſima, tametſi interdum noxia, hominis cauſa fuiſſe condita.

27 Ea porro rationis vis, intelligentia, ac conſilium, quibus præditus homo a Deo eſt, ſi illum juvant, ut noxias ipſas animantes in utilitatem convertat ſuam, multo magis juvant, ut earum impetus, ac ferociam evitet, eludatque; aut ſi forte eludere non poteſt, & evitare, remedia illi, ac medicamina præſtet adverſus earum venena, ac morſus: ſic ut rariſſimi ſint, quos ferarum, ac ſerpentium morſibus interfectos conſpiciamus, atque inter hos ipſos multos reperies, qui feras ipſas, ac ſerpentes in perniciem ſuam temere irritarunt. Quis porro (ut Scripturæ verbis utar (*d*)) *miſerebitur omnibus*, *qui appropinquant beſtiis?*

28 Atque ad ea, quæ ex multitudine ferarum, ac ſerpentium a Deo conditorum objecta ſunt, vulgata quidem, ſed non improbanda reſponſio hęc eſt, quam, ſi vis, confirmare commode potes iis, quæ ex Theodoreti quæſtione XVIII in Geneſim deinceps adducemus.

29 Venio nunc ad ea Theodoreti verba, quæ ex quæſtione XX in Geneſim excerpſerunt, atque adverſus nos urſerunt. Fateor porro ſtatim, me cum hæc in veteribus editionibus legi, nonnihil fuiſſe commotum: adverſantur enim iſta non modo Patribus iis, quos allegavi, verum etiam Theodoreto ipſi, qui & in Commentariis in Epiſtolam II ad Corinthios, quæ Diſſertatione III afferam, & in ea ipſa, quam allegarunt, quæſtione xx in Geneſim (ſi vetuſtam Pici editionem ſequimur) id ipſum, quod nos tradidimus, docet, hæc ſcriptis prodens: *Si ergo qui non debet velare caput*, *imago Dei eſt*, *profecto quæ velatur*, *non eſt imago Dei*, *quamvis ejuſdem animæ ſit particeps*. *Quomodo ergo homo eſt imago Dei? ſecundum imperium & poteſtatem*. *Quod perhibere videtur etiam vox divina*, *quę dicit:* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. *Et modum ſubjungens ait:* Et dominetur piſcibus maris, & volatilibus cœli, & beſtiis terræ, *& reliqua*. *Quemadmodum enim Deus omnibus imperat*, *ſic homo iis*, *quæ ſunt ſuper terram*. *At quamobrem mulier non dominatur prædictis*, *ſed virum habet pro capite*, *quæ tamen reliqua ſub pote-*

(*a*) III. Reg. XIII. 24, 25. (*b*) Ignatius Martyr in Epiſtola ad Rom. n. 4. Euſeb. hiſt. lib. 8. cap. 7. Acta SS. Tarachi, Probi &c. n. x, apud Ruinart pag. 392 editionis Veronenſis. (*c*) Euſeb. *de Martyribus Palęſtina* cap. XI. (apud Ruinart n. 42. *quorum ſacroſancta cadavera &c.*) Acta S. Vincentii cap. x. (apud Ruinart edit. Veron. pag. 328). Atque id ipſum, quod in Actis, legitur etiam in Prudentii Hymno *de S. Vincentii Martyrio* inſcripto, ſtrophe 99, 100. &c. (*d*) Eccleſ. XII. 13.

Digitized by Google

poteſtate tenet: *vir autem non ſubjectus eſt mulieri?* Verum dubium omne depoſui, quum didici ex Sirmondo, cujus editionem poſtea conſului, veterem editionem eſſe corruptam. Etenim in Pręfatione idem Sirmondus monet, in codicem eum, quo uſus eſt Picus, ut quęſtiones has latinitate donaret, & præſertim in eam, de qua agimus, quæſtionem xx multa irrepſiſſe ex antiquis Catenis, quarum auctoritas, uti omnes norunt, non admodum gravis eſt. Addit permixtas fuiſſe in Pici editione cum ſententia Theodoreti eas ipſas, quas ille rejicit, Origenis nempe, Diodori, & Theodori. Adjicere etiam alias poterat, ideoque eam, de qua diſſerimus, cum hujus opinionis, ut mox dicam, nullum appareat in Sirmondi editione veſtigium. Atque ea quidem Sirmondi editio ſuper probatiſſimo Regio Codice elaborata eſt. Ubi vero Quęſtionem ipſam xx edit, nihil eorum tradit, quæ objecta ſunt, quæ propterea addititia eſſe conſtat. Ad hæc (ut reliqua etiam omittam), ea tradiderat Theodoretus quæſtione xviii in Geneſim, quæ uti mirum in modum ſententiam noſtram comprobant, ita manifeſto iis adverſantur, quæ objecta ſunt. An Theodoretum virum gravem, & apud veteres laudatiſſimum hic tam futilem cenſes, ut levi intervallo contraria proponat? Sed operę pretium reor ipſam, quam dixi, xviii Theodoreti quæſtionem *in Geneſim* Lectoris oculis ſubjicere, ut ex ea apertiſſime me vera propoſuiſſe dignoſcat. „ Interrogatio xviii. Ad quid Deus creavit beſtias, & reptilia? Pueri tum terriculamentis, tum etiam loris, & virgis indigent. Et per illa quidem ipſos terremus, per hæc autem erudimus; utraque vero facimus, honeſtatem omnem eis procurantes. Cum igitur Dominus Deus animadvertiſſet, nos ad ignaviam proclives, beſtias, & reptilia prius condidit, veluti lora quędam, & terriculamenta: ut per ea nos terrens ad ſe traheret, atque ejus auxilium imploraremus. At quemadmodum qui perfectam ætatem attigerunt, terriculamenea hujuſmodi, & lora contemnunt: ſic qui in virtute educati ſunt, beſtiarum incurſus minime formidant. Siquidem Adæ, prius quam peccaſſet, aſſiſtebant beſtiæ obſequium deferentes. Et rurſum, ipſum Noe ingredientem Arcam, leo, pardus, & reptilia atrociſſima quæque, ovium more ſequebantur. Et Danieli aderant leones, qui, alioqui famelici, accedere tamen ad eum non audebant, eo quod in illo ſpecimen quoddam divinam imaginem præ ſe ferens conſpicerent. Itidem vipera, quæ dentes injecerat in manum Apoſtoli, cum nihil peccati tenerum, aut molle in eo reperiſſet; mox reſiliit, & in ignem ſe conjecit, ſupplicium quodammodo de ſe ipſa ſumens, quod corpus ſibi nullatenus conveniens adorta eſſet. Nos autem ideo beſtias formidamus, quia virtute præditis moribus non ſumus. Et ob id Deus ſocordium etiam hominum curam agens, eas in remotiora loca relegavit, & iis nocturnum tempus ad eſcam quærendam largitus eſt. *In ipſa enim nocte*, ait, *pertranſibunt omnes beſtiæ ſilvæ*. Reptilibus vero antra terræ præbuit, ut in eis latentia humano generi non noceant. At ne beſtias, velut ab his prorſus illæſi, contemnamus, quaſi nobis minime nocere poſſint, nonnunquam duos aut tres e multis millibus vel a ſcorpionibus pungi, aut a ſerpentibus morderi permittit is, qui ſapienter res noſtras gubernat; ut nos veriti, ne quid ſimile patiamur, Deum creatorem in auxilium invocemus, obſecrantes ut illa omnium malorum depultrice providentia nos tueatur. Præterea & ad alia, beſtiæ non ſunt nobis inutiles. Nam ex eis Medici pharmaca non pauca componunt ad morbos propulſandos. Nemo igitur beſtiis per ſe conſideratis de creatore conqueratur, ſed utilitatem inveſtiget. Siquidem

ipſum

„ ipſum etiam corpus humanum quam„vis formoſum, temperatum, & varia „partium utilitate præditum, mucco „tamen, & ſputo, ac fœtido ſtercore, „quod excernit, non caret... Ad hunc „ergo modum & aliorum unumquod„que examinamus, non ipſum per ſe „conſiderantes, noxiumne ſit, an com„modum; ſed an aliquam univerſo uti„litatem conferat. Nam & feræ homi„nem reverentur propter attributam „illi ab initio in ipſas poteſtatem. In„terdum tamen illum velut divinæ le„gis prævaricatorem contemnunt, quem„admodum improbi ſervi deſpicere „illos ſolent, qui eos regere a Domi„nis juſſi ſunt, ſi eos viderint admiſ„ſis criminibus auctoritatem amiſiſſe.„ Et de Theodoreto hactenus. Cetera proſequamur.

30 Si interdum feræ, ſerpenteſque nos terrent, atque eos effugimus, id nec ubique, nec conſtanter fit, nec quum fit, oſtendit, re vera homines animalibus brutis feriſque inſervire: terrent enim nos etiam latrones, atque eos effugimus, nec propterea latronibus inſervire dicimur. Sed præſtat præclariſſimis Chryſoſtomi verbis rem totam exponere. „ Verum hic Gentiles (inquit „ ille (*a*)) in nos inſurgunt, & dicunt: „Compertum eſt, hoc non eſſe verum: „non enim dominamur feris, quemad„modum pollicitus eſt, ſed ipſæ nobis „potius. Imo non verum eſt quod hi „objiciunt. Nam mox ut apparuerit „homo, feræ fugam faciunt. Quod ſi „aliquando vel fame urgente, vel no„bis illas laceſſentibus, ab eis damnum „accipimus, hoc non fit ideo, quod il„lis in nos ſit imperium, ſed ob cul„pam noſtram. Nam cum latrones nos „invadunt, ſi non negligamus, ſed in „illos arma ſumamus, id non ideo „ſit, quod imperium in nos obtineant, „ſed quod noſtræ ſaluti proſpiciamus.„ Eadem ipſiſſimis fere verbis alibi repetit (*b*).

31 Eandem difficultatem evitat Auguſtinus, dum fatetur aliqua ex parte amiſiſſe nos dignitatem, qua facti ſumus ad imaginem Dei, quando amiſimus innocentiam; ita tamen nos amiſiſſe fatetur ea, quæ amiſimus, ut neget, prorſus amiſiſſe, contendatque perſeverare adhuc in homine poteſtatem in feras ipſas, & belluas, dum ipſas edomamus, nec tamen ab iis domari nos ſinimus. Sed præſtat ipſa Auguſtini monita audire (*c*). „ Aliquando etiam ſo„lent dicere (Manichæi): quomodo ac„cepit homo poteſtatem piſcium maris, „& volatilium cœli, & omnium peco„rum, & ferarum, cum videamus a „multis feris homines occidi, & a mul„tis volatilibus nobis noceri, quæ vo„lumus vel vitare, vel capere, & ple„rumque non poſſumus? Quomodo er„go in hæc accepimus poteſtatem? „Hic illis primo dicendum eſt, quod „multum errent, qui poſt peccatum „conſiderent hominem, cum in hujus „vitæ mortalitatem damnatus eſt, & „amiſit perfectionem illam, qua fa„ctus eſt ad imaginem Dei. Sed ſi „damnatio ejus tantum valet, ut tam „multis pecoribus imperet, quamvis e„nim a multis feris propter fragilita„tem corporis poſſit occidi, a nullis „tamen domari poteſt, cum ipſe tam „multas, & prope omnes domet.

32 Sed quoniam Bernardi auctoritate, non Theodoreti tantummodo, adverſus nos diſputarunt, audiant, obſecro, quomodo Bernardus ipſe iſtam, qualiſcunque ea eſt, difficultatem diſſolvat (*d*). „ Et hæc quidem ita ſe „ habent: ſed tamen non mentitur Apo-

(*a*) homi. IX Gene. n. 5.
(*b*) Serm. III in Geneſ. n. 5. pag. 66, Tom. IV editionis Montfauconii.
(*c*) lib. 1 de Geneſ. contra Manich. cap. 18. alias n. 29.
(*d*) n. 6 ſermonis 1 *de diverſis*.

Digitized by Google

„ Apoſtolus, etiam alio loco manife-
„ ſtius aſſeverans, ſcire ſe, *quoniam*
„ *diligentibus Deum omnia cooperan-*
„ *tur in bonum, his qui ſecundum*
„ *propoſitum vocati ſunt ſancti*. Ve-
„ runtamen ſolerter attende, quod non
„ ad libitum famulari, ſed cooperari
„ dicit ad bonum. Neque enim ad
„ voluntatem ſerviunt, ſed ad utilita-
„ tem; non ad voluptatem, ſed ad
„ ſalutem; non ad votum, ſed ad
„ commodum noſtrum. Uſque adeo ſi-
„ quidem in hunc modum omnia no-
„ bis cooperantur in bonum, ut inter
„ hæc omnia etiam ea, quæ nihil ſunt,
„ numerentur, moleſtia, morbus, &
„ ipſa mors etiam, & peccatum.

33 Perſtitimus hactenus in iis, quæ homini noxia creduntur. Quod ad ea attinet, quæ inutilia; difficultatem hanc prævenerunt, ac prorſus diſſolvere ſe poſſe ſperarunt Stoici, monentes magnam partem eorum, quæ homini inutilia vulgus cenſet, revera eſſe utiliſſima, tametſi eorum utilitas ſtatim non conſtet. Ajunt enim (ut verbis eorum, Lactantio referente (*a*), utar), *multa eſſe in gignentibus, & in numero animalium, quorum adbuc lateat utilitas, ſed eam proceſſu temporis inveniri; ſicut jam plura prioribus ſæculis incognita, neceſſitas, & uſus invenerit*.

34 Quamquam neceſſe non eſt, ut ad ſolutionem hanc, quæ ceteroqui valde probabilis eſt, confugiamus. Ea quippe, quæ homini inutilia dixerunt, utiliſſima eſſe novimus; atque, ut prætereamus utiliſſima declarari, quatenus iis aliquando utitur Deus, ut omnipotentiam ſuam, ac robuſtam manum oſtendat; qua de re conſule quæ liber Exodi copioſiſſime docet (*b*): ut id (inquam) prætereamus, an non minutiſſima inſecta homini utiliſſima ſunt, quandoquidem eorum & multitudine, & genere, ac varietate Divinus artifex ſe ſe prodit? Si quis ad ea quæ clariſſimi Redius (*c*), ac Valiſnerius, & deinceps multo copioſius Reaumurius *de inſectis* docuit, animum attenderit, manifeſto conſpiciet, utiliſſima ea eſſe homini, tum aliis quidem de cauſſis, tum præſertim quia divinam manum, potentiam, ac bonitatem in eorum creatione, ac diverſo vitæ inſtituto facile agnoſcet. An non etiam inſectis veſcuntur animantes eæ, quibus præſertim oblectatur, ac veſcitur homo?

35 Montes porro inacceſſos, ac ſaxeos utiliſſimos homini is docebit, qui metalli, ac marmoris fodinas in iis deliteſcentes noverit; is quoque qui receptacula nivium, atque aquarum, ex quibus fontes derivantur æſtivo præſertim tempore, in iiſdem inacceſſis, atque aſperrimis montibus ineſſe ſciverit. Conſule, ne cunctos excitem, hoc ſuper argumento Clariſſimum Valiſnerium (*d*).

36 Nonnullæ ſunt, fateor, herbæ, quibus non veſcitur homo. Nullæ ſunt tamen, quibus avis aliqua non veſcatur. Cornix ſane cicuta veſcitur, venefica nobis herba. Quis autem neſcit, aves hominum uſui inſervire? Ceterum iis, quibus non veſcitur homo, et raræ veſcuntur aves, idem homo utitur. Quod ſi alios ob fines inutiles putas, propterea tamen utiles erunt, quod ſeriem illam nobis manifeſtius ſub oculos ponant, quam aliquando memorant Ariſtoteles (*e*), & Tullius, & inculcavit deinceps Valiſnerius (*f*); & facile id quiſque deteget, ſi naturæ opera diligentius, accuratiuſque obſervabit.

(*a*) De ira Dei cap. 13. (*b*) Exod. VIII. 17. &c. 24. &c. (*c*) De' *Viventi ne' viventi*.
(*d*) *Origine delle Fontane*.
(*e*) lib. VIII de hiſtor. animal. cap. 1. *Sed adeo de inanimatis paulatim, ſenſimque ad animata natura tranſit, ut continuatione ipſa lateat eorum confinium, & medium utriuſque ſit extremum*. (*f*) Peculiari opuſculo ea de re edito.

Digitized by Google

DISSERTATIO ALTERA

AD VERBA ILLA CAPITIS V (*a*):

Dei Filius Deus artifex Patre jubente moderatus eſt. Item ad illa ejuſdem capitis (*b*): *Deus Pater juſſerat: Filius virtus ipſa ſine recraſtinatione imperium capeſſebat: nam cum juſſione & opus aſtabat*. Demum ad iſta (*c*): *& cum omnia juſſione Patris Sermone obſequente formata ſint*.

1 ANte Hilarium multi, alibi Hilarius ipſe, poſt Hilarium itidem multi aut ipſiſſima, aut certe affini aliqua locutione uſi ſunt, ſic ut diſplicere Lectori utique non poſſit Epiſtolæ noſtræ auctor, quod ea uſus ſit. Sed ne temere hæc dixiſſe videar, eorum loca hic ſubjicio, qui, uti dixi, aut ipſiſſima, aut certe affini aliqua locutione uſi ſunt. Porro ad tria capita eas locutiones revoco. Primum ſcilicet eos complectetur veteres Patres, qui expreſſiſſime ajunt, *juſſiſſe Patrem*. Secundum, *obediſſe Filium*. Tertium, *miniſterium* aliquod, qualecunque ſit illud, Patri præbuiſſe Filium: atque hæc quidem omnia, antequam carnem aſſumeret. His recenſitis ſubjiciemus poſtea, quid de harum, & affinium locutionum ſignificatione dicendum ſit.

2 Ad primum caput hæc pertinent. Irenæus (*d*) hæc litteris conſignata reliquit: *Factus, & plaſmatus homo ſecundum imaginem, & ſimilitudinem conſtituitur infecti Dei: Patre quidem bene ſentiente, & jubente: filio vero miniſtrante, & formante, Spiritu vero nutriente, & augente*.

3 Hippolytus quoque valde vetuſtus ſcriptor (*e*), *Dei jubentis*, & *Dei facientis* expreſſiſſimam mentionem facit.

4 Tertullianus ſimiliter (*f*): *Etſi* (inquiens) *ubique teneo unam ſubſtantiam in tribus cohærentibus, tamen alium dicam oportet ex neceſſitate ſenſus, eum qui jubet, & eum qui facit*.

5 Id ipſum traditur ab Origene; quippe is non modo *Deum jubentem*, & *Deum facientem* memorat (*g*), verum etiam hæc ipſa docet (*h*): „ Aſſerimus „enim, Patrem in creatione a Moyſe „deſcripta jubendo illi dixiſſe, *fiat lux*, „& *fiat firmamentum*, & quæcumque „Deus alia fieri imperavit: eidem illi „dixiſſe: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*: Ver„bum autem, ut juſſum illi fuerat, fe„ciſſe omnia, quæ illum Pater facere „juſſit. Atque hæc diximus non quaſi „conjectura ducti, ſed ipſiſmet Pro„phetarum teſtimoniis etiam apud Ju„dæos receptis nitimur, in quibus de „Deo, rebuſque ab illo conditis hæc „dicuntur conceptis verbis: *ipſe dixit*, „*& facta ſunt, ipſe mandavit, & creata ſunt*. Si enim Deus juſſit, & res „creatæ ſunt: quem juxta mentem pro„phetici ſpiritus putabimus tale Patris „im-

(*a*) pag. 40. num. 87. (*b*) pag. 41. num. 91. (*c*) cap. V. pag. 41 num. 97.
(*d*) lib. IV cap. olim 75, nunc 38. n. 3. (*e*) In libro contra Noet. (*f*) adverſus Praxeam cap. XII.
(*g*) Tom. II. in Joan. pag. 61 edit. Huetii. (*h*) Contra Celſum lib. II. n. 9. pag. 393 Tomi I. edit. P. Caroli de la Rue.

Digitized by Google

„ imperium exequi potuiſſe, præter eum, „ qui Verbum eſt, ut ita loquar, ani- „ matum, & Veritas?

6 Quid? quod ſex illi Epiſcopi, qui ad Paulum Samoſatenum, antequam in ordinem redigeretur, ſcripſerunt, inter cetera, quæ ad eum refellendum afferunt, hoc expreſſiſſime ajunt (*a*), *Filium in procreando Mundo paternam impleviſſe voluntatem*, *eique*, *ut id faceret*, *præcepiſſe Patrem*.

7 Hilarius quoque eam, quam antea dixi, diſtinctionem *Dei jubentis*, *&* *Dei facientis* (ſeu *exequentis*) palam approbat, dum hæc ait (*b*): „ Sed videamus, in quem profectum hæc diſtinctio „ jubentis Dei, & facientis augeatur.

8 Novatianus (ſi is eſt auctor libri *de Trinitate*, qui Tertulliani libris adjungitur) Novatianus, inquam, in eamdem ſententiam hæc ait (*c*). „ Moy- „ ſes autem introducit præcipientem „ Deum, ut lux fiat in primis, cœ- „ lum firmetur, aquæ congregentur, „ arida oſtendantur, fructus ſecundum „ ſemina provocentur, animalia produ- „ cantur, luminaria in cœlo, atque a- „ ſtra ponantur: non alium oſtendit tunc „ adfuiſſe Deo, cui præciperentur hæc „ opera, ut fierent, niſi eum, per quem „ facta ſunt omnia, & ſine quo factum „ eſt nihil. Ac ſi hic Verbum Dei eſt, „ nam *eructavit cor meum verbum bo-* „ *num*, oſtendit in principio Verbum „ fuiſſe, & Verbum hoc apud Patrem „ fuiſſe, Deum præterea Verbum fuiſ- „ ſe; omnia per ipſum facta eſſe: ſed „ enim hoc *Verbum caro factum eſt*, *&* „ *habitavit in nobis*, Chriſtus ſcilicet fi- „ lius Dei, quem dum & poſtmodum „ ſecundum carnem hominem accipimus, „ & ante Mundi inſtitutionem Dei Ver- „ bum, & Deum videmus &c.

9 Cyrillus Hieroſolymitanus Hilarii æqualis, fortaſſe etiam eo antiquior, *Patrem mandantem Filio creationem*, *illique ſubminiſtrantem rerum efficiendarum exemplar; filium vero exequentem, creantemque res ad exemplar*, *quod a Patre habuerat*, deſcribere minime dubitat (*d*).

10 Baſilius Magnus, Hilarii fere æqualis, *mandantem* (ſeu imperantem) *Dominum*, & δημιουροῦντα λόγον, ſeu *verbum efficiens* agnoſcere non veretur (*e*).

11 Marius Victorinus, ſeu, ut alii appellant, Fabius Marius Victor, eadem ætate vixiſſe creditur. Hujus porro Scriptoris in rem noſtram hæc monita (*f*) allegata vidi:

Qui mandante Deo cum plenus
mente parentis
Filius omnipotens faceret.

12 Auguſtinus eidem locutioni favere viſus eſt, cum hæc ait (*g*): „ Non „ a tempore datum: ſed mandatum na- „ tum. Quomodo enim non eſt man- „ datum Patris, quod eſt Verbum Pa- „ tris? „ Rurſus cum hæc protulit (*h*): „ Formant ſibi in phantaſmate cordis ſui „ quaſi duos aliquos quaſi juxta invicem, „ in ſuis tamen locis conſtitutos, unum „ jubentem, & alterum obtemperantem: „ nec intelligunt ipſam *juſſionem* Patris, „ ut fierent omnia, non eſſe niſi Ver- „ bum Patris, per quod facta ſunt o- „ mnia.

13 His adjungendi ſunt Patres illi, qui verba Pſalmi 148 (*i*): *ipſe mandavit*, *&* *creata ſunt*, ita exponunt, ut Patrem deſcribant rerum creationem Filio præcipientem; in quorum numero Irenæus eminet, cujus hæc notiſſima quidem, ſed quæ tamen referre hic placet, verba ſunt (*k*): *Cui ergo præcepit? Ver-*

(*a*) Tom. 1 edit. Venet. Concilior. Labbei pag. 867. (*b*) lib. IV *de Trinitate* n. 16.
(*c*) cap. 15. (*d*) Catech. XI. n. 22, & 23. (*e*) lib. 1 de *Spiritu Sancto* cap. 16.
(*f*) De rerum creatione. Perquiſivi diu locum iſtum, nec tamen inveni. At Petavius lib. II *de Trini.* 7.7, alique cum allegant. Quis porro hos temere id feciſſe putabit? (*g*) Serm. 140. n, 6.
(*h*) in lib. contra Sermon. Arianor. cap. 3. alias n. 4. (*i*) verſ. 5. (*k*) lib. III cap. VIII.

Verbo ſcilicet, per quod cœli firmati ſunt.

14 Irenæum ſequuntur Patres Concilii Antiocheni (*a*) contra Paulum Samoſatenum celebrati, Athanaſius (*b*), Cyrillus Alexandrinus (*c*), & Proſper (*d*). Atque hujus quidem poſtremi Patris, ut pote qui diu poſt Nicænum, atque adeo poſt Conſtantinopolitanum Concilium vixit, verba ipſa referre hic libet (*e*). *Quod enim Deus dicit, Verbo dicit. Et Verbum, per quod facta ſunt omnia, mandatum dicentis exequitur.*

15 Ad ſecundum porro caput (id eſt ad ea Patrum loca, in quibus dicitur obediſſe Filius, antequam etiam humanam carnem aſſumeret) pertinent non pauca eorum, quæ modo retulimus, atque expreſſiſſime poſtremum iſtud Proſperi: *mandatum dicentis exequitur*; ea quoque quæ ex Concilio Antiocheno adverſus Paulum Samoſatenum excitata ſunt. Adde ſubſequentia. Hilarius monet (*f*), *Filium in creando Mundo obedientem dictis Dei* (Patris) *extitiſſe*. Atque in eumdem ſenſum Gregorius Nazianzenus (*g*) hæc ait: *fuit aliquando, cum Mundum conſtituit, magnum mentis Verbum obſequens magni Patris menti*. Paulinus Nolanus etiam (*h*):

Paruit ille (*i*) *libens, Deus omnia cum Patre concors,*
Communem curans rem pietate pari.

16 Tertium caput iſta complectitur. Miniſterium divini Verbi a Patre acceptum, ideoque quod merito referatur ad eumdem Patrem, veluti verum auctorem ejuſdem miniſterii, expreſſiſſime docent *Conſtitutiones*, quas *Apoſtolicas* appellant (*k*); quippe ea ſimilitudine interdum utuntur, quæ defenſoribus conſubſtantialitatis Verbi valde aſpera viſa eſt. Scilicet docent, *Diaconum referre debere omnia ad Epiſcopum, ſicut Chriſtus refert omnia ad Patrem*. Et ne quis ea dicta de poteſtate, quam Chriſtus in humana natura aſſumpta habet, accipiat, poteſtatem *creandi*, & *providendi* commemorant, quam procul dubio habet ex natura divina, & in natura divina, minime vero ex humana. En quæ ibi traduntur. *Quæcunque tamen poteſt* (Diaconus), *moderetur per ſe ſe, accepta ab Epiſcopo poteſtate, ſicut Chriſtus poteſtatem creandi, & providendi accepit a Patre*. Vide, obſecro, integrum caput XXVI libri II earundem *Conſtitutionum*: in quo quidem loco hæc inter cetera leguntur: *Diaconiſſam repræſentare Spiritum Sanctum, quæ nihil ſine Diacono facere debeat, aut loqui, quem ad modum neque Paraclitus a ſe ipſo aliquid loquitur, aut facit, ſed Chriſtum glorificans, voluntatem illius expectat.*

17 Irenæus (*l*) negat, Deum Patrem in Mundo condendo indiguiſſe Angelorum opera; quippe illi egregius miniſter Verbum præſto eſt: *miniſtrat enim* (inquit) *ad omnia ſua progenies, & figuratio ſua, ideſt filius, & Spiritus Sanctus, Verbum, & Sapientia, quibus ſerviunt, & ſubjecti ſunt Angeli*. Eum etiam hic recole locum, quem num. 2 allegavi: *filio vero miniſtrante* &c.

18 Doctores hos ſequitur is, cui debemus librum *de incarnatione*, qui inter Auguſtini opera extat: quippe ait (*m*), *Filium in omni conditione Patri miniſtraſſe, quia per ipſum omnia facta ſunt*. Si in omni conditione Patri miniſtravit, Patri etiam miniſtravit diu antequam incarnaretur.

19 Fa-

(*a*) Tom. I Concil. Labbei pag. 867. (*b*) in libro de decretis. (*c*) lib. 29 Theſauri pag. 255. (*d*) in comment. in locum hunc Pſalmi 148: *ipſe mandavit, & creata ſunt.* (*e*) Ibidem. (*f*) lib. IV de Trinit. n. 16. (*g*) Carm. arcano VIII pag. 171. 6. (*h*) Poemat. 32. vers. 83. (*i*) Unigenitus Filius Dei. (*k*) Vide Cotelerii præfationem *in has Conſtitutiones*. (*l*) lib. IV cap. 17; in nova editione cap. 7. n. 4.
(*m*) lib. I cap. 2.

Digitized by Google

19 Fateor porro, nonnulla ex iis, quæ allegavimus, eludi fortaſſe poſſe, vel ſi moneas appoſitas eis, quos excitavimus, Patribus, aſperiores has locutiones: etenim voces has, *jubente Patre*, a probatiſſimis Irenæi codicibus, quibus Eraſmus, aliique vetuſtiores Irenæi editores uſi ſunt, abeſſe docet Renatus Maſſuet, cui debemus poſtremam Irenæi editionem (*a*); deſunt quoque in editione Amſtelodamenſi anni 1724 *Conſtitutionum Apoſtolicarum*, quæ de poteſtate *creandi*, & *conſervandi* ex nonnullis vetuſtioribus editionibus objecta ſunt. Vel etiam ſi moneas, ſummo in pretio non habendos eos omnes, quos adduximus, Doctores, adeo ut ab eorum auctoritate commoti ab uſitatiſſimis, ac probatiſſimis loquendi formulis recedamus. Cur enim id adhibere nobis non licet, quod Gennadio, proferre licuit (*b*)? *Nihil creatum, aut ſerviens in Trinitate credamus, ut vult Dionyſius fons Arii*. De quo quidem Dionyſio, tametſi vetuſtiſſimo, & ceteroqui laudabili viro, hæc etiam litteris conſignavit Baſilius (*c*): *Non omnia illius hominis admiramur: nonnulla vero prorſus rejicimus. Propemodum enim iſtius, quæ nunc divulgatur, impietatis Anomæorum, quantum ſcimus, primus iſte humano generi ſemina præbuit*. Quamquam illum ſtatim excuſare aliquantiſper ſtudeat, hæc ſubjiciens: *Cauſam vero hujus rei non puto improbitatem animi fuiſſe, ſed quod Sabellio vehementius obluctari cuperet*. Sed certe omnia eludi non poſſunt. Quis enim dicere audeat, corrupta eſſe omnia, quæ antea protulimus, Patrum loca, cum pauca ea non ſint, & pleraque horum certo incorrupta ſint? Aliò igitur confugiamus oportet.

20 Inveni autem apud probabiles Scriptores duo ſolutionum capita, quorum primum eo vertitur, ut moneat aſperioribus hiſce locutionibus mitiorem ſenſum ineſſe. *Rigoroſe* excipit eaſdem locutiones ſolutio altera, ſed eas de *Verbo*, quatenus *Verbum* eſt, & *increatum*, minime accipit. Utramque ſolutionem, obſecro, expendamus.

21 Ajunt itaque qui primam proponunt ſolutionem, hanc ineſſe tum profanis, tum ſacris Scriptoribus conſuetudinem, ut aſperioribus quibuſdam vocabulis mitiorem ſenſum, ac ſignificationem tribuant, *minus intelligi volentes* (ut & vulgatum fert adagium) *quam in ſpeciem appareat*. Omitto exteros profanoſque Scriptores, in quibus frequentia admodum ſunt hæc exempla, ut in ſacris auctoribus conſiſtam. Hæc ſane Paulus Coloſſenſibus ſcribit (*d*): *Salutat vos Ariſtarchus concaptivus meus, & Marcus conſobrinus, de quo accepiſtis mandata*. Porro eo vocabulo *præcepta rigoroſe accepta* minime denotari interpretes plerique tradunt. Hæc etiam in libro Joſue habemus (*e*): *Obediente Domino voci hominis*. Sed quis hæc rigoroſe accipiat? An Deus voci hominis ſe ſubmittit, illique paret? Alibi Deus ipſe hęc de ſe ait (*f*): *Servire me feciſtis in peccatis veſtris. Præbuiſtis mihi laborem*. An Deus, dum peccamus, nobis inſervit, illique laborem imponimus?

22 Morem hunc profecto ſequitur Hilarius hæc elocutus (*g*): *Humani enim generis cauſa Dei filius natus ex Virgine eſt, & Spiritu Sancto ipſo ſibi in hac operatione famulante, & ſua* (Dei videlicet) *inumbrante virtute, corporis ſibi initia conſevit*. An Divinum Verbum (etenim Spiritus Sancti nomine hic *Divinum Verbum* (*h*) intelligit) ſibi met ipſi famulatur?

23 Si-

(*a*) *Et jubente* deſunt in Eraſ. & Gall. (pag. 285 Tom. I edit. Venetæ.)
(*b*) De Eccleſ. Dogmat. cap. 4. (*c*) Epiſt. xli, in editione Patr. S. Mauri ix. n. 2.
(*d*) Coloſs. iv. 10. (*e*) Joſue x. 14. (*f*) Iſai. cap. 43. verſ. 24.
(*g*) lib. II de Trinit. n. 24. (*h*) Vide annotationem appoſitam huic loco, littera g.

Digitized by Google

23 Similes aliæ locutiones haud infrequentes in Sanctis Patribus ſunt. Sed ſuperiores retuliſſe ſit ſatis.

24 His conſtitutis, monent Theologi, eas, de quibus diſſerimus, locutiones, commodam aliquam explicationem excipere procul dubio debere: tametſi eamdem explicationem non omnes excipiant, & difficile valde ſit certam aliquam indicare.

25 In eo plerique conveniunt, ut his, & ſimilibus phraſibus non aliud denotetur, niſi Patrem principium eſſe *operationum*, non modo *ad intra*, qua de re nemo diſputat, niſi Arianus is ſit; verum etiam *operationum ad extra*, quatenus ab eo ut *fonte* (hac enim ſimilitudine Patres ipſi utuntur) cuncta procedunt.

26 Auguſtinus, quem numero 12 allegavi, id indicare videtur: ſed certe eam explicationem innuit Baſilius verba illa Chriſti explicans: *mandatum accepi a Patre, quid dicam* &c. Etenim hæc docet ille (*a*): „ Attamen ne forte „ex magnitudine eorum, quę fiunt, rapiamur in imaginationem, ut putemus Dominum principio carere, quid „ait is, qui per ſe vita eſt? *Ego vivo „propter Patrem*. Et Dei virtus: *Non „poteſt Filius a ſe facere quicquam*. „Rurſus is, qui ex perfecta eſt ſapientia: *Mandatum accepi, quid dicam, „& quid loquar*: per hæc omnia ducens nos ad Patris cognitionem, & „admirationem eorum, quæ gerebat, ad „illum referens, ut per ipſum cognoſcamus Patrem. Non enim ex operum „differentia Pater conſpicitur, quaſi peculiarem, atque ſeparatam actionem „exhibeat (quæcunque enim videt Patrem facientem, hæc & Filius ſimiliter „facit); verum ex gloria, quæ ei ab „Unigenito defertur, operum miraculum „carpit, dum præter operum magnitudinem, de ipſo etiam auctore operum „gloriatur, & exaltatur ab iis, qui agnoſcunt eum Patrem Domini noſtri „Jeſu Chriſti: *Per quem omnia, & „propter quem omnia*. Ideo dicit Dominus: *Omnia mea tua ſunt*, ut ad „ipſum originem rerum conditarum referens: *& tua mea*, ut inde principia creandi accipiens, non quod auxiliis utatur ad operandum, neque „quod ei particularibus mandatis uniuſcujuſque operis miniſterium concredatur; nam iſtud quidem ſervile, & a „divina dignitate immenſo ſemotum „intervallo: ſed quod Verbum paternis „bonis plenum reſplendens a Patre, „omnia facit ad ſimilitudinem ejus, „qui ipſum genuit: Nam ſi juxta eſſentiam nihil differt a Patre, nec potentia etiam a Patre differt. Porro „quorum æqualis eſt potentia, horum „omnino æqualis eſt & operatio. Chriſtus ſiquidem Dei virtus eſt, & Dei ſapientia: & ſic omnia per ipſum facta „ſunt, omniaque per ipſum, & in „ipſum condita ſunt, non quod inſtrumentali quodam ac ſervili miniſterio „fungatur: ſed quod, tanquam conditor paternam impleat voluntatem.

27 Poſſumus etiam, ſi volumus, verbo *jubeo* tribuere explicationem affinem illi, quam verbo *doceo* tribuit, teſte Petavio, Gregorius Nazianzenus: ſcilicet ut communicationem idearum denotet. Porro S. Doctoris verba, quæ etiam ad explicandum tertium genus locutionum mirifice juvant, hic adducere operæ pretium reor. *Quoniam* (inquit (*b*) ille) *rerum earumdem formas veluti in ipſo imprimit Pater: exſequitur autem Verbum non imperite, ſed ſcienter, &, ut aptius loquar, paterne*. Quibus Nazianzeni verbis recitatis hęc Petavius ſubjicit (*c*): Quibus in verbis „vox ἐνσημαίνει non eſt ſimpliciter *deſignare*, ut vertit interpres, ſed in „alio velut imprimere: unde conſtet, „Patrem indicare Filio, vel eum docere, quid faciendum ſit, & quaſi monſtrando præire, nihil aliud eſſe, niſi eidem

(*a*) Ex interpretatione editionis Patr. S. Mauri lib. *de Spiritu Sancto* ad Amphilochium, cap. VIII n. 19. (*b*) oratione 36. (*c*) lib. II *de Trinitate* cap. IV. num. 6.

Digitized by Google

„eidem una cum natura, & eſſentia rerum faciendarum intelligentiam, & earum formas, atque ideas communicare gignendo.

Perſtitimus hactenus in prima ſolutione in eo poſita, quod aſperioribus hiſce locutionibus mitior ſenſus inhæreat.

28 Aggredi debemus nunc ſolutionem alteram, quæ eaſdem locutiones, aut certe magnam earum partem (etenim Paulini locus poſtrema hac explicatione ſe explanari non ſinit) *rigoroſe* quidem accipit, ſed negat eas de *Verbo*, quatenus *Verbum* eſt, & increatum, accipi poſſe. Scilicet Verbum, inquiunt, in rerum mundanarum creatione corpoream quamdam ſpeciem, eamque humanæ ſimillimam, ſeu potius humanam ipſam, ſed forma, & pulcritudine egregia aſſumpſit: atque in ea cuncta condidit, ideoque hominem, cui in eadem, quam diximus, forma ſe viſendum præbuit, eumque allocutus eſt. Neque vero Adamo ſolum ſe in ea viſendum obtulit, verum etiam ceteris Patriarchis, ſæpe etiam Prophetis ipſis, adeo ut iis crebro apparuerit eadem forma indutus, quam in creatione aſſumpſerat, aut certe ſimillima aliqua, eaque conſtanter humana. Petavius plurimos eam in rem affert Patres, quos, ſi vis, conſule in eo loco, quem ad paginæ calcem cito, expreſſe allegatos (*a*). Ego pauciſſimos ſeligam, Lectorem ad eumdem Petavium amandans.

29 Tertullianus adverſus Praxeam diſputans (*b*) de Sermone ac Verbo divino rerum creationem exſequente (*c*) hæc ait: „Tunc igitur etiam ipſe Sermo ſpeciem, & ornatum ſuum ſumit, ſonum, & vocem, cum dicit Deus: *fiat lux*... At ego nihil dico de Deo inane, & vacuum prodire potuiſſe, ut non de inani, & vacuo prolatum; nec carere ſubſtantia, quod de tanta ſubſtantia proceſſit, & tantas ſubſtantias fecit; fecit enim & ipſe quæ facta ſunt per illum. Quale eſt, ut nihil ſit ipſe, ſine quo nihil factum eſt? Ut inanis ſolida, & vacuus plena, & incorporalis corporalia ſit operatus? Nam etſi poteſt aliquando quid fieri diverſum ejus, per quod fit, nihil tamen poteſt fieri, per id quod vacuum, & inane eſt. Vacua & inanis res eſt Sermo Dei, qui Filius dictus eſt, qui ipſe Deus cognominatus eſt: *Et Sermo erat apud Deum, & Deus erat Sermo?* Scriptum eſt: *Non ſumes nomen Dei in vanum*. Hic certe eſt, qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit eſſe ſe æqualem Deo. In qua effigie Dei? Utique in alia, non tamen in nulla... Quæcunque ergo ſubſtantia Sermonis fuit, illam dico perſonam, & illi nomen Filii vindico, & dum Filium agnoſco, ſecundum a Patre defendo.

Judice itaque Tertulliano, Verbum divinum cum res creavit, *ſpeciem*, & *ornatum* ſumpſit, ideſt exteriorem quamdam, & viſibilem, eamque elegantiſſimam ſpeciem, & formam. Quam quidem ſpeciem, & formam humanam fuiſſe indicat ille & hic (*in qua effigie: utique in alia* (ideſt alterius generis, neque enim *carnem natam aſſumpſerat*), *non tamen in nulla*): & ſæpe alibi. Sed apertiſſime id docet adverſus Marcionem diſputans: etenim hæc eloquitur (*d*): „Nam & profitemur Chriſtum ſemper egiſſe in Dei Patris nomine, ipſum ab initio converſatum, ipſum congreſſum cum Patriarchis, & prophetis, filium creatoris, ſermonem ejus, quem ex ſemetipſo proferendo filium fecit... in hæc quoque diſpoſitus eſt a Patre, quæ ut humana reprehen-

(*a*) lib. VIII *de Trinitate* cap. II. n. 5, & ſeq. toto capite. (*b*) cap. VII.
(*c*) Quod de Verbo divino res mundanas creante ſermonem habeat Tertullianus, hæc paulo præcedentia ejuſdem Tertulliani verba declarant: *Ut primum Deus voluit ea, quæ cum Sophia ratione & ſermone diſpoſuerat, intra ſe in ſubſtantias, & ſpecies ſuas edere* (cap. VI ejuſdem libri). (*d*) lib. II. cap. 27.

Digitized by Google

„henditis, *ediſcens jam inde a primor-„dio jam inde hominem, quod erat fu-„turus in fine*. Ille eſt qui deſcendit, „ille qui interrogat, ille qui poſtulat, „ille qui jurat &c. „ Si ab initio converſatus eſt, ſi a primordio jam inde homo, quod erat futurus in fine; in creatione utique ipſa Mundi (ſi Tertullianum audis) homo erat. At homo propterea dici non poteſt, quod a primordio humanam carnem aſſumpſerit: etenim eam ſumpſit in fine temporum, Maria Sanctiſſima illi carnem miniſtrante; ergo propterea homo dici poteſt, quod a primordio in humana forma ſeu ſpecie apparuit, in qua etiam deinceps, ſi Tertullianum audis, apparuit, Abrahamo ſcilicet, Jacobo, & patriarchis reliquis, Moyſi quoque, & ceteris prophetis.

30 In eumdem ſenſum Prudentius generatim hæc docet (*a*).

Sed tamen & Patris ſpecimen, quo cernere fas ſit
Humanis aliquando oculis concurrere promptum,
Quod quamvis hebes intuitus ſpeculamine glauco,
Humentique acie potuit nebuloſus adire,
Quiſque hominum vidiſſe Deum memoratur, ab ipſo
Infuſum vidit natum, nam Filius hoc eſt,
Quod de Patre micans ſe præſtitit inſpiciendum,
Per ſpecies, quas poſſet homo comprehendere viſu:
Nam mera Majeſtas eſt infinita, nec intrat
Obtutus, aliquo ni ſe moderamine formet.

Deinceps vero (*b*):

Quin potius ſcrutare Dei ſignacula in ipſo
Fonte vetuſtatis, percurras ſcrinia primi
Scriptoris, quem non bardus Pater, aut Avus Augur,
Fabula nec veteris famæ, nec garrula nutrix,
Nec ſago clangore loquax, & ſtridula cornix
Rem docuere Dei, ſed coram proditus ipſe,
Ipſe Deus trepidum mortalem mitis amico
Imbuit alloquio, ſeque, ac ſua ſumma retexit.
Nimirum meminit Scriptor doctiſſimus illo
Orbis principio non ſolum, nec ſine Chriſto
Informaſſe Patrem factura plaſma novellæ.
Fecit, ait, condens hominem Deus, & dedit olli
Ora Dei, quidnam eſt aliud, quam dicere, ſolus
Non erat? atque Deo Deus adſiſtebat agenti,
Quum Dominus faceret Domini ſub imagine plaſma:
Chriſtus forma Patris, nos Chriſti forma & imago:
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturo in noſtram faciem poſt ſecula Chriſto.

31 An vero ad hæc reſpicit Eccleſia, cum hymnum hunc canendum præcipit (*c*)?

Rex ſempiterne Cælitum,
Rerum creator omnium,
Æqualis ante ſæcula
Semper Parenti Filius.
Naſcente qui Mundo Faber
Imaginem vultus tui
Tradens Adamo, nobilem
Limo jugaſti ſpiritum.

Seu, ut olim expreſſius legebatur:

Rex ſempiterne Domine,

Re-

(*a*) In Apotheos. *Contra hæreſim, quæ Patrem paſſum affirmat*, poemat. I verſ. 18. &c.
(*b*) Contra *Unionitas*, ideſt *Sabellianos hæreticos* poemat. II verſ. 117. (*c*) ad Matut. Domini: tempore Paſch.

Digitized by Google

Rerum creator omnium,
Qui eras ante ſæcula
Semper cum Patre Filius.
Qui Mundi in primordio
Adam plaſmaſti hominem,
Cui tuæ imagini
Vultum dediſti ſimilem.

32 Sed cum de his agimus, cur Leonem Magnum prætermittimus, qui generatim docet, Chriſtum antiquiſſimis Patribus, ideoque Adamo Patriarcharum antiquiſſimo, in ſpecie humana apparuiſſe, & hujus ipſius rei rationem aſſert elegantem? „Potuerat (inquit (*a*) „ille) omnipotentia Dei ſic ad docen„dos, juſtificandoſque homines appare„re, quomodo & Patriarchis, & Prophe„tis in ſpecie carnis apparuit, quum aut „luctamen iniit, aut ſermonem conſer„ruit, cumve officia hoſpitalitatis non „abnuit, vel etiam appoſitum cibum „ſumſit. Sed illæ imagines hujus ho„minis erant indices, cujus veritatem „ex præcedentium Patrum ſtirpe ſu„mendam, ſignificationes myſticæ nun„ciabant. Et ideo Sacramentum recon„ciliationis noſtræ ante tempora æter„na diſpoſitum nullæ implebant figurę; „quia nondum ſupervenerat Spiritus „Sanctus in Virginem, nec virtus Al„tiſſimi obumbraverat ei, ut intra in„temerata viſcera ædificante ſibi Sapien„tia domum, Verbum caro fieret, & „forma Dei, ac forma ſervi in unam „conveniente perſonam, creator tem„porum naſceretur in tempore, & per „quem facta ſunt omnia, ipſe inter o„mnia gigneretur.

33 Leoni adjungamus Caſſianum hæc tradentem (*b*): *Hic ergo unus eſt ad Patriarchas loquens, in Prophetis manens, ex Spiritu conceptus, natus ex Virgine Maria, in Mundo viſus, inter homines converſatus, affigens ligno Crucis chirographum peccatorum, triumphans in ſemetipſo, adverſarias nobis inimicaſque virtutes morte occidens, reſurgendi fidem omnibus tribuens, gloria ſui corporis corruptionem humanæ carnis interimens.*

34 Horum Patrum, atque in primis Prudentii veſtigia premere videtur Steuchus noſter Eugubinus, quem ſummi nominis virum norunt omnes, cum hæc ait (*c*): „Acceſſit ergo Filius, ac „Verbum Dei ad creationem huma„nam in forma, imagine, habituque „humano, gerens ſpecioſiſſimam divi„niſſimamque formam, & jucundiſſi„mam, omnium humanarum formarum „pulchritudinem ſuperantem. Quam „videntem, & intuentem generis no„ſtri principem cenſendum eſt amore „inſaniſſe, creatoremque omnibus fe„minis ſpecioſiorem pene deperiiſſe. „Hanc ſpeciem, divinamque pulchri„tudinem, clementiſſimus, formoſiſ„ſimuſque aſſumens, quam erat poſt „multa tempora uſque ad carnem & „oſſa aſſumpturus, creabat hominem „largiens ei ſpeciem hanc tantam „ipſe primus archetypus, ſpecioſiſſi„mus ipſe, ſpecioſiſſimæ prolis crea„tor. Quantam, qualemve credas fuiſ„ſe primi hominis illius venuſtatem? „quantum in ore decus, quas gratias „inſediſſe?

35 Quid de horum opinione ſentiendum ſit, meum non eſt nunc definire. Illud certe conſtat, alterutra harum ſolutionum diſſolvi quęcumque ex aſperioribus illis locutionibus, quas in titulo ipſo præpoſui, deſumuntur.

36 Dum tamen hæc moneo, nolo quemquam noſtris temporibus iis uti. Etenim ſi quis iis uteretur, is ſuſpicionem præberet, ne *ſervum* putaret eum, qui *jubetur*, ut monitis utar vetuſti illius Scriptoris, qui a multis *Gregorius Thaumaturgus* dicitur (*d*). Hinc Nyſſenus (*e*) Eunomium repre-

(*a*) Epiſt. XIII, in edit. Queſnellii 27. cap. 2. (*b*) lib. IV *De incarn.* cap. IX.
(*c*) in Coſmop. edit. Ven. Nicoli pag. 150. (*d*) *In expoſit. fidei*: quam tamen a Thaumaturgo abjudicant Petavius lib. II de Trinit. cap. 7 n. 8, Tillemontius Tom. IV *hiſto. Eccl.* in Gregor. Thaumat. art. 2. & alii etiam. (*e*) In lib. X.

hendit, quod dixerit, *Filium juſſione Patris feciſſe quæ facta ſunt; dum ea pro poteſtate creavit.*

37 Auguſtinus quoque dici vetat (*a*) *juberi Filium a Patre, cum ipſe ſit principale Verbum Patris, per quod facta ſunt omnia. Deinde quia non convenit, ut Filius quaſi juſſus feciſſe intelligatur.* Alibi etiam hæc protulit (*b*): *Juſſum vero obaudiſſe Filium, antequam acciperet carnem, unde iſti exiſtiment, neſcio.*

38 Similiter Idatius (*c*) Nyſſenum, cujus nuper meminimus, plane ſecutus, negat Filium *jubente Patre* feciſſe quæ facta ſunt, cum *pro poteſtate creaverit.*

DIS-

(*a*) In lib. 2 *de Gen. ad lit.* cap. 6.
(*b*) In lib. contra Sermon. Arian. cap. 38.
(*c*) Lib. III contra *Varimundum.*

Digitized by Google

DISSERTATIO TERTIA

AD VERBA ILLA CAP. V (*a*):

Conceſſit etiam, ut homo Dei imaginem portaret in terris, daturus poſtea ſimilitudinem, ſi imago ſervaretur illæſa. Ad imaginem non putes eſſe formam hanc hominis exteriorem factam &c.

1 SÆpiſſime hoc de argumento agunt veteres, neque ii tantum, qui divinas Scripturas norunt, ſed ii quoque, quos falſorum numinum cultores novimus.

An non hæc expreſſiſſime Ovidius protulit (*b*)?

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet.
Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum Mundi melioris origo,
Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebat ſemina cœli,
Quam ſatus Japeto mixtam fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

2 Et in hac quidem ſignificatione videtur locutus Cicero, cum Paulum induxit *Dei* vocabulo hominem honeſtantem. *Deum igitur* (inquit (*c*) Paulus) *te eſſe ſcito: Si quidem eſt Deus, qui viget, qui ſentit, qui meminit, qui providet, qui tam regit, & moderatur, & movet id corpus, cui præpoſitus eſt, quam hunc mundum ille princeps Deus.*

3 Nos ut ordine progrediamur, ad ſuprema quædam capita quæſtionis ſummam revocabimus. Primo ſcilicet inquiremus, an ea imago ac ſimilitudo, quam ſui nobis indidit Deus, ſint duo quædam a ſe diverſa, an unum tantum. Quæremus ſecundo, in quo poſita ſit hæc imago & ſimilitudo. Quibus conſtitutis, ſequetur veluti corollarium ſolutio tertiæ quæſtionis, in qua hominis parte poſita ſit imago hæc, & ſimilitudo; an ſcilicet in corpore, an in anima. Sequetur quoque ſolutio quartæ quæſtionis, an ſoli homini, ſeu, ut expreſſius dicam, an ſoli viro, an feminæ etiam imaginem, de qua diſſerimus, & ſimilitudinem indiderit Deus. Sequetur denique ſolutio Quintæ, an Angelus etiam ad ſimilitudinem, & imaginem Dei factus ſit.

(*a*) pag. 41. num. 100, &c. (*b*) lib. 1 Metam. (*d*) in *ſomn. Scip.*

Digitized by Google

QUÆSTIO PRIMA.

An ea imago, & ſimilitudo, quam nobis indidit Deus, ſint duo quædam a ſe diverſa, an unum tantum.

4 II, quibus placet unicam tantummodo rem hic indicari, non duas, ad hunc modum diſputant. Recitemus, obſecro, ſtatim verba ea, ſuper quibus conſtituitur quæſtio. Geneſ. 1 Deus Adamum creaturus hæc ait (*a*): *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: & præſit piſcibus maris..... Et creavit Deus hominem ad imaginem ſuam: ad imaginem Dei creavit illum: maſculum, & feminam fecit eos.* Porro, cum hæc narratio recolitur, aut ſimilitudinis tantum, aut imaginis mentio fit, nec deinceps ea junguntur, ſeu repetuntur. Cur porro? niſi quia neceſſe non erat expreſſam utriuſque mentionem fieri, cum unica tantummodo res ſit. An de antecedente, ſeu aſſumpto dubitas? Illud ſtatim oſtendimus. *Similitudinis* tantummodo mentio fit verſiculo I capitis V; in quo quidem loco recoluntur ea, quæ verſiculis 27, & 28 cap. 1 dicta erant. Scilicet hæc in eo, quem diximus, capitis V verſiculo legimus: *Hic eſt liber generationis Adam. In die, qua creavit Deus hominem, ad ſimilitudinem Dei fecit illum: maſculum, & feminam creavit eos, & benedixit illis.* Contra Geneſ. cap. IX. verſ. 6, Eccleſiaſtici cap. XVII, & alibi etiam imago tantummodo memoratur. Sic porro habet is, quem primum allegavi, Scripturæ locus, videlicet verſiculus ſextus capitis IX Geneſis: *Quicunque effuderit humanum ſanguinem, fundetur ſanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus eſt homo.* En autem ea, quæ dixi, Eccleſiaſtici verba (*b*). *Deus creavit de terra hominem, & ſecundum imaginem ſuam fecit illum. Et iterum convertit illum in ipſam, et ſecundum ſe veſtivit illum virtute.* Similiter epiſt. 1 ad Corinthios (*c*): *Vir quidem non debet velare caput ſuum, quoniam imago, & gloria Dei eſt.* Rurſus in Epiſt. ad Coloſſ. cap. III (*d*): *& induentes novum eum, qui renovatur in agnitionem, ſecundum imaginem ejus, qui creavit illum.*

5 Quid? quod expreſſiſſime in Scripturis tametſi imago, & ſimilitudo jungantur, non aliud tamen iis vocabulis denotatur, niſi præſtans quædam ſimilitudo. Audi, num vera eloquar. *Vixit autem Adam* (en quæ habemus in Geneſi) *centum triginta annis, & genuit ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam, vocavitque nomen ejus Seth* (*e*).

6 Quod ſi Patres adjungi vis, libenter adjungimus. Præeat Auguſtinus hæc tradens (*f*): *Quid interſit inter ſimilitudinem, & imaginem, quæri ſolet. Sed hic non video, quid intereſſe voluerit, niſi aut duobus iſtis vocabulis unam rem ſignificaverit*, &c.

Alibi etiam eam imaginem Dei pro eo uſurpat, quod vulgo ſimilitudini imputant, ut deinceps dicam; hæc quippe ait (*g*): *Omnes facti ad imaginem Dei, niſi terrenis cupiditatibus conterant, quod ille formavit* ... (*h*) *Et quare imaginem Cæſaris creatori veſtro oſtendebatis, & ejus imaginem in veſtris cordibus delebatis?*

7 Se-

(*a*) verſ. 26, & 27. (*b*) cap. XVII. verſ. 1, & 2. (*c*) cap. XI. verſ. 7. (*d*) verſ. 10.
(*e*) Gen. V. 3. (*f*) Quæſt. IV in Deuter. (*g*) in tract. in pſ. 57. n. 1.
(*h*) num. 3.

Digitized by Google

7 Severianus quoque Gabalitanus in eundem ſenſum: *Quid eſt* (inquit (*a*)) *ſecundum imaginem? Deus eſt ſanctus. Si nos ſancti ſumus, ad imaginem ſumus Dei. Sancti enim, inquit, eſtote, quia ego ſanctus ſum. Deus eſt juſtus. Si juſtitiam perſequimur, imago Dei ſumus.*

8 Similiter Ambroſius imaginem, & ſimilitudinem Dei nobis inditam in ſupernaturalibus, ac moralibus virtutibus collocat (*b*), ſed ita ut ſimilitudo ab imagine minime differat.

9 Petrus item Chryſologus (*c*): *Ubi*, inquit, *delictorum morbis imago ipſa ablata conditoris...... Apoſtolus Paulus ad ſimilitudinem revocat Chriſti, & totam* (formam) *reducit ad imaginem conditoris*: idque probat ex Apoſtolo dicente (*d*): *Nolite configurari huic ſæculo*, &c. Alios ſi optas ejuſdem ſententiæ Patres, eos tibi præbebit Petavius (*e*), a quo ſane Cyrillus Alexandrinus in eamdem ſententiam affertur (*f*). Joannes item Philoponus, & Origenes (*g*). Quibus poſitis concludit, *probabilius eſſe Moſem ambo iſta nomina pro uno eodemque ſumpſiſſe, atque* κ παρ᾽ ἀλλήλα, *ut poſterior prioris ſit explicatio*.

10 Præiverat horum monita Philo (*h*); quippe hæc ait: *Sed quoniam non quævis imago refert exemplar archetypum, ſuntque multæ diſſimiles; poſt hæc verba*, juxta imaginem, *additum eſt ſignificantius*, & ſimilitudinem, *ut intelligatur exactum ſigillum formam habens evidentiſſimam*.

11 Contra ſentiunt alii, monentque hoc inter eam, de qua agimus, imaginem, & ſimilitudinem apparere diſcrimen: vel quod expreſſiorem, atque exactiorem ſimilitudinem expoſcat imago, id innuente Auguſtino (*i*), & expreſſiſſime tradente Hieronymo Areno (*k*): vel quod imago corpus ſpectet, ſimilitudo animam, ut opinatur Irenæus (*l*): vel quod naturalia dona Adamo collata imago indicet, ſimilitudo vero ſupernaturalia. Hinc imaginem, ſi hos audimus, retinuit admiſſo peccato; at ſimilitudinem Adamus amiſit. Ut in veteribus Patribus conſiſtamus, Chryſoſtomum, Severianum Gabalitanum, Cyrillum Alexandrinum, Auguſtinum denique libro VI de Gen. ad litteram cap. 27 allegat Calmetus (*m*). Addere poterat tum alios multos, tum certe Origenem, & Scriptorem noſtrum, quos deinceps adducemus; Paulinum quoque Nolanum, Nyſſenum, Maximum Martyrem, alioſque non paucos, quos recenſet, eorum loca allegans Petavius (*n*). In primis id copioſiſſime exequitur au-

(*a*) Orat. V de Mundi Opificio n. 4. pag. 284 tomi VI Oper. Chryſoſt. editionis Montfauconii.
(*b*) In Pſ. 118. octon. 22. (*c*) Serm. 120. (*d*) Rom. XII. 2. (*e*) de Opif. II. 2. 10, & 13.
(*f*) Ex lib. contra Anthropomorphitas, & ex Catena manuſcripta. (*g*) de opificio ſex dierum lib. II cap. 2. n. 13. (*h*) de opific. pag. 14 edit. Lugdun. anni 1561.
(*i*) *ubi imago, continuo & ſimilitudo eſt. Non autem ſi ſit ſimilitudo, continuo ſit & imago* &c. quæſt. IV in Deuteron.
(*k*) in iis Sermonibus, quos nondum editos exſcribi juſſi ex vetuſto codice: hæc enim docet in ſermone in Dominicam XX poſt Pentecoſtem. „Sacra quoque Scriptura narrat, *Deum feciſſe hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*. Plus autem eſt imago, quam ſimili„tudo. Eſt enim imago expreſſa rei ſimilitudo. & dicitur imago, quaſi vera imitago. Simi„litudo eſt rerum aliqua repræſentatio, velut illud: *Videbam homines velud arbores ambulan„tes*. Filius itaque Dei imago eſt Patris, quia per omnia Patri ſimilis, & in nullo Patri „diſſimilis. Sicut Paulus ait: *qui eſt Imago Dei inviſibilis. Nam qualis Pater, talis Filius.* „Omnipotens Pater, omnipotens Filius, & ſic de reliquis, quæ prædicantur in ſubſtantia. „Eſt ergo Filius vere imago, ideſt expreſſa Dei Patris ſimilitudo. Unde dictum eſt: *Faciamus hominem ad imaginem noſtram*. Sed hominem ad imaginem, quia ſolus Chriſtus eſt „imago, ſed homo ad imaginem. ideſt ut tendat ad imaginem.„ Porro Hieronymum Aretinum ne ignorum putes. Ea conſule, quæ Ughellus tomo I *Italiæ Sacræ* pag. 467, & ex eo Cave ad annum 1144 pag. 222 Tomi II tradunt. (*l*) lib. V. cap. 6.
(*m*) in locum hunc Geneſeos. (*n*) *de Opif.* lib. 2. cap. 2. n. 13.

Digitized by Google

auctor libri *de ſpiritu, & anima* (a), qui extat inter opera Auguſtini. Nec prætereas volo Alchuvinum, qui luculenter ipſe quoque ea de re agit (b).

QUÆSTIO SECUNDA.

In quo poſita ſit hæc, de qua agimus, imago, & ſimilitudo.

12 QUam vetuſta ſit quæſtio hæc, pariterque quam difficilis ſit ad ſolvendum, ex iis, quæ tradit Epiphanius, facile aſſequimur. Scilicet tam in libro, in quo adverſus hæreſes diſputat (c), quam in Ancorato ea de re agit, & doctorum ſententias ea ſuper controverſia ſummatim exponit, illud concludens, *non eſſe ullo modo definiendum, aut affirmandum, quanam in parte imago illa conſiſtat: ſed tamen fatendum eſſe ineſſe in homine, ne divinum beneficium tollamus e medio, ac Dei auctoritati diffidamus* (d). Hinc, eo judice, Audiani eam, de qua agimus, imaginem in corpore collocantes, *cum in hac parte majore, quam par ſit, contentionis ſtudio ducantur, ab Eccleſiaſtica traditione ac doctrina recedunt. Quæ cum omnes homines, Dei ad imaginem creatos eſſe fateatur, nullam tamen partem definit, in qua iſtiuſmodi imaginis ratio collocanda videatur*. Rejicit deinde eos, *quibus placet, nec in anima, nec in corpore ſitam imaginem, ſed ſola virtute contineri*: eos quoque, *qui non virtutem, ſed baptiſmum, & quæ in ea confertur gratiam eſſe ajunt*. Et hæc demum ſtatuit: *Ita porro credendum eſt, imaginem in homine reperiri, ut in toto maxime, nec ſimpliciter reſideat. Ceterum ubinam illa maxime ſit, & qua parte compleatur, quod dictum eſt, ad imaginem, Deus novit, qui ſingulari hoc imaginis ſuæ beneficio hominum genus afficere voluit.*

13 Epiphanii opinio paucis placuit, ideoque diligentius exquiſierunt, in quo conſultius videretur imaginem eam, & ſimilitudinem collocare. In ſuperiore Quęſtione diximus, nonnullos Patres eandem imaginem in donis naturalibus nobis tributis conſtituiſſe, ſimilitudinem vero in ſupernaturalibus. His adjungite non modo eum, quem illuſtramus, Scriptorem; etenim manifeſto id tradit in iis, quæ diſſertationi huic præpoſui, verbis: *Conceſſit etiam, ut homo Dei imaginem portaret in terris, daturus poſtea ſimilitudinem, ſi imago ſervaretur illæſa* &c.; verum etiam Origenem, quem plane ſequi videtur ſcriptor noſter; quippe hæc literarum monumentis tradidit (e). „ Hoc namque indicat Moyſes ante omnes, cum primam conditionem hominis enarrat dicens: *& dixit Deus: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*. Tunc deinde addit: *Et fecit Deus hominem, ad Dei imaginem fecit illum, maſculum & feminam fecit eos, & benedixit eos*. Hoc ergo quod dixit, *ad imaginem Dei fecit eum*, & de ſimilitudine

(a) Cap. 35. Porro hunc librum in editione Patrum S. Mauri invenies pag. 35. & ſeq. appendicis tomi IV. (b) in eo opuſculo, quod ad hunc modum inſcribitur: *dicta B. Albini Levitæ ſuper illud Geneſeos:* faciamus hominem &c. pag. 54 Operum Alchuvini. Atque (ut obiter notem, licet id ante me adverterint PP. S. Mauri pag. 611 Appendicis tom. 2 Ambroſii) eadem plane extant cap. tertio libri, qui inſcribitur *de dignitate conditionis humanæ*, qui liber olim tribuebatur Ambroſio. (c) hæreſi lxx, quæ eſt Audianorum, n. 2, & 3. & in Ancor. n. 55. (d) hæreſ. 70 n. 2. (e) lib. III *Peri archon*, ſeu *de Principiis* n. 1. pag. 152 Tomi I. editionis P. Caroli de la Rue.

Digitized by Google

,, ne ſiluit, non aliud indicat, niſi quod
,, imaginis quidem dignitatem in prima
,, conditione percepit, ſimilitudinis ve-
,, ro perfectio in conſummatione ſervata
,, eſt: ſcilicet ut ipſe ſibi eam propriæ
,, induſtriæ ſtudiis ex Dei imitatione
,, conſciſceret, cum poſſibilitate ſibi per-
,, fectionis in initiis data per imaginis
,, dignitatem, in fine demum per ope-
,, rum expletionem perfectam ſibi ipſe
,, ſimilitudinem conſummaret. Sed aper-
,, tius hæc, & evidentius ita ſe habere,
,, Joannes Apoſtolus definit hoc modo
,, pronuncians: *Filioli, nondum ſcimus,*
,, *quid futuri ſimus: ſi vero revelatum*
,, *nobis fuerit de Salvatore, ſine dubio*
,, *dicetis: ſimiles ei erimus*. Per quod
,, certiſſime indicat & finem omnium,
,, quem adhuc ſibi dicit ignotum, &
,, ſimilitudinem Dei ſperandam, quę pro
,, meritorum perfectione præſtabitur.
,, Ipſe quoque Dominus in Euangelio
,, hæc eadem non ſolum futura, verum
,, etiam ſui interceſſione futura deſignat,
,, dum ipſe hoc a Patre diſcipulis ſuis
,, impetrare dignatur dicens: *Pater vo-*
,, *lo, ut ubi ego ſum, & iſti ſint me-*
,, *cum, & ſicut ego, & tu unum ſu-*
,, *mus, ita & iſti in nobis unum ſint*.
,, In quo jam videtur ipſa ſimilitudo
,, (ſi dici poteſt) proficere, & ex ſi-
,, mili unum jam fieri, pro eo ſine du-
,, bio quod in conſummatione, vel fi-
,, ne omnia, & in omnibus Deus eſt.,,

14 Volunt itaque hi duo Scriptores, ſimilitudinem, de qua loquimur, eſſe beatitudinem per virtutum executionem in cælis obtinendam, qua quidem, ſi jus ſpectes, ſe privavit peccando Adam; quamquam divina pietate excitatus, illud ipſum jus deinceps recuperavit.

15 Alii porro (quod jam dixi (*a*)) hanc ipſam ſimilitudinem, non in beatitudinis poſt mortem aſſecutione, verum in virtutibus, quas in hac ipſa poſſidemus, collocant: quod rigidior Scholaſticus ſuorum vocabulorum libertate uſus his verbis facile exprimeret. *Similitudinem Dei nobis inditam non conſiſtere in beatitudine ultimata, & in patria: ſed inchoata, & in via;* ſeu, ſi vis, *in ſemine cæleſtis beatitudinis* (ſic enim virtutes appellant), non in ipſa beatitudine, veluti in fructu. Sed hi ipſi non omnino conveniunt: aliqui enim (quod ante ex Epiphanio notavimus) in *virtute* (id eſt in morali, & naturali virtute (*b*)), alii in baptiſmo, & in gratia in eo collata, ideoque in ſupernaturali virtute, collocant (*c*). Quin etiam nonnulli ſimilitudinem hanc anguſtioribus limitibus coarctare videntur, dum eam reſtringunt ad virtutum genus, quod *negativum* Scholaſtici appellant, ideſt ad illud, quod malorum fugam ſibi ſtatuit pro objecto; illud vero virtutum genus, quod bona proſequitur, *imagini* vindicant. Ad hunc certe modum interpretantur nonnulli verba illa Ambroſii (*d*): *Fugiamus ergo hæc mala, & transformemus animam noſtram ad illam imaginem Dei, & ſimilitudinem. Fuga malorum ſimilitudo Dei eſt, & virtutibus imago Dei acquiritur. Ideo qui nos pinxit, quaſi auctor pinxit virtutum coloribus.*

16 In virtutibus quoque ſupernaturalibus eamdem ſimilitudinem ſtatuit Chryſoſtomus, cujus locum in paginę calce noto (*e*). Severianus quoque (*f*), & auctor libelli, qui *inſtructio Sacerdotis* inſcribitur, ſive Bernardus is ſit, ſive alius probatiſſimus ſane auctor: etenim hæc litteris commendavit (*g*):
,, Creavit te, cum non eſſes; recreavit,
cum

(*a*) quæſtione 1. n. 11. (*b*) Afferri ſolet Plato *de legibus* poſt medium, & in Theæteto. Vide ejus loca apud Petavium de Opific. lib. II. 2. 10. (*c*) Paulinus Nolanus ſane, ut reliquos omittam, in ſupernaturali virtute collocat epiſt. ad Sever. olim 2, nunc 24. n. 9. *nam idcirco*, &c. (*d*) De bono mortis cap. 5. n. 17. (*e*) Numero 3 homiliæ in illud: *Domine non eſt in homine*, tom. VI editionis Montfauco. pag. 163. (*f*) de mundi Creatione hom. V. n. 4. pag. 484 tom. VI Chryſoſt. (*g*) par. 1. cap. 1. pag. 585 Tomi III Editionis Venetæ Oper. S. Bernardi anni 1727.

„ cum perditus eſſes: creavit, ut eſſes parti-
„ ceps beatitudinis ſuæ; recreavit, ne poſt
„ lapſum permaneres exors patrię, & exors
„ felicitatis æternæ: creavit te ad imagi-
„ nem, & ſimilitudinem ſuam; ad imagi-
„ nem, conferens tibi naturalia; ad ſimili-
„ tudinem, largiens gratuita, ut mente
„ excelleres, & omnia irrationalia ratione
„ vinceres.

Pronaque cum ſpectent animantia cetera terram,
Os homini ſublime dedit, cælumque videre
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus;

„ Ut ſemper reſpiciens ſurſum, creato-
„ rem tuum in mente haberes, & ori-
„ ginem tuam inceſſanter ad animum
„ revocares. Fecit enim te, ut dictum
„ eſt, ad imaginem ſuam, & ſimilitudi-
„ nem Deus: ad imaginem, ut haberes
„ memoriam, intellectum, diſcretionem,
„ & cetera naturalia; ad ſimilitudinem,
„ ut haberes innocentiam, juſtitiam, &
„ alia gratuita; ad imaginem in cogni-
„ tione veritatis, ad ſimilitudinem in
„ amore virtutis. Vel certe factus es ad
„ imaginem Dei collatis tibi omnibus
„ iſtis; ad ſimilitudinem ſecundum eſ-
„ ſentiam deitatis factus es immortalis,
„ & indiviſibilis.

17 Ex quibus poſtremis verbis palam aſſequeris, approbare illum quidem ſententiam eorum, qui imaginem Dei homini impreſſam in naturalibus donis collocant, ſimilitudinem vero in ſupernaturali virtute; non eorum tamen improbare ſententiam, qui in alia re ſtatuunt. At priorem illam ſententiam apertiſſime Bernardus excipit (ſi tamen Bernardo *Meditationum* librum tribuis), dum hæc ait (*a*): *Utere igitur te ipſo velut Dei templo propter illud, quod in te eſt ſimile Deo. Honor ſiquidem Deo ſummus eſt, illum venerari, & imitari. Imitaris, ſi pius es &c.*

18 Allegatos videbis in hanc ſententiam nonnullos Scripturæ locos, veluti illum Levitici (*b*): *Sancti eſtote, quoniam ego Sanctus ſum*, alioſque etiam. Sed præſtare mihi videtur locus ille Matthæi (*c*): *Diligite inimicos veſtros; benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro perſequentibus, & calumniantibus vos; ut ſitis filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt*; ideſt, ut recte interpretatur Petavius (*d*), *ut ſitis ſimiles Patris veſtri, qui in cœlis eſt.*

Et in hanc quidem opinionem ii omnes fere conſentiunt, qui ſimilitudinem ab imagine Dei nobis impreſſa ſeparant.

19 Ut ad imaginem Dei nobis inditam veniam, ſex ea de re opinionum genera, & veluti ſuprema capita video. Nonnulli ſcilicet in corporeo aliquo eam imaginem poſitam voluere. Alii in attributo aliquo ſpirituali, quo homo cum Deo conveniat, eaque de cauſa ad imaginem illius ſit. Id deſignare dum ſtudent, explicareque, in varias ſententias abeunt, e quibus potiſſimas deinceps expendam. Alii in ſimilitudine expreſſiori collocant, quam hominem inter, & Deum ſive in ſua natura inſpectum, ſive quatenus trinus eſt, aut quatenus expers peccati eſt, aut demum quatenus beatus eſt, ſtatuunt. Alii in eo, quod ſicut Deus perfectiſſimum ens eſt, ita homo perfectiſſima creatura. Alii imaginem hanc in Chriſto perquirunt; monentque, ideo Adamum Deo *ſimilem*, & *ad illius imaginem* fuiſſe dictum, quia conditus eſt ſimilis Chriſto, ideoque Deo non in ſua natura ſpirituali inſpecto, ſed quatenus carnem aſſumpſit, aut apparentem, quum hominem condidit, illique deinceps, & Patriarchis, & prophetis apparuit; aut realem, ac ſubſtantialem, cum in puriſſimo Mariæ Virginis utero *incarnatus*

(*a*) Meditat. *de cognitione humanæ conditionis* cap. 6. pag. 371 Tomi II editionis Ven. anni 1727. (*b*) cap. XI. verſ. 44. (*c*) cap. V. verſ. 44, & 45. (*d*) de Opific. lib. II. 2. 10.

Digitized by Google

tus eſt. Alii demum hanc imaginem fatentur quidem in homine eſſe, ſed in quo poſita ſit, ſe ignorare aſſerunt.

20 Ut a primo ſententiarum capite exordiamur, Audiani, referente Epiphanio (*a*), *quod ad imaginem Dei creatus Adamus dicitur, præfracte referendum ad corpus exiſtimabant. Cum enim ſcriptum ſit: Faciamus hominem ad imaginem noſtram, & ſimilitudinem, ſtatim illud ſubjicitur: Deum ſumpto de terra pulvere hominem fabricaſſe. Cum igitur hominem de terra formatum aſſerat, vides totum illud e terra conflatum veriſſime hominem vocari. Ex quo ſequitur de terreno illo prædictum, fore, ut ad imaginem Dei conderetur*.

Audianos hac in re ſequuti ſunt Anthropomorphitæ ea ſimilitudine innixi, quam divinum inter, & humanum corpus ineſſe fingebant.

21 Sed hæc quis ferat? An Deus in humano corpore ſui imaginem imprimet, qui prorſus ſpiritualis eſt, & corporea quavis mole carens? Ea, quę adverſus Anthropomorphitas Theologi diſputant, ſententiam hanc tam vehementer evertunt, ut in ea refellenda conſiſtere non ſit opus. Tantummodo itaque hic Auguſtinum afferam, ne videar Optimi Doctoris auctoritatem contemnere. „ Vos autem fratres (inquit „ ille (*b*)) conſiderate vos homines „ factos ad imaginem, & ſimilitudinem „ Dei. Imago Dei intus eſt, non eſt „ in corpore, non eſt in auribus iſtis, „ quas videtis, & oculis, & naribus, & „ palato, & manibus, & pedibus; ſed „ eſt facta tamen; ubi eſt intellectus, „ ubi eſt mens, ubi ratio inveſtigandæ „ veritatis, ubi eſt fides, ubi eſt ſpes „ veſtra, ubi caritas veſtra, ibi habet „ Deus imaginem ſuam.

Et alibi (*c*): „ Porro autem, Cariſſimi, meminiſſe debemus, ad imaginem „ Dei nos eſſe factos, nec alibi quam „ in ipſo intellectu. Nam in multis re„ bus a beſtiis ſuperamur: ubi autem „ homo ad imaginem Dei factum ſe „ novit, ibi aliquid in ſe agnoſcit am„ plius eſſe, quam datum eſt pecoribus. „ Conſideratis vero omnibus rebus, quas „ habet homo, invenit ſe eo proprie „ diſcretum a pecore, quod ipſe habeat in„ tellectum. „ Sed & illam opinionem adverſus Audianos diſſerens Epiphanius a veriſimilitudine remotiſſimam oſtendit (*d*). Id quoque peragit Theodoretus (*e*), & breviſſime Zeno (*). Poſſe tamen aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, docet Petavius (*f*), & vadem Auguſtinum affert, cujus verba deinceps adducam (*g*), ac Damaſcenum (*h*).

22 Ut ad eos gradum faciam, qui eamdem imaginem in attributo aliquo ſpirituali, quo homo cum Deo conveniat, eaque de cauſa illi ſimilis ſit, ſitam volunt, eam in virtute non pauci collocant, atque in hanc opinionem facile eos deduces Patres, quos allegat Petavius numero x, & xi capitis II libri II *de opificio ſex dierum*. Sunt porro Ambroſius (*i*) tum in eo, quem jam allegavi (*k*), loco, tum etiam alibi hæc tradens (*l*): *Solus enim Chriſtus eſt plena imago Dei, propter expreſſam in ſe paternæ claritudinis unitatem. Juſtus autem homo ad imaginem Dei eſt, ſi propter imitandam divinæ converſationis ſimilitudinem, mundum hunc Dei cognitione contemnat; voluntateſque terrenas verbi perceptione deſpiciat, quo alimur in vitam; unde & corpus Chriſti edimus, ut vitæ æternæ poſſimus eſſe participes:* Chryſoſtomus, Severianus Gabalitanus (*m*), auctor homiliæ, quæ ſic inſcribitur: *quod homo imaginem Dei per peccatum abjecit*, Cyrillus Alexandrinus, & Gelaſius hiſtoriæ Nicęni

V

(*a*) hæreſ. lxx num. 2. (*b*) enarrat. in pſ. 48. n. 11. (*c*) enarrat. in Pſ. 54. n. 3.
(*d*) hæres. 70. n. 2. (*e*) quæſt. 20 *in Geneſ.* (*) lib. II. *tract.* 19, & 20 pag. 206, & 207. Edit. Veron. Balleiin. (*f*) de Opiſ. lib. II. 2. 3. (*g*) n. 47.
(*h*) Eclog. litter. A. n. 72. (*i*) De bono mortis cap. 5. n. 17. (*k*) n. 15. (*l*) In cap. xii Lucæ lib. x. (*m*) Orat. V de mundi creatione n. 4. pag. 484 Tom. vi editio. Montfaucon.

Digitized by Google

ni Concilii auctor (*a*). Diligentiſſime porro, & copioſe eamdem ſententiam exponit, & approbat Theodoretus, quem legas opto (*b*).

23 His adjunge Hieronymum Aretinum, quem antea etiam allegavi. En vero quæ tradit (*c*) hic auctor, ut nobis perſuadeat, imaginem Dei in remotione a peccatis, &, ut ipſis hujuſce auctoris verbis utar, in *munditia* eſſe poſitam. Explicans verba illa Chriſti: *beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt:* hęc de imagine Dei homini impreſſa docet. „ Munditia cordis ſexto loco ponitur, „ quia ſexto die homo conditus eſt ad „ imaginem Dei: hæc enim munditia „ eſt imago Dei, qua clare Deum omni„ bus perturbationibus remotis, & omni „ caligine vitiorum remota videmus; quo„ niam illi dicuntur mundo corde, qui exu„ tis omnibus medullis (*d*) ſecularium re„ rum, intuitum mentis in ſolo Deo „ contemplando figunt. Hæc imago ob„ tenebrata erat in homine per culpam, „ ſed modo reformata eſt per gratiam „ Dei. Et nunc in ſexta die, ideſt in „ ſexta ætate iterum factus eſt homo ad „ imaginem Dei. Hæc contemplatio, „ Dei imago eſt, quia per eam nobis „ Deum imaginamur, & quaſi per ima„ ginem videmus Deum, quando meri„ to plus aliis ſequimur: quia niſi præ„ cedat mundum cor in homine, non „ creatur (*imago*). „ Sententiam hanc minime improbo: etenim in iis quæſtionibus, in quibus multum ambiguitatis in voce ipſa, illiuſque uſurpatione ineſt, ſignificationes valde diſſitas eidem voci tribuere poſſumus. Hoc tamen videtur explicatio illa habere incommodi, quod *imagini* tribuit, quod Viri clariſſimi, adeoque ipſe Hieronymus Aretinus, *Similitudini* tribuunt. Et paucos ſane invenies, qui Dei imaginem ab initio homini impreſſam, per peccatum abolitam affirment.

Hinc Auguſtinus quod in capite 27, & 28 lib. VI *de Geneſi ad litteram* de imagine Dei per peccatum deperdita dixerat, ad hunc modum imminuit, & veluti emendat (*e*). *In ſexto libro quod dixi*, Adam imaginem Dei, ſecundum quam factus eſt, perdidiſſe peccato, *non ſic accipiendum eſt, tanquam in eo nulla remanſerit, ſed quod tam deformis, ut reformatione opus haberet.*

Rationem vero hujuſce ſuæ perſuaſionis adducit, cum monet in aliquo perenni, & ſemper duraturo eam, de qua agimus, imaginem eſſe collocandam (*f*): *abſit autem* (inquit), *ut cum animæ natura ſit immortalis, nec ab initio quo creata eſt, unquam deinceps eſſe deſiſtat, id quo nihil melius habet, non cum ejus immortalitate perduret. Quid vero melius in ejus natura creatum eſt, quam quod ad ſui Creatoris imaginem facta eſt? Non igitur in fidei retentione, contemplatione, dilectione, quæ non erit ſemper, ſed in eo quod ſemper erit, invenienda eſt, quam dici oporteat, imaginem Dei.*

24 Sed alii non in accidentalibus, ut ita appellem, qualitatibus his collocant, ſed in eſſentialibus; differunt autem, dum hoc ipſum definire ſtudent, & ſtabilire. Atque in ſpiritu ipſo, ſeu anima hominis non pauci eam imaginem ſtatuunt. At minime conveniunt, num in intelligentia, num in voluntate, num in utroque eadem imago ſit collocanda.

Hæc docet, Gelenio interprete, Philo (*g*): *Dicitur imago juxta mentem rectricem animæ: ad illud enim ſingulare, ceu archetypum in unoquoque mens effigiata, eſt quodammodo Deus ejus, qui ipſam circumfert.* Philonem ſequi videtur Clemens Alexandrinus (*h*) „ hominem monens ad Dei imaginem eſſe „ factum, non propter ſtructuræ ſuæ figu-

(*a*) in locis ab eodem Petavio allegatis cap. 2 lib. 2. *de Opiſ.* n. 10, & 11. (*b*) quæſt. xx in Geneſim. (*c*) in Sermone *in feſtivitatem omnium Sanctorum*. (*d*) In codice: *midull.* quæ quidem vox quid denotet, prorſus ignoro: ſed fortaſſe ſordes denotat. (*e*) lib. II *retract.* cap. 24.
(*f*) lib. xiv *de Trini.* cap. 3. num. 4. (*g*) De opific. pag. 13 edit. Lugdun. anni 1561.
(*h*) lib. vi. Strom.

Digitized by Google

„ figuram, ſed quoniam uti Deus ratione „ molitur omnia, ſic homo qui perfecta „ cogitatione præditus eſt, ex rationali „ facultate bonas, & honeſtas actiones „ exſequitur. Affinia tradit Zeno (*).

25 Eidem opinioni accedit Auguſtinus (*a*); quippe poſtquam retulit verba illa: *fecit ergo Deus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam*, hæc ſubjicit: *talem quippe illi animam creavit, qua per rationem atque intelligentiam omnibus eſſet præſtantior animalibus terreſtribus, & natatilibus, & volatilibus, quæ mentem hujuſmodi non haberent*.

Alibi brevius, ſed non minus expreſſe (*b*): *Non diſtas a pecore, niſi intellectu: noli aliunde gloriari.... Unde ergo melior es? Ex imagine Dei. Ubi imago Dei? In mente, in intellectu*.

26 Prudentium, quem deinceps allegabimus, in eandem ſententiam merito adduces; Theodoretum quoque, ſeu, ut aptius loquar, eos, quos Theodoretus allegat, qui collocabant *in poteſtate judicandi* homini tributa, eam, de qua diſputamus, imaginem. Nimirum ſi penitus eorum ſenſa perpendas, facile ad intelligentiam, ſeu ad intelligendi, diſcernendique poteſtatem ac vim opinio ea deducitur. Quod ſi pronunciat Theodoretus, non eſſe plane ſimilem Divinæ intelligentiæ humanam intelligentiam (*c*), quis ea de re ambigat? Sed aliud eſt eſſe utcunque Deo ſimilem in intelligentia ipſa hominem, aliud eſſe prorſus ſimilem. Poſtremum hoc, quod merito rejicit Theodoretus, & nos rejicimus; primum facile admittimus. Sed quæcunque ſenſerit Theodoretus, eam ſane, quam hic propoſuimus opinionem ſi quis alterius, nec recentis, nec contemnendi Scriptoris auctoritate confirmare cupiat, atque illuſtrare, adeat, obſecro, quæ auctor libri *de ſpiritu, & anima* ea de re tradit (*d*). Conſulat autem rogo editionem Patrum S. Mauri (*e*); nam in margine capitis XXXVI, quod allego, citata inveniet nonnulla Bernardi loca, ex quibus Scriptor iſte excripſiſſe videtur quæ ea de re docet.

27 In Voluntate porro conſtituunt eamdem imaginem qui in libertate collocant. Atque his favet Tertullianus hæc docens (*f*): *liberum, & ſui arbitrii, & ſuæ poteſtatis invenio hominem a Deo inſtitutum: nullam magis imaginem, & ſimilitudinem Dei in illo animadvertens, quam ejuſmodi ſtatus formam*. Et deinceps (*g*): *oportebat imaginem, & ſimilitudinem Dei liberi arbitrii, & ſuæ poteſtatis inſtitui, in qua hoc ipſum imago, & ſimilitudo Dei deputaretur; arbitrii ſcilicet libertas, & poteſtas*.

28 Hieronymus quoque hæc ſcribens (*h*): *Solus Deus eſt, in quem peccatum non cadit. Cetera cum ſint liberi arbitrii (juxta quod & homo ad imaginem, & ſimilitudinem Dei factus eſt), in utramque partem, ſuam poſſunt flectere voluntatem*.

Titus Boſtrenſis ſimiliter hæc elocutus (*i*): *Hominem Deus honoravit, fabricans eum ad imaginem ſuam: ut ſicut ipſe libertate naturæ bonus eſt, ſic homo libertate propoſiti imitator Dei eſſet, non abſtinens a peccato, quia deſit naturæ ipſi poteſtas, ſed libertate propoſiti virtutem honorans*.

29 An non vero imaginem Dei, de qua diſſerimus, in libertate ſtatuit Macarius, quando hæc docet (*k*)? *Tu vero propterea es ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quoniam uti Deus ſui juris*

V 2

(*) lib. II tra. 19, & 20. (*a*) lib. XII *de Civitate* cap. 23. (*b*) Tract. III in Joan.

(*c*) *Rurſum ad inſtar Dei omnium conditoris, regnat homo, & judicat. Verum Deus accuſatoribus, aut teſtibus minime indiget, quando judicat. Sic enim Cain condemnavit tanquam ſceleris ejus inſpector. Homo vero in judicando teſtibus opus habet, & accuſatoribus, quum ignoret ea, quæ perpetrata ſunt.* (*d*) cap. 36. (*e*) in append. Tomi VI Auguſtin. pag. 35.

(*f*) lib. II *contra Marcion.* cap. V. (*g*) cap. VI. (*h*) In Epiſt. olim 145. In editione Veronenſi Ep. 21 ad Damaſum n. 40. (*i*) lib. II contra Manich. (*k*) hom. XV.

juris, ac poteſtatis eſt, & quod vult facit.....ita etiam tu poteſtatis es tuæ &c.

30 Marius Victor horum numero ſociandus eſt: quippe hæc Deum loquentem inducit:

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

31 Hos ſequuntur Damaſcenus, & Bernardus. Horum primus hæc ait (*a*): „Cum ad imaginem beatæ, & ſuperſubſtantialis divinitatis homo ſit factus, ſit autem divina natura per ſe libera, ſuique juris, ac voluntate prædita, conſequens eſt hominem velut ipſius imaginem liberum eſſe natura ſua, & voluntate præditum. Bernardus vero (*b*) monet, *in libertate arbitrii imaginem Dei* eſſe poſitam.

32 In intelligentia porro potiſſimum; ſed & in libertate etiam eamdem imaginem ponere videtur Ambroſius hæc ſcriptis mandans (*c*). „Non ergo caro poteſt eſſe ad imaginem Dei, „ſed anima noſtra, quæ libera eſt, & „diffuſis cogitationibus, atque conſiliis „huc atque illuc vagatur, quæ conſiderando ſpectat omnia. Ecce nunc ſumus in Italia, & cogitamus ea, quæ „ad Orientales, aut Occidentales partes ſpectare videntur, & cum illis verſari videmur, qui in Perſide ſunt conſtituti, & illos videmus, qui degunt „in Africa, ſi quos cognitos nobis ea „terra ſuſceperit: ſequimur proficiſcentes, inhæremus peregrinantibus, copulamur abſentibus, alloquimur ſeparatos, defunctos quoque ad colloquium „reſuſcitamus, eoſque, ut viventes, complectimur, & tenemus, & vitæ officia his, uſumque deferimus. Ea igitur eſt *ad imaginem Dei*, quæ non „corporeo æſtimatur, ſed mentis vigore: „quæ abſentes videt, tranſmarina viſu obit, percurrit adſpectu, ſcrutatur „abdita, huc, atque illuc uno momento ſenſus ſuos per totius Orbis fines, „& mundi ſecreta circumfert: quæ Deo „jungitur, Chriſto adhæret, deſcendit „in Infernum, atque adſcendit, libera „verſatur in cœlo. Denique audi dicentem: *noſtra autem converſatio in cœlis eſt.* „

In eamdem opinionem facile deduces auctorem *inſtructionis ſacerdotis*, ſive Bernardus is ſit, ſiue alius quiſpiam, quem num. 16 allegavi. *Ad imaginem, ut haberes memoriam* &c.

33 In eximia exiſtendi in corpore, illudque animandi, & præclariſſime agendi ratione eamdem imaginem invenit auctor libri *de ſpiritu, & anima*, qui pridem Auguſtino tribuebatur. Atque illius quidem ingenioſa monita referre placet, ut ea ſcilicet expendat lector, conferatque cum iis ſcriptoribus, quos in hujus opuſculi margine PP. S. Macri alleg. nt (*d*). „Nec ob hoc ſolum quidem, quod ad conſilium ſanctæ Trinitatis ſic excellenter a Conditore conditus *homo* eſt, ſed etiam quod ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam Creator omnium eum creavit, quod nulli alteri ex creaturis donavit. Quæ „imago diligentius in interioris hominis dignitate, & nobilitate eſt conſideranda. Primo quidem quod ſicuti „Deus unus ſemper ubique totus eſt, „omnia vivificans, movens, & gubernans, ſicut Apoſtolus ait (*e*), quod *in eo vivimus, movemur, & ſumus*, ſic „anima in ſuo corpore ubique tota „viget, vivificans illud, movens, & „gubernans. Nec enim in majoribus „corporis ſui membris major eſt, & in „minoribus minor ſed in minimis tota eſt, & in maximis tota. Sic infuſa eſt

(*a*) lib. III. *de fide Orthod.* cap. XII. (*b*) de grat. & lib. arbitrio cap. IX, num. 18. (*c*) Hexam. cap. 8. alias n. 45. (*d*) cap. 35. (*e*) Actor. cap. XVII verſ. 28.

Digitized by Google

„eſt corpori, ut non per membrorum „partes partibus ſit diviſa. Nam in „quolibet loco pars corporis percutitur, „tota dolet. Miro autem modo una „eademque vivificatione membris præ„ſidens, cum ipſa per naturam non ſit „diverſa, per corpus tamen agit diver„ſa. Ipſa quippe eſt, quæ per oculos „videt, audit per aures, per nares o„doratur, per os guſtat, per membra „omnia tangit, & tangendo, lene ab „aſpero diſcernit, & cum non ſit di„verſa, per ſenſus tamen operatur di„verſa. Ex qua re intelligitur, quod „ita eſt anima ſecundum ſuum modum „in ſuo corpore, ſicut Deus eſt in ſuo „Mundo. Interius ſiquidem, & exte„terius, ſuperius, & inferius eſt: re„gendo ſuperior, portando inferior, re„plendo interior, circumdando exte„rior. Sic eſt intus, ut extra ſit, ſic „circumdat, ut penetret, ſic præſidet, „ut portet, ſic portat, ut præſideat. „Et ſicut Deus nec creſcentibus crea„turis creſcit, nec decreſcentibus de„creſcit: ſic anima nec minutis mem„bris minuitur, nec adauctis augetur. „Hæc eſt imago, ſive ſimilitudo omni„potentis Dei, quam anima habet in „ſe. „

34 Eadem prorſus monuit auctor libri *de dignitate conditionis humanæ*, qui diu Ambroſius creditus eſt, dum hæc ſcriptis tradidit (a). *Sicut Deus unus ſemper ubique totus eſt, omnia vivificans, omnia movens, & gubernans: ſic anima in ſuo corpore ubique tota viget, vivificans, movens illud, & gubernans.*

35 Æternitatem animæ, dum alios recenſet titulos, aut ipſiſſimos ſcilicet, quos antea deſcripſimus, aut iis prorſus affines, in quibus etiam eam, quam dicimus, imaginem ſtatuit, commemorat Prudentius, hæc ſcriptis mandans (b):

Eſt ſimilis ſeclis quod non conſumitur ullis,
Quod ſapiens, juſtique capax, regi-naque rerum
Imperat, antevidet, perpendit, prćcavet, inſtat,
Verborum, motumque opifex, inſtructaque mille
Artibus, & cœlum ſenſu percurrere docta
His animam ſimilem ſibi conditor effigiavit.

Atque cum laude quidem, ac merito hæc junxit Prudentius. Etenim ſi unumquodque horum attributorum ſeorſum ſumpſeris, minime videntur idonea, ut Dei imaginem in anima conſtituant. Et ſane ſi hæc attendas, Deo ſimiliorem Angelum præ homine dices, quippe clarius elucent iſta in Angelo, quam in homine. Tamen num Angelo impreſſa ſit ea, de qua agimus, Dei imago, merito dubitatur. Quid? quod, ſi de æternitate diſputamus, non ea eſt hujuſmodi, ut per ſe ſola Dei ſimilem faciat. An non materiam, qua empyreum conſtat, æternum duraturam facimus? Quis tamen Dei ſimilem illam dicat, aut Dei imaginem in ea collocet? Dæmones ipſi, & animæ quæ in inferis cruciantur, perpetuo perſtabunt. An ſimiles propterea Deo?

Atque hæc quidem ipſa adhibe, ſi vis, ſi forte quiſpiam Fauſti Regienſis, & Maximi martyris auctoritate ſuffultus (c), eam, quam dicimus, Dei imaginem in æternitate collocet.

36 In potentia conſtruendi ſtabiliendique ædificia alii collocarunt: quorum ſententiam & expoſitam, deſcriptam-

(a) In libro *de dignita. condit. humanæ* cap. 2. Vide obſecro quæ de hoc Scriptore docent PP. S. Mauri pag. 612 appendic. Tomi II Ambroſii. Illud certum eſt, hæc, aliaque hujus opuſculi verba eodem ſpectantia extare in opuſculo illo Alchuvini, qui inſcribitur: *dicta B. Albini Levita ſuper illud Geneſis*: Faciamus hominem &c. adeo ut conſtet opuſculum *de dignitate hominis* inſcriptum, eſſe potiſſimum ex Alchuvino conſarcinatum.

(b) In Apotheos. ſub titulo *de natura animæ* verſ. 21. (c) Lege Petav. *de Opific.* lib. II. 2. 14.

ptamque, & rejectam pariter vidi ad hunc modum (*a*): „ Reperiuntur & alia, in quibus homo Deum imitatur. „ Siquidem ad imitationem Dei Creatoris homo conſtruit domos, parietes, „ civitates, portus, naves, navalia, „ currus, & alia infinita, veluti imagines, & figuras cœli, ſolis, lunæ, „ & ſtellarum, item hominum, & animalium irrationalium formas; infinita „ tamen eſt in ratione condendi diverſitas. Nam Deus omnium ex iis, quę „ ſunt, & non ſunt, creat, idque ſine „ labore, & tempore: quia ſimul atque „ voluerit, producit quod ei placuerit. „ Homo vero materia opus habet, indiget inſtrumentis, conſilio, tempore, „ & labore, ac ſolidis artibus ad opus „ conſtruendum. Siquidem architectus „ indiget fabro ærario, faber autem ærarius metallis, & carbonibus: ſimiliter & omnes qui ligna cædunt, iis „ qui plantas, aut terram excolunt. Atque hoc pacto ars unaquæque ab aliis „ artibus uſum earum mutuatur: veruntamen homo, dum ita quippiam conſtruit, imitatur quodammodo creatorem, velut imago archetypum. Imago enim archetypi figuram habet: verum quum membrorum ſpeciem habeat, actiones tamen non habet. Caret enim anima, per quam movetur „ corpus.

37 Collocant alii in ſimilitudine cum Trinitate Sanctiſſima. At quum eamdem ſimilitudinem ſtudioſius deſignare contendunt, aliquantum diffident. Nonnulli qui Damaſcenum allegant (*b*) (quam recte, viderint alii), alias quidem rationes afferunt, ſed hanc pariter, quod divinas proceſſiones Adam ſit imitatus: & quod ipſe non ſit genitus, Abel genitus, Heva proceſſerit. Auctor vero libri *de ſpiritu, & anima*, quem antea etiam allegavi, paulo aliter rem proponit, monetque duas imagines Sanctæ Trinitatis poſſe in anima conſiderari: primam in eo, quod ſicut Deus eſt, vivit, & ſapit, ita anima ſecundum ſuum modum eſt, vivit, & ſapit. (Qua in re convenit prorſus auctor libelli *de dignitate conditionis humanæ*, hæc expreſſiſſime docens: *Sicut Deus eſt, vivit, & ſapit, ita anima ſecundum ſuum modum eſt, vivit, & ſapit*). Secundam in variis convenientiis, quas habet anima cum Trinitate Sanctiſſima. Poſtremum hoc, quod fuſius auctor ille proſequitur, iiſdem verbis exponere placet, quibus ille enarrat (*c*): „ Quamdam etiam ſanctæ Trinitatis habet imaginem: primo in eo, quod ſicut Deus eſt, vivit, „ & ſapit, ita anima ſecundum ſuum „ modum eſt, vivit, & ſapit. Eſt quoque & alia Trinitas in ea; quia ad „ imaginem perfectæ quidem, & ſummæ Trinitatis, quæ eſt in Patre, & „ Filio, & Spiritu Sancto, condita eſt. „ Et licet unius ſit naturæ anima, tres tamen in ſe vires habet, ideſt intellectum, voluntatem, & memoriam; „ quod idem, licet aliis verbis, in Euangelio deſignatur, cum dicitur: *diliges Dominum Deum tuum ex toto „ corde tuo, & ex tota anima tua, & „ ex tota mente tua*; ideſt ex toto intellectu tuo, & ex tota voluntate „ tua, & ex tota memoria tua. Nam „ ſicut ex Patre generatur Filius, & ex „ Patre, Filioque procedit Spiritus Sanctus, ita ex intellectu generatur voluntas, & ex his ambobus procedit „ memoria, ſicut facile a ſapiente quolibet poteſt intelligi. Nec enim anima perfecta poteſt eſſe ſine his tribus, „ nec horum trium aliquod ſine aliis „ duobus integrum conſtat, quantum ad „ ſuam pertinet habitudinem. Et ſicut „ Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus; non tamen tres Dii, „ ſed unus Deus, & tres perſonæ; „ ita anima intellectus, anima voluntas, „ anima memoria, non tamen tres a-

„ nimæ

(*a*) Theodoret. quæſt. xx in Geneſim, Joanne Pico interprete. (*b*) Ex eo libro, quem inſcripſit: *quomodo ad imaginem Dei facti ſumus*. Tomo I editionis le Quien pag. 573. (*c*) Cap. 35.

„nimæ in uno corpore, ſed anima una, „& tres vires. Atque in his tribus di„vinam imaginem gerit mirabiliter in „ſua natura noſter interior homo, & „ex his quaſi excellentioribus animæ „viribus jubemur diligere Conditorem, „ut in quantum intelligitur, diligatur, „& in quantum diligitur, ſemper in „memoria habeatur. Nec ſolum ſuffi„cit de eo intellectus, niſi fiat in a„more ejus voluntas. Immo nec hæc „duo ſufficiunt, niſi memoria addatur, „qua ſemper in mente intelligentis, & „diligentis maneat Deus. Ut ſicut nul„lum poteſt eſſe momentum, quo ho„mo non utatur, vel fruatur Dei bo„nitate, & miſericordia; ita nullum „ſit momentum, quo præſentem non „habeat eum in memoria. Et ideo mi„hi juſte videtur dictum, noſtrum in„teriorem hominem eſſe imaginem Dei.„ In hac ipſa poſtrema deſcriptione congruit auctor libelli, qui *de dignitate hominis* inſcribitur, & aliquando Ambroſio (quod jam diximus) tributus eſt. De cujus quidem libelli auctore vide quæ ad num. 34 tradidimus.

38 Auguſtinus autem, & Theodoretus diu ante hos Scriptores idem ipſum argumentum perſequuntur. In eo vero illam, de qua agimus, animæ cum Trinitate Sanctiſſima ſimilitudinem collocat Auguſtinus (*a*), ut divinis Perſonis hæc tria reſpondeant, mens, amor, & notitia, ſeu cognitio. Vel memoria, intelligentia, voluntas.

39 Eam, de qua agimus, ſimilitudinem, per ſimilitudinem, quam habet homo cum Trinitate Sanctiſſima, pariter explicat Hieronymus Aretinus (*b*), & eadem fere, atque Auguſtinus, proponit. En quæ tradit ille (*c*). „Cum autem dixit *ſi„militudinem*, hic addit *noſtram*, refe„rens ſimilitudinem ad Trinitatem, „quoniam in homine eſt quædam ſimi„litudo Trinitatis: creavit namque „Deus tria in homine, memoriam, intel„lectum, voluntatem, per quam cum „Trinitate individuam quandam habet „ſimilitudinem. Patri namque per me„moriam aſſimilatur: Filio per intelle„ctum conformatur: Spiritui Sancto per „voluntatem compaginatur. Nam ſicut „Pater a nullo eſt, ſed ab eo eſt Filius, „ſic memoria cum ſit vis animæ, a „nulla earum eſt, ſed ab ea eſt intel„lectus. Sicut vero Spiritus Sanctus a „Patre procedit, & a Filio; ſic volun„tas a memoria, & intellectu: niſi e„nim memoria rem prius attingeret, „nec intellectus eam caperet, nec eam „voluntas conſequenter appeteret. Ecce „quomodo factus eſt homo *ad ſimilitu„dinem* Dei.

Non abſimilis eſt Theodoreti ſententia; hæc quippe ait (*d*): *Habet enim ipſa* (anima humana) *facultatem rationalem, & vitalem in ſe: & mens quidem producit ſermonem, concurrit autem cum ſermone ſpiritus, non generatus quidem, quemadmodum ſermo, ſed perpetuo conſequens ſermonem, & cum eo, dum editur, concurrens*.

Damaſcenus porro aliam invenit inter humanam animam, & Trinitatem Sanctiſſimam convenientiam: & hæc eſt (*e*): *Sicuti Pater, qui eſt mens, & Filius Verbum, & Spiritus Sanctus unus Deus ſunt: ſic mens verbum, & Spiritus unus homo*. Atque hæc quidem, quæ, uti in margine notavi, deſumuntur ex oratione III *de imaginibus*, fere repetuntur in Opuſculo inſcripto: *Quomodo imago Dei impreſſa ſit homini*.

40 An hæc rigoroſe ſumimus? Nihil minus. Enim vero ſi primam explicationem inquiſitioni ſubjicimus, aliqua occurrunt, quæ difficultati non levi ſubſunt. Profecto quæcunque ea fuerit, ſive imago, ſive ſimilitudo, ſive utrumque horum, non ea erat deſitura in Ada-

(*a*) lib. IX de Trinit. cap. IV, & ſeq. Rurſus lib. XII, & capite poſtremo libri XIV.
(*b*) Vide quæ de eo diximus ad num. 11. (*c*) in ſermo. in Dom. XX *poſt Pentecoſt*.
(*d*) Quæſt. XX in Geneſim. (*e*) Orat. III *de imagin.* n. 20.

Digitized by Google

Adamo, ſed ad illius poſteros producenda, ſi innocens perſtitiſſet. Non ergo in eo collocari illa poterit, quod ipſe non ſit genitus. Quod ſi rigoroſe ſumimus nomen *genitus*, quis genitum a Deo dicet Adamum? Profecto vox illa *rigoroſe* ſumpta conſubſtantialem indicat. An conſubſtantialis Deo Adamus eſt? Ad hæc: ſi animam ſpectas, a Deo creatus dicitur Adam, non genitus: ſi vero corpus, non genitus, ſed formatus Adamus dicitur, quippe ex corpore conſtat, quo non conſtat Deus, ipſaque illius anima ſpiritus eſt Deo longe inferior, utpote creatus, & mutabilis, & a divina ſubſtantia infinito intervallo diſtans. An itaque Adamus divini Verbi generationem exprimit? Quam ſi tamen omnino adhuc vis exprimere, advertas, obſecro, quam pulcre exprimat. An non Filium Adamus habuit, poſtquam ex illius coſta formata eſt Heva? An vero Filium habet Pater, poſtquam Spiritus Sanctus proceſſit? Cujus quidem proceſſionem per eductionem Hevæ ex coſta Adami indicari vis; quamquam, ut cetera omittam, formata eſt Heva ex coſta Adami; Spiritus Sanctus vero formatus non eſt, ſed ineffabili modo, & plane divino procedit. III Adamus filium habet ex muliere, non ex ſe tantum. An id exprimit divini Filii generationem? IV. Filios plurimos habuit Adam, eoſque & mares, & feminas, & probos, & improbos. An imago ea eſt generationis Unigeniti Dei? V. filium habuit Adamus ex Heva, quæ ex eo formata eſt, atque hujus quidem formatio Spiritus Sancti proceſſionem innuere dicitur. An filium habet Pater ex Spiritu Sancto? Hactenus in filii generatione perſtitimus.

41 Proceſſio porro Spiritus Sancti felicius non exprimitur per proceſſionem, ſeu productionem Hevæ ex Adami coſta. Etenim, ut id omittam, quod ante de eadem proceſſione dixi, ſane Spiritus Sanctus per ſpirationem procedit, nec ex ſolo Patre, verum etiam ex Filio procedit, atque ex amore Patris, & Filii procedit. An hæc ſimilitudinem, ſeu imaginem aliquam in proceſſione, ſeu potius in formatione Hevæ ex coſta Adami habent? Reſtat itaque (quod jam dixi) ut *latiſſime* accipiatur, non *rigoroſe* ſimilitudo, atque imago illa Trinitatis, quam n. 37 ex aliena ſententia deſcripſimus. Neque vero hæc in Damaſceno, quem in hanc explicationem allegatum vidi, expreſſe invenis. Num id ex eo fiat, quod codices alios ab iis, quos habuit le Quien, cujus editione utor, diverſos ii citent, neſcio: Sed hæc tantum in eo leguntur, quæ recitare hic libet (*a*): *Tertium genus imaginum eſt eorum, quæ per imitationem a Deo facta ſunt: puta homo .... Nam veluti Pater, qui mens eſt, & Filius item verbum, & Spiritus Sanctus unus Deus ſunt; ſic mens, verbum, & ſpiritus unus homo ſunt. Tum etiam propter arbitrii libertatem, & imperandi auctoritatem Deum imitatur: ait quippe: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: ſubditque: & dominamini piſcibus maris* &c. In opuſculo vero, quod inſcripſit: *quomodo ad imaginem Dei homo ſit*, magnam partem eorum repetit, quæ modo attulimus, tum hæc ſubjicit (*b*): *Quando de Deo ſermo eſt, unus Deus celebratur, & adoratur in tribus hypoſtaſibus, unaque deitas, una natura, una vis, & potentia, voluntas una: tres perſonæ, & tres hypoſtaſes, unaquæque cum ſua proprietate. Nam proprietas Patris eſt innaſcibilitas: proprietas Filii, nativitas: & proprietas ſpiritus, proceſſio. Deus eſt Pater, qui caret initio: Deus eſt Filius, qui perinde initium non habuit, quamlibet ſit ex Patre: Deus Spiritus Sanctus, utriuſque coæternus, ſimulque initii expers: ex Patre prodiens, non Filii more, ut genitus ſit, uti Filius, ſed proceſſione. Unum tria eſt deitate, inque tribus hypoſtaſibus.*

42 Aliæ

(*a*) Et Orat. III *de imagin.* n. xx. (*b*) pag. 573 tomi I editio. Vene.

Digitized by Google

42 Aliæ explicationes, quas præbent auctor libri *de ſpiritu, & anima*, auctor quoque libelli *de dignitate conditionis humanæ*, Auguſtinus, ac Theodoretus, eæ minus latæ videntur, & excipi commode poſſunt, dummodo primo ad hominem minime coarctes, ſed Angelo communes facias: ſecundo fatearis proceſſionum ordinem minutius ſervatum minime fuiſſe aliquando a præclariſſimis his doctoribus. Tertio, ex duabus, quas explicavimus ex Auguſtino, & Theodoreto, ſimilitudinibus, minus latam eſſe eam, quæ in mente, notitia, & amore, quam quæ in intelligentia, voluntate, & amore collocat, aut in affini alio. Et ſane Theodoretus ipſe de illa, quam num. 38 attulimus, opinione judicium hoc profert: *Sed hujuſmodi adſunt homini tanquam imagini: quam ob rem nec ſermo, nec ſpiritus per ſe ſubſiſtit. At in Sanctiſſima Trinitate tres intelligimus hypoſtaſes, eaſque ſine confuſione unitas, & per ſe ſubſiſtentes. Nam ante ſecula genitus eſt a Patre Deus Verbum, inſeparabilis autem eſt a genitore: & proficiſcitur a Deo & Patre Spiritus Sanctus, qui & intelligitur in propria hypoſtaſi*. Ea porro, quam ex Hieronymo Aretino ſubjecimus, explicatio hoc inſuper habet incommodi, quod dum memoriam reliquis duabus potentiis anteriorem facit, a communi philoſophorum omnium, & Theologorum perſuaſione recedit (ſtatuunt enim omnes intellectum memoria priorem eſſe), & plus æquo veterum Platonicorum, aliorumque Ethnicorum philoſophorum placitis accedit, qui ſcilicet ſtatuebant memoria animam, antequam corpori infunderetur, præditam eſſe, & luculenta multarum rerum, quas jam didicerat, notitia prædivitem. An Catholicus hæc proponet?

43 An vero imaginem Dei homini impreſſam dices, quod ſicut Pater, qui mens eſt, & Filius Verbum, & Spiritus Sanctus unus Deus ſunt; ſic mens, verbum, & ſpiritus ſint unus homo? An hæc, quæ in homine agnoſcimus, ſeu, ut expreſſius loquamur, in anima hominis, tres hypoſtaſes ſunt, & una ſubſtantia, ſeu eſſentia, ſicut Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus tres hypoſtaſes ſunt, & unus Deus? Si hujuſmodi convenientia ſufficeret ad imaginem Dei in homine ſtabiliendam, haud ægre utique in humano corpore eam collocares. Scilicet corpus ad eſſentiam hominis pertinet, nec ſine corpore percipi homo poteſt, ſicut nec ſine tribus divinis perſonis Sanctiſſima Trinitas. Quis tamen in corpore humano eam imaginem collocet? Conſtat itaque hujuſmodi ſimilitudines, ſeu, ſi appellare ita vis, *imagines*, minime *rigoroſas* eſſe, ſed latiſſimas: quod ſi tibi ſatis eſt, ego utique Sanctiſſimæ Trinitatis imaginem in anima impreſſam eſſe fatebor, propter eam etiam, quam ex Damaſceno attuliſti, rationem.

44 Qui imaginem, de qua agimus, in beatitudine collocant, qua demum potiturus eſt homo, cum in cœlis Deum videbit *facie ad faciem* (*a*), hæc Ambroſii verba afferunt (*b*). „ Non eſt „ ergo ad imaginem Dei, in qua Deus „ ſemper eſt? ſed audi, quia ad imaginem eſt Dei: dicit enim Apoſtolus „ (*c*): Nos itaque omnes revelata facie „ gloriam Dei ſpeculantes, ad eamdem „ imaginem reformamur a gloria in glo„ riam, ſicut a Domini ſpiritu.

45 Ego porro minime vereor fateri, in beatitudine collocari poſſe imaginem aliquam; quam tamen ſimilitudinem potius, quam imaginem appellare libuit Origeni, & Scriptori, quem illuſtramus (*d*). Sed præter eam, quam

vitæ

(*a*) Hanc imaginem in ſimilitudine expreſſiori collocant, quam hominem inter, & Deum, quatenus beatus eſt, ſtatuunt. Recole n. 19. (*b*) Hexaem. lib. VI cap. 8. n. 45. (*c*) II Corin. III. 18. (*d*) Recole n. 13.

vitæ alteri ſervavit Deus, aliam adhuc in hac, quam vivimus, vita, imaginem homini impreſſam fuiſse a Deo, plerique ſentiunt. Quam obrem ſi concedam, id quod contendunt, Ambroſii verbis (tametſi nonnihil obſcura ea ſint) ſignificari, non continuo fateor ad aliam, quæ mortem noſtram ſubſecutura eſt, vitam, eam, de qua agimus, imaginem protrahi debere. Et revera ut in Ambroſio ipſo conſiſtam, paulo ante Ambroſii ſententiam allegavi ex eo ipſo, quem citaverunt, numero 45 deſumptam, in qua quidem animæ noſtræ, *quæ libera eſt, & diffuſis cogitationibus, atque conſiliis huc atque illuc vagatur*, imaginem, de qua hic diſſerimus, inditam docet.

46 Eſtne porro aliud, in quo eamdem imaginem colloces? Eſt utique. Quodnam porro ſi expoſcas, ſtatim indicabo.

Ac primum quidem imago Dei dici utcunque poterit homo, quatenus ſicut Deus entium omnium, cauſarumque perfectiones, atque excellentias in ſe complectitur; quam ob rem *cauſſa cauſarum* appellatus eſt a philoſophis: ita homo perfectiones, atque excellentias creaturarum omnium in ſe complectitur; quam ob rem *microcoſmus*, ſeu parvus Mundus, & creatura omnium perfectiſſima eſt appellatus. Et de Deo quidem id, quod dixi, indubitatum eſt. Reſtat itaque, ut quod de homine tradidi, paucis oſtendam. Spectemus primo hominem, ut ita loquar, particulatim. Humanum corpus quam præſtans ſit, & brutorum animantium ſpeciem, ac formam quanto intervallo ſuperet, viri præſtantiſſimi jam pridem oſtenderunt, e quibus hic indico Lactantium, quem legas opto (*a*). Diu porro ante Lactantium Cicero (*b*): *Nobis* (inquit) *perſonam impoſuit ipſa natura cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquarum*. Et ipſe profecto aſpectus ac vultus hominis, quantum ille reliquas animantes excellentia vincat, ac dignitate, manifeſto oſtendit. Scilicet ſi eaſdem animantes intueris (*c*):

....Variis videas licet omnia diſcrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare ſenſus.
Unica gens hominum celſum levat altius cacumen,
Atque levis recto ſtat corpore, deſpicitque terras.

47 Pertractat hoc argumentum Auguſtinus (*d*), quippe qui innuere non veretur, poſſe aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, quod indicet nos meliores eſſe, quam beſtias: *omnium enim animalium corpora, ſive quæ in aquis, ſive quæ in terra vivunt, ſive quæ in aere volitant, inclinata ſunt ad terram, & non ſunt erecta, ſicut hominis corpus. Quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuperna ſua, ideſt in æterna ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maxime, adſtante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei*.

Idem alibi his verbis repetit (*e*): *Quomodo autem non ſit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad ſimilitudinem Dei, facile intelligit, qui diligenter attendit quod dictum eſt: Et fecit Deus omnia bona valde* (*f*). *Nemo enim dubitat, quin ipſe primitus ſit bonus. Corpus quoque hominis, quia ſolum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alium proſtratum eſt, cum ſit viſibile, ſed ad intuendum cælum erectum.... etiam quia tale eſt, ut ad contemplandum cœlum ſit aptius, magis in hoc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam cetera corpora animalium, factum videri poteſt.*

48 Quin & Potho Prumienſis (*g*) id

(*a*) lib. 1 *de Opificio*. (*b*) lib. 1 de Offic. (*c*) Boet. *de Conſolat.* lib. 5. 5. (*d*) lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 17. n. 28. (*e*) lib. lxxxiii quæſtionum, quæſt. 51. n. 2, & 3. (*f*) Gen. III. 1. (*g*) lib. 1 *de ſtatu domus Dei*, ſub finem Tom. IX Biblio. Pat. edit. Pariſ. pag. 569.

Digitized by Google

id ipſum innuit, quatenus pulcritudinem corporis ita commendat, ut teſtetur opus ſapientiæ per officia corporis diverſa monſtrari.

49 Sed cur Damaſcenum non allegamus? quippe ex antiquo Scriptore, quem Methodium in libro *de reſurrectione* eſſe ait P. le Quien, hæc docet (*a*): „Quis duram oſſium ſubſtantiam compegit? quis membra colligavit, ut „nervis tenderentur, & circa juncturas „inflexa laxarentur? Quis humores, „mollemque ex humo carnem, ſangui„ne eam perfundendo fermentavit? So„lus plane præſtantiſſimus artifex Deus, „qui hominem, ideſt ratione præditam, „& *animatam imaginem ſuam*, nos, „inquam, fabricavit, & ex humido, „& perexiguo ſemine in vulva matris, „velut e cera conformavit. Ecquis e„nim eſt, qui providet, ne fœtus hu„moris copia, & compreſſione vaſorum „obrutus, intus præfocetur? Aut quis, „poſtquam geſtatus utero eſt, & tan„dem in lucem editus, ex imbecillo, & „puſillo magnum, pulchrum, & robu„ſtum reddidit, niſi idem ipſe, quem „modo dicebam, præſtantiſſimus condi„tor Deus, qui potentiæ ſuæ efficaci„tate, inſtar pictoris cujuſdam, formas „in diverſum mutat? Deus immortalitatis „eſt, vita, & incorruptio: opus autem „Dei, homo .... At de homine non „item dixit, *Producat*; ſed: *faciamus* „*hominem ad imaginem noſtram*, & „*ſimilitudinem*. Et aſſumſit Deus pul„verem de terra, & effinxit eum. „ Affinia tradit in *parallelis* in eo loco, quem in calce paginę allego (*b*), quem Lector conſulat opto.

50 Quod ſi animum hominis attendis, inter hominem (ut rurſus verbis Ciceronis (*c*) utar) „ & belluam „hoc maxime intereſt, quod hæc tan„tum, quantum ſenſu movetur, ad id „ſolum quod adeſt, quodque præſens „eſt, ſe accommodat, paullulum ad„modum ſentiens præteritum, aut fu„turum. Homo autem, quod rationis „eſt particeps, per quam conſequentia „cernit, cauſſas rerum videt, earum„que progreſſus, & quaſi anteceſſiones „non ignorat, ſimilitudines comparat, „& rebus præſentibus adjungit, atque „annectit futuras: facile totius vi„tæ curſum videt, ad eamque regen„dam præparat res neceſſarias. Ea„demque natura vi rationis hominem „conciliat homini ad orationis, & ad „vitę ſocietatem: ingeneratque in pri„mis præcipuum quemdam amorem in „eos, qui procreati ſunt: impellitque, „ut hominum cœtus, & celebrationes „& eſſe, & a ſe obiri velit.

51 His adde, ne multos afferam, quæ docet hoc ſuper argumento Auguſtinus (*d*). Pauca ſeligo. *Non immerito* (inquit ille) *& iſte homo particeps dicitur ſimilitudinis Dei, non ſolum quia vivit, quod etiam in beſtiis apparet; ſed amplius quod ad mentem convertitur ſe regentem, quam illuſtrat ſapientia, quod in beſtiis non poteſt ratione carentibus*. Recole quæ ex Philone, Clemente Alexandrino, aliiſque Patribus n. 24, & 26, et rurſus n. 32 ex Ambroſio attulimus.

52 Conjunctio porro ipſa animæ, & corporis quamquam homini, poſtquam in peccatum decidit, ideoque poſtquam a præclariſſimo illo innocentiæ ſtatu, in quo conditus eſt, corruit, nonnihil incommoda ſit, quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, cum utiliſſima futura fuiſſet, ſi in antiqua dignitate, Deo obediens perſtitiſſet: ſuis tamen adhuc non caret emolumentis. Scilicet beatitudinis cumulatiſſimæ participem tandem aliquando faciet hominem, qua nimirum ille potietur, ſi corpore ad eum uſum utetur, propter quem conditus homo eſt; ut ſcilicet di-

 vinis

(*a*) In Eclog. ſeu Parall. litt. *A*. titul. VIII. edit. *le Quien* Tom. II. pag. 310. (*b*) pag. 760 (per errorem 748) Tomi II editionis Patris *le Quien*. (*c*) *De Officiis* lib. IV. II.
(*d*) de diverſis quæſtion. lxxxIII, quæſt. 51. n. 3.

vitæ alteri ſervavit Deus, aliam adhuc in hac, quam vivimus, vita, imaginem homini impreſſam fuiſse a Deo, plerique ſentiunt. Quam obrem ſi concedam, id quod contendunt, Ambroſii verbis (tametſi nonnihil obſcura ea ſint) ſignificari, non continuo fateor ad aliam, quæ mortem noſtram ſubſecutura eſt, vitam, eam, de qua agimus, imaginem protrahi debere. Et revera ut in Ambroſio ipſo conſiſtam, paulo ante Ambroſii ſententiam allegavi ex eo ipſo, quem citaverunt, numero 45 deſumptam, in qua quidem animæ noſtræ, *quæ libera eſt, & diffuſis cogitationibus, atque conſiliis huc atque illuc vagatur*, imaginem, de qua hic diſſerimus, inditam docet.

46 Eſtne porro aliud, in quo eamdem imaginem colloces? Eſt utique. Quodnam porro ſi expoſcas, ſtatim indicabo.

Ac primum quidem imago Dei dici utcunque poterit homo, quatenus ſicut Deus entium omnium, cauſarumque perfectiones, atque excellentias in ſe complectitur; quam ob rem *cauſſa cauſarum* appellatus eſt a philoſophis: ita homo perfectiones, atque excellentias creaturarum omnium in ſe complectitur; quam ob rem *microcoſmus*, ſeu parvus Mundus, & creatura omnium perfectiſſima eſt appellatus. Et de Deo quidem id, quod dixi, indubitatum eſt. Reſtat itaque, ut quod de homine tradidi, paucis oſtendam. Spectemus primo hominem, ut ita loquar, particulatim. Humanum corpus quam præſtans ſit, & brutorum animantium ſpeciem, ac formam quanto intervallo ſuperet, viri præſtantiſſimi jam pridem oſtenderunt, e quibus hic indico Lactantium, quem legas opto (*a*). Diu porro ante Lactantium Cicero (*b*): *Nobis* (inquit) *perſonam impoſuit ipſa natura cum excellentia, præſtantiaque animantium reliquarum*. Et ipſe profecto aſpectus ac vultus hominis, quantum ille reliquas animantes excellentia vincat, ac dignitate, manifeſto oſtendit. Scilicet ſi eaſdem animantes intueris (*c*):

....Variis videas licet omnia diſcrepare formis,
Prona tamen facies hebetes valet ingravare ſenſus.
Unica gens hominum celſum levat altius cacumen,
Atque levis recto ſtat corpore, deſpicitque terras.

47 Pertractat hoc argumentum Auguſtinus (*d*), quippe qui innuere non veretur, poſſe aliquo modo etiam corpus humanum ad imaginem Dei factum videri, quod indicet nos meliores eſſe, quam beſtias: *omnium enim animalium corpora, ſive quæ in aquis, ſive quæ in terra vivunt, ſive quæ in aere volitant, inclinata ſunt ad terram, & non ſunt erecta, ſicut hominis corpus. Quo ſignificatur etiam animum noſtrum in ſuperna ſua, ideſt in æterna ſpiritualia erectum eſſe debere. Ita intelligitur per animum maxime, adteſtante etiam erecta corporis forma, homo factus ad imaginem, & ſimilitudinem Dei.*

Idem alibi his verbis repetit (*e*): *Quomodo autem non ſit incongruum, quod dicitur etiam corpus factum ad ſimilitudinem Dei, facile intelligit, qui diligenter attendit quod dictum eſt: Et fecit Deus omnia bona valde* (*f*). *Nemo enim dubitat, quin ipſe primitus ſit bonus. Corpus quoque hominis, quia ſolum inter animalium terrenorum corpora non pronum in alium proſtratum eſt, cum ſit viſibile, ſed ad intuendum cœlum erectum.... etiam quia tale eſt, ut ad contemplandum cœlum ſit aptius, magis in hoc ad imaginem, & ſimilitudinem Dei, quam cetera corpora animalium, factum videri poteſt.*

48 Quin & Potho Prumienſis (*g*) id

(*a*) lib. 1 *de Opificio*. (*b*) lib. 1 de Offic. (*c*) Boet. *de Conſolat.* lib. 5. 5. (*d*) lib. 1. de Geneſi contra Manich. cap. 17. n. 28. (*e*) lib. LXXXIII quæſtionum, quæſt. 51. n. 2, & 3. (*f*) Gen. III.1. (*g*) lib. 1 *de ſtatu domus Dei*, ſub finem Tom. IX Biblio. Pat. edit. Pariſ. pag. 569.

id ipſum innuit, quatenus pulcritudinem corporis ita commendat, ut teſtetur opus ſapientiæ per officia corporis diverſa monſtrari.

49 Sed cur Damaſcenum non allegamus? quippe ex antiquo Scriptore, quem Methodium in libro *de reſurrectione* eſſe ait P. le Quien, hæc docet (*a*): „Quis duram oſſium ſubſtantiam compegit? quis membra colligavit, ut „nervis tenderentur, & circa juncturas „inflexa laxarentur? Quis humores, „mollemque ex humo carnem, ſangui„ne eam perfundendo fermentavit? So„lus plane præſtantiſſimus artifex Deus, „qui hominem, ideſt ratione præditam, „& *animatam imaginem ſuam*, nos, „inquam, fabricavit, & ex humido, „& perexiguo ſemine in vulva matris, „velut e cera conformavit. Ecquis e„nim eſt, qui providet, ne fœtus hu„moris copia, & compreſſione vaſorum „obrutus, intus præfocetur? Aut quis, „poſtquam geſtatus utero eſt, & tan„dem in lucem editus, ex imbecillo, & „puſillo magnum, pulchrum, & robu„ſtum reddidit, niſi idem ipſe, quem „modo dicebam, præſtantiſſimus condi„tor Deus, qui potentiæ ſuæ efficaci„tate, inſtar pictoris cujuſdam, formas „in diverſum mutat? Deus immortalitatis „eſt, vita, & incorruptio: opus autem „Dei, homo .... At de homine non „item dixit, *Producat;* ſed: *faciamus* „*hominem ad imaginem noſtram*, & „*ſimilitudinem*. Et aſſumſit Deus pul„verem de terra, & effinxit eum.„ Affinia tradit in *parallelis* in eo loco, quem in calce paginę allego (*b*), quem Lector conſulat opto.

50 Quod ſi animum hominis attendis, inter hominem (ut rurſus verbis Ciceronis (*c*) utar) „ & belluam „hoc maxime intereſt, quod hæc tan„tum, quantum ſenſu movetur, ad id „ſolum quod adeſt, quodque præſens „eſt, ſe accommodat, paullulum ad„modum ſentiens præteritum, aut fu„turum. Homo autem, quod rationis „eſt particeps, per quam conſequentia „cernit, cauſſas rerum videt, earum„que progreſſus, & quaſi anteceſſiones „non ignorat, ſimilitudines comparat, „& rebus præſentibus adjungit, atque „annectit futuras: facile totius vi„tæ curſum videt, ad eamque regen„dam præparat res neceſſarias. Ea„demque natura vi rationis hominem „conciliat homini ad orationis, & ad „vitę ſocietatem: ingeneratque in pri„mis præcipuum quemdam amorem in „eos, qui procreati ſunt: impellitque, „ut hominum cœtus, & celebrationes „& eſſe, & a ſe obiri velit.

51 His adde, ne multos afferam, quæ docet hoc ſuper argumento Auguſtinus (*d*). Pauca ſeligo. *Non immerito* (inquit ille) *& iſte homo particeps dicitur ſimilitudinis Dei, non ſolum quia vivit, quod etiam in beſtiis apparet; ſed amplius quod ad mentem convertitur ſe regentem, quam illuſtrat ſapientia, quod in beſtiis non poteſt ratione carentibus*. Recole quæ ex Philone, Clemente Alexandrino, aliiſque Patribus n. 24, & 26, et rurſus n. 32 ex Ambroſio attulimus.

52 Conjunctio porro ipſa animæ, & corporis quamquam homini, poſtquam in peccatum decidit, ideoque poſtquam a præclariſſimo illo innocentiæ ſtatu, in quo conditus eſt, corruit, nonnihil incommoda ſit, quoniam *corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*, cum utiliſſima futura fuiſſet, ſi in antiqua dignitate, Deo obediens perſtitiſſet: ſuis tamen adhuc non caret emolumentis. Scilicet beatitudinis cumulatiſſimæ participem tandem aliquando faciet hominem, qua nimirum ille potietur, ſi corpore ad eum uſum utetur, propter quem conditus homo eſt; ut ſcilicet divinis

 vinis

(*a*) In Eclog. ſeu Parall. litt. *A*. titul. VIII. edit. *le Quien* Tom. II. pag. 310. (*b*) pag. 760 (per errorem 748) Tomi II editionis Patris *le Quien*. (*c*) *De Officiis* lib. IV. II.
(*d*) de diverſis quæſtion. LXXXIII, quæſt. 51. n. 3.

Digitized by Google

vinis juſſibus obſequatur, & pareat. An non iſtud corpus, *quod ſeminatur in corruptione, ſurget in incorruptione?... & quod ſeminatur animale, ſurget corpus ſpiritale* (*a*)? Effundetur ſcilicet in corpus ipſum egregia quædam, & vere cæleſtis voluptas, ac ſuavitas, qua illud imbutum, ac veluti abſorptum, non modo nihil ex mole ipſa, ac, ſi vocare ita ſinis, *corpulentia* ſua patietur incommodi, verum etiam jucundiſſimam ac plane mirificam ex ea percipiet oblectationem. Hoc de argumento cum alii multi, tum præſertim diſſerit egregius vir Cardinalis Bellarminus in eo libello, quem *de Sanctorum felicitate* inſcribit, de quo quidem libello pronunciat Vindelinus (*b*) (eruditus, fateor, ingenioſuſque philoſophus, ſed Bellarmini, atque adeo Catholicorum omnium acerrimus hoſtis) *plus eum veritatis continere, quam grandes illos controverſiarum libros*: quo quidem judicio dum malevolum adverſus Catholicos animum profert, eum tamen, de quo agimus, libellum mirifice commendat.

53 His conſtitutis, mirum non eſt primo, ſi homini amplæ ac magnificæ laudes tribuantur, dicaturque aliquando a Scriptoribus (*c*), quod antea dixi, *parvus mundus*, aliquando creaturarum omnium perfectiſſima, aliquando totius creaturæ epilogus, aliquando etiam creatura omnis, quod ita poſtea explicant, quod vel creaturarum omnium perfectiones *formaliter* habeat, vel ſaltem *eminenter*. Nimirum *parvus Mundus* propterea dicitur, quod quidquid per reliquas creaturas diffuſum eſt, complecti in ſe unus videtur, eamque ob cauſam *omnis creaturæ epilogus* etiam dicitur. Perfectiſſimam vero creaturarum omnium propterea appellari volunt, quia inanimas ſane ſua præſtantia, ac ſpiritu, quo vivificatur, ſuperat; Angelo vero præſtat ea ipſa de re, quam modo expoſuimus, conjunctione ſcilicet animæ, & corporis; qua quidem de cauſſa ampliorem in cœlis beatitudinem aſſequetur.

54 Quod vero de perfectionibus vel *formaliter*, vel *eminenter* ab eo poſſeſſis dixi, ita explicant, ut ſicut Deus perfectiones omnes vel *formaliter* habet (eas ſcilicet quę ſtatim ſuam præſtantiam produnt, nec in eis aliquid imperfectionis involvitur), vel *eminenter* (eas quippe perfectiones eminenter poſſidere dicitur, quæ conjunctum in ſua notione habent aliquid imperfectionis, cujuſmodi eſt perfectio Creaturarum; nam has omnes poſſidet, ſed ſepoſita qualibet imperfectione): ita homo perfectiones omnes, quas Creatura aſſequi poteſt, vel re ipſa, ac *formaliter* habet, uti animam ſpiritualem, eximium, ac nobile corpus; vel *eminenter*, id eſt ita habet, ut ſuperet, vel certe involvat perfectionem illam, quam in ceteris creaturis admiraris, vel illi ſaltem æquivaleat. Hinc bonitatem, ſeu perfectionem ſibi convenientem habet *formaliter* (ideſt expreſſe, atque ipſam), reliquarum autem animantium *eminenter*. Perfectior nimirum, & excellentior ob ingenii, & animi vires eſt animantibus, quas ingenio, ut diximus, & arte ſuperat, ſi fortitudine ſuperatur: hinc multo melius eſt hominem eſſe, quam leonem, urſum, aut aliam quamlibet animantem brutam. Habet pariter egregiam generi ſuo convenientem pulcritudinem, ut ſi eam diligentius perpendas, illam ipſam ſuperet, quam habet ager, & ſi qua ſunt alia egregia ſpecie prædita. Hæc quæ Scholaſticorum more hactenus ſum proſecutus, vetuſti Patres interdum indicant: veluti Auguſtinus (*d*), Damaſcenus (*e*), & co-

(*a*) I. Corinth. xv. 42, & 44. (*b*) in *præfat. ad phyſic. particularem*.
(*c*) *Si poſſent homines, quibus eſt & mundus in ipſis, Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva*. Manili. IV. *Aſtron.* (*d*) *de quantit. animæ* c: p. 33. n. 70. (*e*) in libello inſcripto: *quomodo homo ad imaginem Dei*.

copioſius Gregorius Magnus, cujus verba referre hic placet (*a*). „ Nunquid „fratres mei Sanctum Euangelium vel „inſenſatis rebus, vel brutis animali- „bus fuerat prædicandum, ut de eo di- „ſcipulis dicatur: *prædicate omni crea-* „*turæ?* Sed omnis creaturæ nomine ſi- „gnatur homo. Sunt namque lapides, „ſed nec vivunt, nec ſentiunt: ſunt „herbæ, & arbuſta; vivunt quidem, „ſed non ſentiunt .... Angeli etenim „ſunt, vivunt, ſentiunt, & diſcernunt. „Omnis autem creaturæ aliquid habet „homo. Habet namque commune eſſe „cum lapidibus, vivere cum arboribus, „ſentire cum animalibus, intelligere „cum Angelis. Si ergo commune habet „aliquid cum omni creatura homo, juxta „aliquid omnis creatura eſt homo. Omni „ergo creaturæ prædicatur Euangelium, „quum ſoli homini prędicatur, quia „ille videlicet docetur, propter quem „in terra cuncta creata ſunt, & a quo „omnia per quamdam ſimilitudinem a- „liena non ſunt.

55 Id ipſum porro ante doctores noſtros Chriſtiana fide inſtructos ſubodorati ſunt veteres Philoſophi, ac poetæ. Ovidium omitto, cujus notiſſimi verſiculi (*b*),

Nos quoque pars Mundi, quoniam non corpora ſolum,
Verum etiam volucres animæ ſumus,

id ipſum, quod diximus, comprobare creduntur; quatenus innuunt hominem (*c*) præſtantiſſimam, & partes reliquas complectentem Mundi eſſe partem. Ovidium, inquam, omitto, ut expreſſiora vetuſtorum Scriptorum loca afferam. An non perſpicue tibi videtur locutus Cicero, dum hæc ait (*d*)? *Deus animal unum ſpectabile hominem, in quo omnia animalia continerentur, effecit.*

56 Quid vero clarius his Manilii monitis (*e*):

..... quid mirum noſcere Mundum
Si poſſunt homines, quibus eſt & Mundus in ipſis,
Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parva?

quibus quidem verſibus haud obſcure indicat, imaginem Dei, ratione duce, ac veluti doctrice, in ea, de qua agimus, hominis excellentia, & perfectionum omnium complexione jure ac merito collocari.

An non etiam, ut ad præclariſſimos Hebræorum ſcriptores ſermonem quoque convertamus, id ipſum tradit Philo, quem Judæorum diſertiſſimum appellat Hieronymus (*f*), dum ea hoc ſuper argumento tradit, quæ cum alibi retulerim, hic repetere non eſt neceſſe? Ea tamen recolat Lector.

57 His conſtitutis mirum non eſt, ſi cuncta homini ſubdiderit, aut certe obſequentes, ſubſidiumque, atque opem familiarem (pene dixeram) deferentes creaturas reliquas eſſe juſſerit, atque ea ipſa in re ſui ſimilem eſſe voluerit. An ea de re dubitas? Audi Dominum ipſum hęc eloquentem (*g*). „ Faciamus hominem „ad imaginem, & ſimilitudinem no- „ſtram, & præſit piſcibus maris, & vo- „latilibus cœli, & beſtiis, univerſæque „terræ, omnique reptili, quod movetur „in terra. „ Ad quæ verba Chryſoſtomus (*h*) hęc ſcribit: Neque enim cum dicit: *Fa-* „*ciamus hominem ſecundum imaginem* „*noſtram, & ſecundum ſimilitudinem,* „hic ſermonem finivit, ſed per ea, quę „adjungit, manifeſtum nobis facit, quo „ſenſu nomen *imaginis* poſuerit. Quid „enim dicit? *Et dominetur piſcibus ma-* „*ris, & volatilibus cœli, omnibus re-* „*ptilibus ſuper terram.* Imaginem ergo „dixit de principatu, & dominio, non „de aliquo alio: quia Deus fecit ho- „minem principem omnium, quæ ſunt „ſuper terram, & nihil ſuper terram „homine majus eſt, & omnia ſub po- „teſtate illius ſunt.

Et

(*a*) homil. 29 in Euangelia, ad verba illa: *prædicate Euangelium omni creaturæ.* Marc. 16.
(*b*) lib. xv metamorph. (*c*) *nos*. (*d*) *de univerſitate*. (*e*) lib. iv. Aſtronom. (*f*) *de Viris illuſtrib.* cap. 2. (*g*) Gen. I. 26. (*h*) homil. viii in Gen. n. 3.

Et rurſus (*a*): „ Poſtquam nos docuit per præcedentia, quid ſit *ſecundum imaginem Dei fecit eum*: et ut „ ne impudentem quidem defenſionis prętextum relinquat Eccleſiæ dogmata impugnare volentibus, paululum progreſſus idem iterum docet, quod ideo „ imaginis nomine uſus ſit, quod imperaturus, & ſub ſe creaturas omnes habiturus eſſet.

Et paucis interpoſitis (*b*): „ Vidiſti inenarrabilem poteſtatem? Vidiſti „ principatus magnitudinem? Vidiſti „ condita omnia ſub hujus poteſtatem redacta? Nihil poſthac mediocre de „ rationali hoc animali imagineris, ſed „ cogita honoris magnitudinem, & Domini erga illud benevolentiam, obſtupeſcens illius immenſam, & inenarrabilem benignitatem.

Atque id ipſum alibi repetit (*c*), monens *voluiſſe Deum hoc eſſe in terris hominem, quod ipſe erat in cœlis*. Vide etiam quæ eam in rem tradit homilia II in Epiſtolam ad Hebræos (*d*).

58 Nyſſenus Chryſoſtomum ea in explicatione præceſſerat: ſubſequuntur autem Severianus Gabalitanus, & Theodoretus. Nyſſenus ſcilicet tum alibi (*e*), tum etiam in libro de hominis opificio uberi oratione hoc, de quo agimus, perſequitur, hęc præſertim monens. „ Ut in „ hac vita artifices inſtrumentum ea „ forma moliuntur, quæ uſui ſit apta: „ ita tanquam vas quoddam ad regni „ adminiſtrationem idoneum naturam „ noſtram præſtantiſſimus fabricavit artifex: ac tum animæ dotibus, tum „ figura ipſa corporis talem deſignavit „ hominem, ut ad regnum eſſet aptiſſimus. „ Atque id ipſum, quod hic attingit, copioſa, uti diximus, deinceps, atque eleganti ratione perſequitur. Quod attinet ad Severianum Gabalitanum, eum conſule, quem in calce paginæ deſigno, locum, idque, de quo agimus, traditum invenies (*f*).

59 Theodoretus vero in eamdem ſententiam hæc tradit (*g*). „ Homo eſt „ Dei imago, neque quoad corpus, neque quoad animam, ſed tantum quod „ attinet ad principatum & imperium: „ ut cui ergo omnium, quæ ſunt in „ terra, imperium eſt creditum, Dei „ imago appellatur, mulier autem, ut „ quæ ſit in poteſtate viri, *eſt viri gloria*, & veluti imago imaginis: nam „ ipſa etiam aliis imperat, ſed viro ſubjecta eſſe, & ei parere juſſa eſt.

60 Sed ne Græcos tantum videamur afferre, ecce tibi Ambroſium hæc de homine tradentem (*h*): „ Hoc mentis vigore & externa ſubigit, & ſeparata, ac diſtantia videt, & validiora viribus animalia ſubjicit, & tantam ceteris venerationem ſui infundit, ut certatim quaſi regi obediant, „ & voci ejus obſecundent: et cum ſint „ irrationabilia, rationem agnoſcant, & „ diſciplinam eam imprimant, quam „ natura non tribuit. Denique videntes „ feræ ejus manſuetudinem, ejus imperio manſueſcunt. Sæpe ſuſpenderunt „ morſus ſuos, revocante ſono vocis humanæ. Videmus innoxio canum „ dente lepores ſine vulnere capi: leones quoque ipſos, ſi vox hominis reſultaverit, prædam dimittere: pardos, „ atque urſos incitari, ac revocari vocibus: equos plauſu hominum fremere, ſilentio mollire curſum: denique „ ſæpe ſine verbere prætereunt verberatos: ita vehementius illos incitat linguę flagellum.

61 Ecce item Marium Victorem, latinum ſcilicet, & vetuſtum Patrem. Hæc nempe loquentem in hominis creatione Deum inducit (*i*):

Nunc

(*a*) homil. x. n. 4. (*b*) n. 5. (*c*) lib. I ad Stagir. (*d*) n. 2. (*e*) Dialog. III Tom. I *Biblioth. Patr. Græco latina* cap. IV. (*f*) Orat. V *de mundi Creatione* n. 4. pag. 484 Tom. VI Op. Chryſoſt. edit. Montfauconii. *In quo eſt ratio imaginis? in poteſtate &c.*

(*g*) In Caput XI epiſtolæ I ad Corinth. (*h*) lib. VI. epiſt. 38. alias claſſe I. epiſt. 43. *Horontiano*. (*i*) *de Origine mundi*.

Digitized by Google

Nunc hominem faciamus, ait, *qui regnet in orbe,*
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti &c.

Et deinceps:

Ergo hunc præpoſitum rebus cum conjuge juſſit
Creſcere per ſobolem, terraſque replere vacantes.

Rurſus quoque:

Primus enim meritis, poſtremus in ordine toto
Factus homo, ut ſe ſe rebus præſtare creatis
Noſſet, & hinc laudes Domino perſolveret æquas.

62 In eamdem ſententiam Alcimus Avitus ipſe quoque hæc de homine loquentem Deum facit:

Nunc formetur homo, ſummi quem tangit imago
Numinis, & noſtram celſo donatus honore
Induat interius formoſa mente figuram.
Hunc libet erectis ſublimem incedere plantis,
Qui regat æterno ſubjectum pondere Mundum,
Bruta domet, legem cunctis, ac nomina ponat,
Aſtra notet, cælique vias, & ſidera norit,
Diſcat & inſpectis diſcernere tempora ſignis;
Subjiciat pelagus ſævum, ingenioque tenaci
Poſſideat quæcunque videt: cui beſtia frendens
Serviat, & poſito diſcant manſueta furore
Imperium jumenta pati, juſſique ligari
Feſtinent trepidi conſueta in vincla juvenci.
Quoque etiam natura hominis ſublimior extet,
Incipiat rectos in cœlum tollere vultus,
Factorem quærat proprium, cui mente fideli
Impendat famulam longævo in tempore vitam.

63 Sed quis Auguſtinum non referat, qui hæc ait (*a*)? „ Quod homo „ ad imaginem Dei factus dicitur, ſe„cundum interiorem hominem dicitur, „ ubi eſt ratio, & intellectus: unde „ etiam habet poteſtatem piſcium maris, „ & volatilium cœli, & omnium peco„rum, & ferarum, & omnis terræ, & „ omnium repentium, quæ ſunt ſuper „ terram: cum enim dixiſſet, *faciamus* „ *hominem ad imaginem, & ſimilitudi*„*nem noſtram*, addidit continuo: *Et* „ *habeat poteſtatem piſcium maris, &* „ *volatilium cœli*, & cetera: ut intelli„geremus, non propter corpus dici ho„minem factum ad imaginem Dei, ſed „ propter eam poteſtatem, qua omnia „ pecora ſuperat. Omnia enim anima„lia cetera ſubjecta ſunt homini non „ propter corpus, ſed propter intellectum, „ quem nos habemus, & illa non ha„bent.

64 Hic recenſe, ſi vis, Patres eos, qui peccatum Dæmonis in eo collocant, quod inviderit homini ſummam eam in res omnes poteſtatem, ac dominatum, quem ſibi conferendum fuiſſe putarat. Hos porro nec contemnendos ſane, nec paucos equidem recenſerem, niſi laborem meum anticipaſſet præclariſſimus Petavius, cujus locum in calce paginæ a me indicatum obſecro conſulas (*b*). Adde, ſi vis, auctoritatem Rabbi Saadiæ, collocantis ſcilicet eam, de qua agimus, imaginem in imperio, & dominatione (*c*).

65 Quamquam neceſſe non eſt hac in re in Patrum, & Hebræorum teſtimoniis diu laborare. Adeo ſcilicet id perſpicuum eſt, ut illud quoque vetuſtis ipſis, & inter Idololatriæ tenebras po-

(*a*) *de Geneſi contra Manich.* lib. I. cap. 17. n. 28. (*b*) *de Angelis* III. 2. 8. (*c*) refert ex Aben Hezra *Petav. de Opific.* II. 3. 2.

Digitized by Google

poſitis Scriptoribus innotuerit. Id porro multorum quidem opinione denotant illa Tullii monita (*a*): *Eadem* (hominis) *ratio habet in ſe quiddam amplum, atque magnificum, ad imperandum magis, quam ad parendum accommodatum*.

Expreſſius porro Ovidius (*b*):

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera poſſet.
Natus homo eſt &c.

66 Hinc edomitas ab homine videmus crudeles belluas: atque id cum ceteri eleganter deſcribant, deſcripſit ſane Martialis nobili illo Epigrammate (*c*), quod ad hunc modum incipit:

Picto quod juga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello.

quod quidem Epigramma integrum legas velim: elegans quippe valde eſt, venuſtiſſimum, & id, de quo agimus, mirifice comprobat.

67 Ante Martialem argumentum hoc copioſiſſime pertractarat Philo; cujus verba ſi referam, vereor, ne æquo ſim longior. Locum in margine indico, quem conſulat lector (*d*).

68 Quid? quod piſces ipſi, tametſi ab hominum conſortio remotiſſimi, non raro

Et norunt dominum, manumque lambunt
. . . . . et ad magiſtri
Vocem quiſque ſui venit citatus.

quod ego ipſe ſæpe vidi, dum virum pietate, & comitate præſtantem D. Fulgentium Muſianum ex ordine Carthuſienſium, quique Bononienſium Religioſorum familiæ nunc præeſt, Deo & hominibus dilectus, convenirem: familiariſſimos enim habebat piſces, quique voce illius acciti ſtatim accurrebant, ut cibum ex illius manu ſumerent.

69 Hic, ſi vis, recole quæ diſſertatione I ſtatuimus; Nimirum hominis cauſa ſenſibilia cuncta creata eſſe. Homini quoque Angelos ipſos miniſterium præſtare is fatebitur, qui aſſentitur D. Thomæ, & Scholaſticis pene omnibus docentibus, cœlorum, aſtrorumque curſum ab iiſdem Angelis dirigi, perficique. Etenim cum curſus iſte homini inſerviat, homini ſane miniſterium præſtabunt, qui ipſum dirigunt, perficiuntque. Quid? quod iidem Angeli nobis tutelæ ac præſidio ſunt, ſic ut ab Apoſtolo Paulo (*e*) *Miniſtratorii ſpiritus* appellentur *propter eos miſſi, qui hæreditatem capiunt ſalutis*. Quo de argumento plura hic dicerem, niſi peculiari libello ea de re copioſe diſputaſſem (*f*). Conſule, ſi vis, Petavium in eo, quem in margine allego, loco (*g*).

70 Eam ob rem non verentur multi inditam homini Dei imaginem in eo ponere, quod ſicut Deus rerum omnium finis eſt, ſeu cauſſa finalis, ita & homo, eo tantummodo hac in re Deum inter, & hominem diſcrimine poſito, quod Deus rerum omnium finis ultimus ſit, homo vero ad Deum ipſum dirigi debeat, & ad eum contendere, in quo quieſcat, & ad cujus gloriam ipſe quoque ſit conditus. Sed hoc de argumento cum luculentius alibi egerim (*h*), eum locum recolat lector.

71 At jam vertendus eſt ſermo ad eorum opinionem, qui cenſent, eam, de qua diſſerimus, imaginem, ſic explicandam eſſe, ut propterea dictus ſit Adam ad Dei imaginem, quod homo donatus ſit natura ea, cujus ſpeciem induerat Deus, ut hominem conderet; qua etiam ſpecie tum eidem Adamo apparuit, tum reliquis Patriarchis, & Prophetis. Sed de hoc quoque argumento cum ſatis alibi diſſeruerimus, in ſecunda ſcilicet diſſertatione, ad eum locum Lectorem allego.

72 Sed quid de illorum opinione di-

(*a*) lib. II *de finibus*. (*b*) 1. *metamorph.* (*c*) fere habetur lib. 1. n. 104. (*d*) *de Opiſic.* Gelen. interprete pag. 16, & 17 editionis Gryph. anni 1561. (*e*) Hebræ. I. 14. (*f*) *Degli Angeli Cuſtodi*. (*g*) *de Angel.* II. 6. 7. & ſeq. (*h*) Diſſert. 1.

dicendum eſt, qui putant propterea ad Dei imaginem appellatum fuiſſe Adam, quod eam naturam, ac formam a Deo receperit, quam habiturus erat Unigenitus Dei, quum ad homines eorum caput, Dominus, ac redemptor venturus erat. Id ſane propoſuit Tertullianus tum in libro contra Praxeam (*a*), tum etiam in libro *de reſurrectione carnis* hæc ſcribens (*b*): *Quodcunque enim limus exprimebatur, Chriſtus cogitabatur homo futurus, quod & limus, & caro ſermo, quod & terra tunc. Sic enim præfatio Patris ad filium: faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. Et fecit hominem Deus: id utique quod finxit, ad imaginem Dei fecit illum, ſcilicet Chriſti. Et ſermo enim Deus, qui in effigie Dei conſtitutus, non rapinam exiſtimavit pariari Deo. Ita limus ille jam tunc imaginem induens Chriſti futuri in carne, non tantum Dei opus erat, ſed & pignus.*

73 Eadem tradit Prudentius hæc elocutus (*c*):

Chriſtus forma Patris, nos Chriſti forma, & imago
Condimur in faciem Domini bonitate paterna,
Venturi in noſtram faciem poſt ſæcula Chriſti.

Adde quæ alibi hoc de argumento diximus (*d*).

74 At Petavius (*e*) opinionem hanc propterea rejicit, quod ſi vera eſſet, Deus Pater, qui hæc elocutus eſſe cenſetur: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram; noſtram utique non dixiſſet, ſed tuam* (o Fili). Num hæc animadverſio opinionem eam ſatis refutet, alii viderint. Conſule, obſecro, Petavium ipſum cap. VII libri II de Trinitate (*f*).

Ex hactenus dictis dijudicet Lector, quid de poſtrema opinione ſentiendum ſit, eorum ſcilicet, qui fatentur in homine quidem extare eam, de qua agimus, *ſimilitudinem*, & *imaginem*: ſed in quo poſita ea ſit, minime apparere. Si quid ſcilicet probabile hactenus diximus, tam & ſi ſtabilire certo non poſſimus, in quo hæc poſita ſit; tamen Patrum ea in diſquiſitione poſita ſtudia effecerunt, ut veriſimile aliquid invenerimus, in quo hanc collocemus. Ea de re minime dubitabis, ſi ea expenderis, quæ a numero decimo tertio ad hunc uſque locum copioſe tradidimus.

QUÆSTIO III, & IV.

In qua hominis parte poſita ſit hæc, de qua agimus, imago, & ſimilitudo. Et: *An ſoli viro, an etiam feminæ eamdem imaginem, & ſimilitudinem indiderit Deus.*

75 SI ea expendimus, quæ in ſuperiori quæſtione diximus, facile conſtabit, in corpore poni minime poſſe eam, de qua agimus, Dei imaginem, niſi forte in ea ſignificatione id dicatur, quam præeunte Auguſtino n. 47 propoſuimus. In anima vero poni poſſe, minime dubito. At num in animæ ſubſtantia, num in illius potentiis, num alia quapiam ratione, tum demum aſſeres, quum aliquam ex antea explicatis opinionibus amplecteris. Qui enim

(*a*) cap. XII. *Erat autem ad cujus imaginem faciebat; ad filii ſcilicet, qui homo futurus certior, ac verior.* (*b*) cap. VI. (*c*) in apotheoſi. (*d*) Diſſerta. II num. 29, & ſeqq.
(*e*) *De Opific.* II. 2. 4. (*f*) n. XV.

Digitized by Google

in ſpiritu eam imaginem collocant, in animæ ſubſtantia collocant. Qui in intellectu, voluntate, libertate, aliiſque hujus modi, in potentiis ponunt. Qui vero in eximia hominis perfectione, & excellentia, atque in dominio, quod ſupra creaturas exercet, aliiſque affinibus ſitam volunt, alia addant neceſſe eſt, tametſi in anima (ſi loqui ita volumus) *fundamentum* habeant, &, uti ſcholaſtici fere ajunt, *adhæſionem*, & *ſubjectum*. Et de III quæſtione hactenus.

76 Quod itaque ad Quartam attinet, deſumitur illius ſolutio a ſolutione primæ, ac ſecundæ quæſtionis, ſed ſecundæ præſertim. Etenim ſi in anima, illiuſque potentiis, ac qualitatibus, aut, ſi vis, in virtutibus collocas, quis ab ea dignitate feminas arceat? Alcimus Avitus feminas hujuſce excellentiæ compotes profecto facit, cum hæc ait (*a*):

Ecce vides ſexu ut careat cæleſtis imago,
Interior ſortitus homo quam mente retentat,
Nec ſexum acceptat.

77 Marius item Victor feminas ejuſdem præſtantiæ participes videtur facere, cum Deum hæc eloquentem inducit (*b*):

Nunc hominem faciamus, ait, qui regnet in Orbe,
Et ſit imago Dei: ſimilem decet eſſe creanti,
Liber ad arbitrium fruitur qui mente creatis.

78 Si vero in perfectione eximia, quam ſupra ceteras creaturas habet homo, eam ſimilitudinem colloces; feminam ad Dei imaginem factam neges neceſſe eſt. Etenim mulieri præſtat vir, illiuſque caput eſt. Expreſſiſſime Chryſoſtomus (*c*): „ Ut enim ſcias humana forma præditum non eſſe numen, audi Paulum dicentem: *Vir quidem non debet velari, cum ſit imago, & gloria Dei: Mulier autem gloria viri eſt, propterea debet*, inquit, *velum habere ſupra caput*. Enimvero ſi hoc loco imaginem id appellavit, æqualem divinæ omni ex parte formæ ſimilitudinem ſignificans, & idcirco Dei imago vocatur homo, quia Deus hoc pacto figuratus eſt. Igitur ſecundum illos non virum tantum ad imaginem factum dici oportebat, ſed etiam mulierem; mulieris enim, virique figura, & forma, & ſimilitudo eſt una. Quam igitur ob cauſſam imago Dei vir dicitur, mulier vero non item? Quia nimirum non de imagine mentionem facit, quæ in forma ſita ſit, ſed de imagine, quæ in dominatu, quam ſolus homo habet, non autem mulier. Nam hic quidem nemini ſubditus eſt, illa huic ſubdita, quemadmodum inquit Deus: *Ad virum tuum converſio tua, & ipſe tui dominabitur*. Idcirco Dei quidem imago eſt vir, quia ſublimiorem nullum habet, quemadmodum Deo ſublimior eſt nullus, ſed omnibus dominatur. Mulier vero gloria viri eſt, quia viro ſubjecta eſt.

79 Imitatur, & tantum non totum exſcribit Chryſoſtomum Theodoretus (*d*) hæc docens: „ Homo eſt Dei imago, neque quoad corpus, neque quoad animam, ſed tantum quod attinet ad principatum, & imperium: ut cui ergo omnium, quæ ſunt in terra, imperium eſt creditum, Dei imago appellatur. Mulier autem ut quæ ſit in poteſtate viri,

(*a*) Ad Fuſcinam ſororem lib. 1. (*b*) lib. 1 in Geneſim. (*c*) Sermon. II *in Geneſim* n. 2. pag. 653 Tomi IV editionis Montfauconii. (*d*) in Commenta. in Epiſto. Pauli 1. ad Cor. cap. XI. ad verba illa: *Vir non debet velare caput ſuum* (interprete Gentiano Herveto).

Digitized by Google

„ ri, eſt viri gloria, & velut imago „ imaginis: nam ipſa etiam aliis im„ perat; ſed viro ſubjecta eſſe, & ei pa„ rere juſſa eſt. „ Deinde aliam rationem adjungit, ut hujuſce præſtantiæ feminam exortem faciat: „ Non enim „ vir (inquit) ex muliere eſt, ſed „ mulier ex viro. Ergo etiam ratione „ creationis viri primas partes obtinent. „ Etenim non eſt creatus vir propter „ mulierem, ſed mulier propter virum. „ Hoc etiam ſufficit ad oſtendendum, „ virum jure principatum tenere: non „ enim hic propter illius uſum, ſed „ ipſa propter ejus uſum producta eſt. „ Eadem tradiderat quæſtione xx in Geneſim (*a*). Et de duabus his quæſtionibus ſatis.

QUÆSTIO QUINTA.

An Angelus ad ſimilitudinem, & imaginem Dei factus ſit.

80 HUjus quoque quæſtionis ſolutio a I, & II quæſtionis, ac ſecundæ præſertim ſolutione derivatur. Si enim ſimilitudinem, & imaginem in gratiæ donis colloces, quis ad ſimilitudinem, & imaginem Dei factos eſſe Angelos neget, cum hi in ipſa creatione uberrimis, ampliſſimiſque gratiæ donis ditati ſint: & ea de cauſſa *Filii Dei* appellati (*b*)? Ad imaginem Dei pariter factos dices, ſi imaginem in ſpiritu, illiuſque potentiis, ac ſublimibus qualitatibus pones. Nam hæc procul dubio non modo in Angelis ſunt, verum etiam in his excellunt, & præſtant. Hac, ut arbitror, de cauſa non modo Angelum ad imaginem Dei factum, verum etiam excellentiori quadam ratione ad eamdem imaginem factum docet Gregorius Magnus, cujus verba referre hic placet (*c*). Scilicet ad diabolum referens quod Ezechiel de rege Tyrio ait: *Tu ſignaculum ſimilitudinis Dei*, hæc ſubjicit: „ De ſigillo quippe anuli talis ſimilitu„ do imaginaliter exprimitur, qualis in „ ſigillo eodem eſſentialiter habetur. „ Et licet homo ad Dei ſimilitudinem „ creatus ſit, Angelo tamen quaſi ma„ jus aliquod tribuens, non eum ad ſi„ militudinem Dei conditum, ſed ip„ ſum ſignaculum Dei ſimilitudinis di„ ci, ut quo ſubtilior eſt natura, eo „ in illo ſimilitudo Dei plenius creda„ tur expreſſa. „

81 At ſi vel in ea perfectione, & excellentia collocas, quam numero 46, & ſubſequentibus expoſui, vel expreſſe in dominio ſupra ceteras creaturas, procul dubio ab Angelis ea arcenda eſt, ideoque imago Dei, de qua agimus. Sane Theodoretus (*d*) in eo totus eſt,

(*a*) in veteri editione, interprete Joanne Pico. (*b*) *Factum eſt autem, cum quadam die veniſſent filii Dei, & ſtarent coram Domino*. Job. II. 1. *cum jubilarent aſtra matutina, & me laudarent omnes filii Dei*. Job. 38. 7. Ad hæc: Paulus hæc ſcribit. Cor. VIII. 5. *Nam etſi ſunt, qui dicantur filii Dei, ſive in cælo, ſive in terra*: quo quidem in loco Angelos innuere videtur. Qui enim ſunt *filii Dei in cælo*, ſi Angeli non ſunt? Tamen quia Jobi loca aliter a nonnullis vertuntur, & Pauli locus accipi ſecus poteſt, mirum non eſt, ſi Chryſoſtomus palam neget, *filios Dei* Angelos aliquando appellari. *Homines quidem* (inquit ille) *filii Dei dicti ſunt, Angeli autem nunquam*. Homil. XXII in Geneſ. n. 2. pag. 195 Tomi IV editionis Montfaucon. (*c*) lib. XXXII Moral. cap. 18. (*d*) quæſt. XX in Gen.

Digitized by Google

eſt, ut eam imaginem ab Angelis arceat, & in ſolo homine ſtatuat. Ad quem quidem finem cum alias rationes afferat, tum hanc ſane, quod Angelus in creaturas reliquas nullam exercet poteſtatem, quam tamen maximam exercet homo. Sed ipſa Theodoreti verba referre præſtat, ex quibus ſcilicet ea, quæ diximus, Lector per ſe percipiat. *Quidam ad imaginem Dei hominem creatum eſſe arbitrantur ſecundum potentiam animæ inviſibilem, non intelligentes, quod & Angelus inviſibilis eſt, ſicut & Dæmon.... Quod ſi ſolus homo ex omnibus creaturis imago Dei eſt, peculiarem quamdam rationem hujuſce denominationis oportet eſſe* &c.

Atque hic III diſſertationi finis fit.



JOAN.

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI

IN SEQUENTEM SERMONEM

PRÆFATIO.

Reliquis humanitatis, ac benevolentiæ officiis, quibus RR^mi. PP.DD. Joannes Gualbertus Beccari, & Philippus a Turre, Caſſinenſis Congregationis ampliſſimi Præſules, me apud eos Florentiæ degentem cumularunt, hoc etiam addi voluere, ut, quum ſcirent me inedita Patrum ſcripta perquirere, ut ea pervulgarem, Sermonem in Codice complectente S. Hilarii Pictavienſis Opera eidem Hilario tributum, in celeberrima ſui Monaſterii Bibliotheca inventum, ad me mitterent diligentiſſime exſcriptum manu doctiſſimi Patris D. Petri Aloyſii Galletti Philoſophiæ Lectoris, & de veteri litteratura, cui ſummo ſtudio etiam incumbit, præclare meriti. Novi ſtatim, Hilario Pictavienſi adſcribi Sermonem hunc minime poſſe, reclamante ſcilicet locutione ipſa, ab ea, quam Hilarius Pictavienſis perſequitur, valde remota. At cuinam adſcriberem, ignorabam. Porro dum *Concionatoriam Combefiſii Bibliothecam* ad eum finem revolvo, ut perquiram, num is Sermo evulgatus ſit, an non, comperio evulgatum eum eſſe quidem, & Bedæ adſcriptum (*a*), ſed additis, immutatiſque nonnullis periodis; vel ſcilicet ut ſermo accommodaretur loco illi Euangelii, qui eidem Sermoni in ea editione præponitur (*b*), vel ut uberius analogia, quæ Judaicum inter templum, & Chriſtianam Eccleſiam intereſt, explicetur: qua quidem re ejuſdem Sermonis puritati, ac venuſtati nonnihil detrahi videtur (*c*). Eum itaque, ut habet Florentinus, quem diximus, Codex,

(*a*) Inter æſtivales Bedæ ſermones (pag. 169 Tomi VII editionis Colonienſis anni 1612) eum invenies. At dubitatur a multis, num omnes, qui in hac editione Bedæ tribuuntur Sermones, a Beda compoſiti ſint; eorum enim nonnulli alium videntur habuiſſe auctorem.

(*b*) In iis, quos conſului, vetuſtis libris jam evulgatis (Vide paginam 718 Tomi II Martene *de antiquis Eccleſiæ ritibus*, editionis Antuerpienſis, ſeu potius Mediolanenſis anni 1736); in iis quoque, quos apud nos ſervamus, ſeculi XI, & XII codicibus ea Euangelii portio, quæ *in dedicatione Eccleſiæ* legebatur, & adhuc legitur, deſumpta eſt ex Capite XIX Lucæ: *Ingreſſus Jeſus perambulabat Jericho*. Sed in Galliis videtur per ea tempora fuiſſe lecta portio deſumpta ex Matth. VII. 17: *Omnis arbor bona* &c. & huic lectioni ſe ſe etiam accommodat Beda, ſi is eſt ejus ſermonis auctor, quem ſecundo loco apponimus. Aliud etiam Euangelium fuiſſe nonnunquam *in dedicatione* lectum, indicat Beda in *Homilia in dedicatione Eccleſiæ*. *In illo tempore facta ſunt Encænia in Hieruſalem, & hyems erat &c.* pag. 174 Tomi VII Operum Bedæ: qua in reprorſus congruit antiquiſſimum *Lectionarium Gallicanum* Mabillonii. Vide lib. 2 *de Liturgia Gallicana* pag. 168.

(*c*) In Sermone jam edito hæc præ ceteris habentur: „ *Columnæ ſtant ante oſtium Templi;* „ *quia adventum Redemptoris noſtri, qui ait*: Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, „ ſalvabitur, *præceſſerunt doctores egregii, de quibus dicit Apoſtolus*: Jacobus, & Cephas, „ & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, *qui eidem adventui ejus teſtimonium per-* „ *hiberent.* „ An vero adventum Domini præceſſerunt, & eam ob cauſam *columnæ ſtantes ante oſtium templi* fuerunt Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui Chriſtum non prænunciarunt, ſed illius fuere diſcipuli? Profecto *columnas* eos propterea vocat Paulus, quod ſtabiles, columnarum inſtar, in fide eſſent, & veluti præcipua Chriſtianæ Religionis fulcimina.

Digitized by Google

dex, evulgandum cenſui. At quoniam Pictavienſi Hilario abjudico, ſi Hilario alteri tribuere vis (quod per me quidem licet), Arelatenſi Hilario tribue, quem certo novimus & ſacra templa erexiſſe (*a*), ideoque dedicaſſe, & ſermones ad populum recitaſſe non paucos (*b*); ex vulgata quoque interpretatione, qua ſane utitur hujuſce Sermonis auctor, Scripturarum loca allegare conſueviſſe (*c*). Atque huic quidem conjecturæ, ac ſuſpicioni meæ ipſa Hilarii Arelatenſis ſcriptio hujuſce Sermonis ſcriptioni haud abſimilis plurimum favet. At cuicunque tandem ſermo hic tribuatur, laudabilis eſt utique, & procul dubio vetuſtus, ideoque is, qui antiquam formam, ac candorem priſtinum recipere mereretur.

Ex

(*a*) In cap. VIII Vitæ S.Hilarii Arelatenſis hæc habentur: *In mediatore jugiter permanere ... inſtituere Monaſteria, ædificare templa, confirmare Monachos inſtitutione ſua.*

(*b*) Cap. XI ejuſdem Vitæ hæc leguntur: *Si peritorum turba defuiſſet, ſimplici ſermone ruſticorum corda nutriebat: at ubi inſtructos ſuperveniſſe vidiſſet, ſermone, ac vultu pariter in quadam gratia inſolita excitabatur, ſe ipſo celſior apparebat, ut ejuſdem prolati auctore temporis, qui ſuis ſcriptis merito claruerunt, Silvius, Euſebius, Domnolus admiratione ſuccenſi, in hæc verba proruperint: Non doctrinam, non eloquentiam, ſed neſcio quid ſuper homines conſecutum.... Et licet gratia ejus ex his operibus, quæ eadem dicendi impetu concepit, genuit, ornavit, protulit, poſſit abique hæſitatione dignoſci; vita ſcilicet antiſtitis Honorati, homilia in totius anni feſtivitatibus expedita* &c. Hac fortaſſe conjectura, & eo etiam quod idem ſtylus, ac phraſis appareat, atque ea quæ in vita S. Honorati ab Hilario Arelatenſi conſcripta eminet, Combefiſius, aliique permoti non modicam partem eorum ſermonum, qui Euſebio Emiſſeno, aut Eucherio tribui conſuevere, Hilario Arelatenſi tribuunt. Vide Combefiſii *bibliotb. Conciona.* in Reſurr. Domini.

(*c*) Sane in iis ſermonibus, quos in *reſurrectionis Dominicæ* ſolemnitate recitaſſe Hilarium combefiſius cenſet, Euſebio Emiſſeno utique adſcriptis, Vulgata Scripturæ interpretatio plerumque eminet. Sed & in Vita S. Honorati, quæ procul dubio ab Hilario Arelatenſi compoſita eſt, ad hunc modum Scripturæ loca allegantur. N. 3. *Ne laudes hominem in vita ſua,* & iterum: *Ante mortem ne laudes quempiam.* n. 8. *Ordinate in me caritatem.* n. 10. *In multa patientia, in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in verbo veritatis, in virtute Dei.* n. 14. *Euge ſerve bone, & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* n. 15. *Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis Leonem, & Draconem = Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones.* n. 20. *Vende omnia tua, & da pauperibus, & veni, & ſequere me.* n. 26. *Omnibus omnia factus.* n. 37. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur = quid enim habes quod non accepiſti? aut ſi accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* Porro hæc in Vulgata ſic ſe habent: *Ante mortem ne laudes hominem quempiam.* Eccleſ. XI. 30. *Ordinavit in me caritatem* Cantic. III. 4. *In multa patientia, in tribulatione, in neceſſitatibus, in anguſtiis., ...in vigiliis, in jejuniis, in caſtitate, in ſcientia, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei.* 2. Corint. VI. 4, 5, & 6. *Euge ſerve bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui.* Matth. 25. 21. *Super aſpidem, & Baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.* Pſal. 90. 13. *Ecce dedi vobis poteſtatem calcandi ſupra ſerpentes, & ſcorpiones* Luc. 10. 19. *Vende quod habes, & da pauperibus, .. & veni, ſequere me.* Matth. 19. 21. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur.* Pſal. 118. 74. *Quid enim habes quod non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quaſi non acceperis?* I. Corin. IV. 7. Qua quidem locorum collatione plane aſſequeris, aut ipſiſſimam, quam nunc ſequimur, ab Hilario Arelatenſi fuiſſe allegatam, aut certe tam affinem Vulgatæ interpretationem, ut pro Vulgata haberi poſſit.

Digitized by Google

Ex codice Florentino Monachorum Caſſinenſium.

Incipit Sermo B. Hilarii de Dedicatione Eccleſiæ cumptus (*a*) Pictavis in Eccleſia ipſius ibidem conſecrata.

QUia propitia Deitate, Fratres Cariſſimi, ſolemnia dedicationis Eccleſiæ celebramus, debemus congruere ſolemnitati, quam colimus, ut ſicut ornatis ſtudioſius ejuſdem Eccleſiæ parietibus, pluribus accenſis luminibus, ampliato numero lectionum, addita Pſalmorum melodia, lætis noctem vigiliis ex more tranſegimus; ita etiam penetralia cordium noſtrorum ſemper neceſſariis bonorum operum decoremus ornatibus. Semper in vobis flamma divinæ pietatis, & fraternæ caritatis augeſcat; ſemper in ſanctuario pectoris noſtri cæleſtium memoria præceptorum, & angelicæ laudationis dulcedo ſancta reſonet. Hi ſunt enim fructus bonæ arboris, hic boni cordis theſaurus, hæc fundamen-

(*a*) Nullius ſignificationis eſt vox *cumptus*, quam habet codex. Fortaſſe legendum eſt, *compoſitus*.

Ex Tomo VII Operum Bedæ.

In dedicatione Altarium. Luc. 6. Matth. 7.

In illo tempore dixit Jeſus Diſcipulis ſuis: Non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum bonum. Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur. Neque enim de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam.

Et reliqua.

BEDÆ PRESBYTERI DE EADEM LECTIONE.

QUia propitia Divinitate, Fratres Chariſſimi, ſolemnia dedicationis Eccleſiæ celebramus, debemus ipſi congruere ſolemnitati, quam colimus; ut ſicut ornatis ſtudioſius ejuſdem Eccleſiæ parietibus, pluribus accenſis luminaribus, amplificato numero lectionum, addita pſalmorum melodia, lætis noctem vigiliis ex more tranſegimus; ita etiam penetralia cordium noſtrorum ſemper neceſſariis bonorum operum decoremus ornatibus. Semper in nobis flamma divinæ pariter, & fraternæ charitatis augeſcat; ſemper in ſanctuario pectoris noſtri cæleſtium memoria præceptorum, & Angelicæ modulationis dulcedo ſancta reſonet. Hi ſunt enim fructus bonæ arboris, hic boni theſaurus cordis, hæc

Digitized by Google

menta ſapientis Architecti, quæ nobis hodierna Sancti Euangelii lectio commendat, nos non formam ſolummodo, ſed virtutem potius habere pietatis: quod etiam myſtica veteris inſtrumenti hiſtoria diligenter inſinuat, quum vel Moyſes tabernaculum, vel templum Domino Salomon in Sanctæ Eccleſiæ typum condidit; utraque enim domus firmiter fundata eſſe refertur: Tabernaculum quidem, quod compactos de tabulis habebat parietes ſuper baſes argenteas, templum autem ſuper lapides quadros in fundamento ſuppoſitos. Ligna quoque erant imputribilia, e quibus & Tabernaculum omne factum, & Templum intus ornatum, ac deſuper tectum fulgebat. Aurum etiam de theſauro bono optimum pro-

---

hæc fundamenta ſapientis Architecti, quæ nobis hodierna Sancti Euangelii lectio commendat, nos non formam ſolummodo, ſed virtutem potius habere pietatis. Quod etiam myſtica veteris inſtrumenti nobis hiſtoria diligenter inſinuat, quando vel Moyſes (*a*) tabernaculum, vel templum Domino Salomon (*b*), in Sanctę Eccleſiæ typum condidit. Utraque enim Domus firmiter fundata eſſe refertur: tabernaculum quidem, quia compactos de tabulis habebat parietes, ſuper baſes argenteas: templum autem ſuper lapides quadros ſuppoſitos. Ligna quoque erant imputribilia, e quibus & tabernaculum omne factum, & templum intus ornatum, ac deſuper tectum fulgebat. Aurum etiam de theſauro bono optimum proferebatur, de quo & tabernaculi parietes intus & foris veſtiti, & templi non tantum parietes, verum etiam laquearia, trabes, oſtia, poſtes, & pavimenta erant cooperta. Sed & vaſa vel utenſilia domus utriuſque cuncta pene aurea, neque hæc, niſi de auro puriſſimo, fieri licebat. Fructus etiam arborum, qui in domum Domini offerebantur, puriſſimi & exquiſiti eſſe jubebantur (*c*): hoc eſt vitis, olivæ, thuris, vel ſtactes, & ceterarum hujuſmodi. Quæ videlicet cuncta ſpiritaliter intellecta veram noſtræ fidei, & operationis ſinceritatem denunciant. Domus namque utraque, ut diximus, Univerſalis Eccleſiæ figuram præmonſtrat. Neque incongruum quis arbitretur, quod duæ ſunt domus Domini in myſterio factæ, cum unam Chriſti domum eſſe Eccleſiam nullus fidelis ambigat. Duæ etenim ſunt conditæ domus ob ſignificationem utriuſque populi in eamdem fidem venturi, Judæi ſcilicet, & Gentilis. Unde bene tabernaculum ſola plebs Hebræa condidit in eremo, templi autem ſtructuram proſelyti, ideſt, advenæ de gentibus, quotquot in populo Iſrael tunc inveniri poterant, devota fide compleverunt. Sed & Rex potentiſſimus Tyri conductus a Salomone commodatis artificibus, & lignis (*d*) gratantiſſime juvit, quia nimirum ante incarnationem Dominicam notus tantum in Judæa erat Deus (*e*). At poſtquam ille in ea, qua natus, & paſſus eſt, carne, reſuſcitatus a mortuis, & exaltatus eſt ſuper cœlos Deus, continuo ſuper omnem terram nominis ejus gloria refulſit, orbiſque univerſus ad ædificationem domus illius accepta ab eo promiſſione donorum cæleſtium gaudens accurrit. Quid ergo ipſe conditor, & redemptor noſter de conſtructione ſuæ domus, qua nos ſumus, in ea, quæ nobis modo recitata eſt, lectione Sancti Euangelii dicat, audiamus.

Non eſt arbor bona quæ facit fructus malos, neque arbor mala faciens fructum

(*a*) Exod. xxvi. 1. &c. (*b*) lib. III. Reg. cap. 6. (*c*) Num. xviii. 12. &c.
(*d*) III. Reg. V. 5. &c. (*e*) Pſal. 75. 1.

Digitized by Google

proferebant, de quo parietes intus, & foris veſtiti, Templi non tantum parietes, verum etiam laquearia, trabes, oſtia, poſtes, & pavimenta erant cooperta. Sed & vaſa, vel utenſilia domus utriuſque cuncta pene aurum, neque hæc, niſi de auro puriſſimo, fieri licebat. Fructus etiam arborum, qui in domo Domini of-

Z fere-

---

ctum bonum. Bonas ergo arbores, & bonos harum fructus in conſtructionem ſui templi rex ſapiens quærit. At vero malæ arboris quis ſit finis, idem alibi docet, dicens (*a*): *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Arbores namque homines, fructus autem dicit opera ipſorum. Vultis etenim noſſe, qui ſint arbores malæ, qui mali fructus? Apoſtolus docet dicens (*b*): *Manifeſta autem ſunt opera carnis, quæ ſunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſenſiones, hæreſes, invidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia*. Vultis audire, an arbores, quæ tales fructus faciunt, ad æterni Regis templum cæleſte pertineant? Subjungit Apoſtolus, dicens: *Quæ prædico vobis, ſicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur*. Bonæ quoque arboris fructus ſubſequenter enumerat, dicens (*c*): *fructus autem ſpiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, bonitas, benignitas, fides, manſuetudo, continentia*, de quibus & alias admonens ait (*d*): *Ut filii lucis ambulate. Fructus enim lucis eſt in omni bonitate, & juſtitia, & veritate*. Qui nimirum fructus cum arboribus, e quibus prodeunt, & hic ad domum fidei, & illic ad habitationem ſupernæ beatitudinis veraciter pertinent. Audiamus denique arborem bonam de bonorum fructuum proventu lætantem (*e*): *Ego autem ſicut oliva fructifera in domo Dei, ſperavi in miſericordia Dei mei in æternum, & in ſæculum ſæculi*. Fructus quippe olivæ lucidum eſt opus miſericordiæ, & ideo jure in miſericordia Dei ſperat in templo æternitatis, qui in domo Dei præſenti miſericordiæ gratia reſplendet. Jure ſe talis ad templum magni regis pertinere confidens, alibi dicit (*f*): *Et miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ, ut inhabitem in domo Domini in longitudine dierum*. At contra mala arbor videamus quales fructus ferat, & tales ferre ipſi vitemus. Dicit Propheta Hieremias (*g*): *Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & a Domino recedit cor ejus. Erit enim quaſi myricæ in deſerto*. Myrica autem eſt infructuoſa arbor, & humilis, guſtu nimis amara, omnique humana cultura prorſus indigna, ac propterea fructificans in deſerto. Cui merito comparatur is, qui a divino timore, & amore recedens, ab hominibus regnum, vel divitias ſperat. Qui quantum a decore domus Dei ſit extorris judicandus, Propheta ſubdendo manifeſtat (*h*): *Et non videbit, cum venerit bonum, ſed habitabit in deſerto in ſiccitate in terra ſalſuginis, & inhabitabili*. Nemo ergo ſibi, fratres mei, in occulto male vivens, de favore vulgi, quaſi bonus ſit, blandiatur; quia etſi folia verborum perpulchra, ſi florem fame gignit odoriferum, non eſt arbor bona, quæ facit fructus malos. Nemo quum recto corde bona, quæ valet, operatur, de ſua ſalute deſperet (*i*): *quia non eſt arbor mala quæ facit fructum bonum*.

Una-

(*a*) Matth. III. 10. (*b*) Gal. V. 19. (*c*) Ibidem verſ. 21. (*d*) Epheſ. V. 9. (*e*) Pſ. 51. 10. (*f*) Pſ. 22. 6. (*g*) Hier. 17. 5. (*h*) Ibidem. (*i*) Matth. VII. 17.

Digitized by Google

ferebantur, puriſſimi, & exquiſiti eſſe jubebantur. Hoc eſt, Vitis, Olivæ, Thuris, Myrrhæ, vel Stactis, & ceterarum hujuſmodi: quæ videlicet cuncta ſpiritaliter intellecta veram noſtræ Fidei, & operationis ſinceritatem denunciant. Domus namque utraque, ut diximus, Univerſalis Eccleſiæ figuram præmonſtrat. Neque incongruum quis arbitretur, quod duæ ſunt domus Domini in myſterio factæ, cum unam Chriſti Domum eſſe Eccleſiam nullus fidelis ambigat. Duæ etenim ſunt conditæ domus ob ſignificationem utriuſque populi in eandem Fidem ven-

---

Unaquæque enim arbor de fructu ſuo cognoſcitur (a). Hæc cognitio de apertis ſolummodo vitiis, ſive virtutibus accipienda eſt, qualia ſuperius ex Apoſtoli ſententia commemoravimus. Namque ſunt nonnulla, quæ quo animo gerantur, ignoratur a proximis, unde & in utramque partem poſſunt interpretari. Sed ambigua quæque juſtius ab his, qui diligunt, interpretantur in bonum, ut impleatur illud Apoſtoli (b): *Nolite ante tempus judicare*.

Neque enim de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam (c). Spinæ, & rubus plenæ aculeis arbores, illorum corda deſignant, qui vel luxuriæ, invidiæ, concupiſcentiæ ſtimulis ipſi fœdantur, vel certe iracundiæ, detractionis, odii, ſuperbiæ, & amaritudinis aſperitatibus inſuaves proximis, & quaſi intractabiles exiſtunt. Ficus autem dulcem regni cæleſtis memoriam, uva fragrantiam Dominicæ dilectionis ſignificat. *Non ergo de ſpinis colligunt ficus, neque de rubo vindemiant uvam*: quia quicumque adhuc vitiorum aculeis ſordent, exempla, vel doctrinam virtutum miniſtrare proximis nequaquam digne prævalent.

Bonus homo de bono theſauro cordis ſui profert bonum, & malus homo de malo theſauro cordis ſui profert malum (d). Theſaurus cordis, intentio eſt cogitationis, ex qua proventum operis internus arbiter indicat. Unde fit plerumque, ut minora bona nonnulli majori cœleſtis gratiæ mercede operentur, videlicet propter intentionem cordis, qua majora voluerant patrare bona, ſi poſſent, & alii majora virtutum opera oſtentantes, ob incuriam cordis tepidi, minora a Domino præmia ſortiantur. Denique opus viduæ, quæ duos nummos detulit ad templum, innumeris divitum denariis ab interno cordium ſcrutatore præfertur (e).

Ex abundantia enim cordis os loquitur (f). Humanum quippe judicium ſæpe fallit, quia cor proximi neſcit niſi ex ore & opere penſare: Dominus autem ipſum opus, & ſermones ex cordis radice perpendit. Illius ergo ex abundantia cordis os loquitur, qui ex qua intentione promantur verba, non ignorat. Quod etiam ſubſequenter aſtruit, manifeſte oſtendens, quia locutio bona abſque operum atteſtatione nihil omnino proſit.

Quid autem vocatis me, Domine, Domine, & non facitis quæ dico (g)? Dominum namque vocare boni donum theſauri, bonæ videtur eſſe fructus arboris. *Omnis enim quicunque invocaverit nomen Domini, ſalvus erit* (h). Sed ſi is, qui invocat nomen Domini, præceptis Domini perverſe vivendo repugnat, profecto patet, quia de bono cordis theſauro prolatum non fuit bonum, quod lingua ſonuit.

(a) Matth. VII. 20. & Lucæ VI. 43, & 44. (b) I. Cor. IV. 5. (c) Luc. VI. 44.
(d) Lucæ VI. 45. (e) Marci 12. 41. &c. Luc. 21. 2, &c. (f) [illegible] (g) Lucæ VI. 46.
(h) Joel. II. 31.

venturi, Judæi ſcilicet, atque gentilis. Unde bene Tabernaculum ſola plebs Judæa condidit in eremo. Templi autem ſtructuram Proſelyti, & advenæ de Gentibus, quotquot in populo tunc inveniri poterant, devota fide compleverunt. Sed & Rex potentiſſimus Tyri conductus a Salomone commodatis artificibus, & lignis gratantiſſime juvit, quia nimirum ante incarnationem Dominicam *notus erat*

Z 2 tan-

ſonuit: nec talem fructum confeſſionis fici radix, ſed ſpinæ, hoc eſt, horrida vitiis, & non multitudine Dominicæ dulcedinis onuſta conſcientia procreavit. Quæ autem ſit vera fructuum bonorum, malorumque diſcretio, Dominus ſub alia figura ſubdendo deſignat.

Omnis, qui venit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtendam vobis, cui ſimilis ſit. Similis eſt homini ædificanti domum (*a*). Homo autem hic domum ædificans, ipſe eſt mediator Dei, & hominum, homo Chriſtus Jeſus, qui dilectam ſibi domum, ſanctam videlicet Eccleſiam, in qua perpetuo maneret, ædificare, & conſecrare dignatus eſt.

Qui fodit in altum, poſuit fundamenta ſupra petram (*b*). Quia in corde ſuorum fidelium quicquid terrenæ intentionis invenit, funditus extirpare ſtuduit, quatenus ejectis priſcæ conſuetudinis ruderibus, ac cogitationibus ſuperfluis, ſtabilem in eis ipſe & inconcuſſam poſſit habere manſionem. Ipſe eſt enim petra, ſupra quam hujuſmodi domus fundamenta collocavit. Nam ſicut in domo ædificanda nil petræ, cui fundamentum imponatur, antefertur: ita Sancta Eccleſia petram ſuam, videlicet Chriſtum, imo habet in corde reconditam: neque aliquid fidei illius, ac dilectioni præponit, adeo ut pro hac etiam mortem pati non dubitet: cui nimirum petræ princeps Eccleſiæ quia firmiſſime inhæſit, ab ea nomen accepit, quando audivit (*c*): *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.*

Inundatione autem facta, illiſum eſt flumen domui illi, & non potuit eam movere: fundata enim erat ſupra petram (*d*). Patet expoſitio, quia pulſata eſt ſæpe preſſuris Eccleſia, nec dejecta. Quod ſi qui credentium male victi ceſſerunt, ad hanc utique domum non pertinebant: quia ſi ſupra petram fidei, & non potius ſuper arenam perfidiæ, vel levitatis fundati conſiſterent, labefactari prorſus nunquam valerent. Notandum autem, quod hæc inundatio tentationum tribus modis Eccleſiam impugnat. Nam vel a ſua concupiſcentia tentatur *quiſque abſtractus, & illectus* (*e*), vel falſorum fratrum improbitate fatigatur, vel aptioribus externorum appetitur inſidiis. Quæ videlicet tentamenta Dominus alibi (*f*) *portas inferi* nuncupat, & merito; quia nimirum ſi vicerint, in æternum trahunt interitum. *Et ſuper hanc petram*, inquit, *ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam* (*g*). Etſi ergo pulſant, non tamen dejiciunt Eccleſiam Chriſti portæ diaboli: & ſi irruit tentatio perfidiæ, non ſubruit domum fidei. Quæ enim adjutori ſuo veraciter dicere poteſt (*h*): *Dum anxiaretur cor meum, in petra exaltaſti me*: non debellatur ab extraneis, quia rabiem perſequentium infidelium cum corona martyrii patiendo ſuperat: non corrumpi-

tur

(*a*) Lucæ VI. 47, & 48. (*b*) Ibidem verſ. 48. (*c*) Matthæi XVI. 18. (*d*) Lucæ VI. 48.
(*e*) Jacob. I. 14. (*f*) Matth. 16. 18. (*g*) Ibid. (*h*) Pſal. 60. 3.

Digitized by Google

tantum *in Judæa Deus*. At poſtquam ille in ea, qua natus, & paſſus eſt, carne reſuſcitatus a mortuis, & exaltatus eſt ſuper cœlos Deus, ſuper omnem continuo terram nominis ejus gloria refulſit, orbiſque univerſus ad ædificationem domus illius accurrit, & accepit ab eo promiſſionem donorum cœleſtium. Narrat ergo Scriptura, quia præcepit Rex Salomon, *ut tollerent lapides grandes in fundamentis Templi, & quadrarent eos*. Lapides autem grandes pretioſi, qui in fundamento locati totum onus Templi ſibi ſuperpoſitum portant, eximios ſanctæ Eccleſiæ Doctores inſinuant, grandes nimirum excellentia meritorum, pretioſos claritate ſignorum, qui ab ipſo Domino verbum audientes totam creſcentis Eccleſiæ fabricam ſua prædicatione genuerunt.

Quos

---

tur a falſis fratribus, quia & Hæreticorum dogmata recte credendo refutat, & vitioſa quorundam Catholicorum exempla ſobrie, & juſte, & pie vivendo devitat: non obcæcatur fumo propriæ cupiditatis, quia fervet interius ſolo ardore Dominicæ charitatis. Huic autem homini, id eſt, redemptori noſtro, qui Eccleſiam ſibi univerſalem invincibili mentis fortitudine copulavit, pro modo ſuo quique ſimilantur electi, quando quod ipſe in tota Eccleſia generaliter facit, hoc illi in ſuis ſinguli cordibus agere ſpecialiter curant. Nam quaſi in altum fodiendo, ſuam vigilanter conſcientiam diſcutiunt; ne quid in ea ſordidum lateat, ſolerter inquirunt: cunctas a fundo cordis ſupervacuorum cogitatuum latebras manu ſedulæ diſcretionis exhauriunt, quatenus in ſe firmam, quietamque fidem petræ illi fortiſſimæ, hoc eſt, Chriſto præparent: Sicque ut per ejus præſentiam inſuperabiles inter ſeculi torrentis adverſa, & proſpera blandientis perdurent. Hæc adjuvante Domino, fratres chariſſimi, de Euangelicæ lectionis expoſitione tranſcurrimus. Sed videtur congruum ſolemnitati, quam colimus, de ædificatione templi aliqua commemorare, & quam decenter ornatus illius Eccleſiæ ſignificationi conveniat, indagare. Narrat ergo Sacra Scriptura (*a*), *quia præceperit Salomon, ut tollerent lapides grandes, lapides pretioſos in fundamentum templi, & quadrarent eos*. Lapides autem grandes, & pretioſi, qui in fundamento locati, totum onus templi ſibi ſuperimpoſitum portant, eximios Sanctæ Eccleſiæ Doctores inſinuant, grandes nimirum excellentia meritorum, pretioſos claritate ſingulorum, quæ ab ipſo Domino verbum audientes totam Eccleſiæ creſcentis fabricam ſua prædicatione genuerunt. Quando enim in ſcripturis fundamenta plurali numero dicuntur, vel prædicatores ſanctos, vel firmas juſtorum cogitationes ſignificant. Unde eſt illud Pſalmiſtæ (*b*): *Fundamenta ejus in montibus ſanctis*. At cum ſingulari numero fundamentum ponitur, ipſum ſæpius auctorem bonorum omnium indicat, de quo Apoſtolus ait (*c*): *Fundamentum enim aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: & de quo rurſus ad Epheſios (*d*): *ſed eſtis*, inquit, *cives Sanctorum, & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*. In hoc ergo fundamento, lapides grandes & pretioſi, qui templum omne geſtarent, ſunt poſiti: quia per ipſum ad propagandam toto orbe Eccleſiam, & poſt Patriarchæ, & Prophetæ, & poſtmodum ſunt Apoſtoli inſtructi, qui quo arctius amori ejus inhærebant, eo fortius ſectatores ſuos in ædificio cœleſti ſuſtentabant.

Quos

(*a*) III. Regum 5. 17. (*b*) Pſal. 86. 1. (*c*) 1. Cor. 3. 11. (*d*) Eph. II. 19, & 20.

Digitized by Google

Quos videlicet lapides Rex quadrare præcepit, ut magiſtros Eccleſiæ compoſitos moribus, & immobiles animo eſſe debere ſignaret. Sicut vero quadratum, quocunque vertitur, ſtabit, ita nimirum vita perfectorum quę ad veritatis lineam ſollicite directa eſt, nullis tentationum impulſibus a ſua novit ſtabilitate dejici. Erat autem Templum Dei marmore pario, quod eſt, lapide albo, extructum, ut candorem Eccleſiaſticæ caſtitatis exprimeret, de quo in amoris Cantico Dominus ait: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias.* Habebat idem LX cubitos in longitudinem, XXX cubitos in latitudinem, XXXX cubitos in altitudinem. Longitudo ergo Templi fidem ſanctæ Eccleſiæ deſignat, per quam longanimiter inter opera ſua bona pravorum adverſa tollat: latitudo charitatem, qua ipſa intus per viſcera pietatis ſpatiatur: altitudo ſpem, qua propter bona opera, quæ per charitatem operantur, cœleſtis vitæ præmia expectant. Et bene longitudo lx cubitorum eſt. Senario etenim numero bonorum operum ſolet perfectio deſignari, quia etiam Deus ſex diebus mundi ornamentum fecit; et ſex ſunt hujus ſeculi ætates, in quibus ſancta Eccleſia pro æterna requie piis actibus inſtat. Bene xx ſunt cubiti latitudinis, quia geminum eſt præceptum charitatis, quoniam Eccleſia in tribulatione dilatatur, quum perfectus quiſque etiam conditorem ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam ſe ipſum diligere debet. Bene xxx in altitudine ſunt cubiti, quia omnis Electorum ſpes ad viſionem ſanctæ Trinitatis, quantum valet, ſe exercendo, & purificando properat. No-

---

Quos videlicet lapides quadrare præcepit, ut magiſtros Eccleſiæ compoſitis moribus, & immobiles animo eſſe debere ſignaret. Sicut enim quadratum quacunque vertitur parte, ſtat: ita nimirum vita perfectorum, quæ ad veritatis lineam ſolicite directa eſt, nullis tentationum impulſibus a ſua novit ſtabilitate dejici. *Erat autem templum de marmore pario*, qui eſt lapis albus, *extructum* (*a*), ut candorem Eccleſiaſticæ caſtitatis exprimeret: de quo in amoris Cantico Dominus ait (*b*): *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Habebat ſexaginta cubitos in longitudine, & viginti cubitos in latitudine, & triginta cubitos in altitudine* (*c*). Longitudo ergo templi fidem ſanctæ Eccleſiæ deſignat, per quam longanimiter inter opera ſua bona pravorum adverſa tolerat: latitudo charitatem, qua ipſe intus per viſcera pietatis ſpatiatur: altitudo ſpem, qua propter bona, quæ per charitatem operatur, cœleſtis vitæ præmia expectat. Et bene *longitudo ſexaginta eſt cubitorum*. Senario enim numero, bonorum operum ſolet perfectio deſignari: quia & Dominus mundi ornatum ſex diebus perfecit (*d*), & ſex ſunt hujus ſeculi ætates, in quibus Sancta Eccleſia pro æterna requie piis actibus inſtat. Bene *viginti ſunt cubiti latitudinis*, quia geminum eſt præceptum charitatis, qua Eccleſia in tribulatione dilatatur, quando perfectus quiſque & conditorem *ex toto corde, tota anima, tota virtute, & proximum tanquam ſe ipſum* (*e*) diligere probatur. Bene *triginta in altitudine ſunt cubiti*, quia omnis electorum ſpes ad viſionem ſanctæ Trinitatis, quantum valet, ſe exercendo, & purificando præparat. Sex igitur ad fidei longanimitatem, tria ad celſitudinem ſpei, duo pertinent ad latitudinem amoris, quibus tribus virtutum inſignibus totum Sanctæ

(*a*) I. Paral. 29. 1. (*b*) Cant. 2. 1. (*c*) III. Reg. 6. 2. (*d*) Geneſ. 1. (*e*) Deut. 6. 5. Matth. XXII. 37. &c.

Notandum ſane eſt, quod xxx cubiti altitudinis non uſque ad ſupremum templi faſtigium, ſed uſque ad laquearia templi pertinebant; deinde ad laquearia medii tabernaculi alii xxx cubiti altitudinis aſſurgebant. Porro terrenum cœnaculum, quod ſupererat, lx habebat in latitudinem, ac ſic omnis altitudo domus in cxx cubitis erat extenta. Prior igitur domus xxx cubitis in altitudine ſurgit, quia præſens Eccleſia ad videndam ſpeciem Sanctæ Trinitatis tota intentione ſuſpenditur. Superior domus xxx æque cubitis ſe in altum attollit, quia ſolutæ corporibus animæ perfectorum uſque ad diem univerſalis Judicii ejuſdem beatæ & individuæ Trinitatis præſenti viſione fruuntur. Suprema domus bis tricenis alta eſt cubitis, quia reſuſcitati a mortuis omnes electi contemplatione ejuſdem ſui conditoris, qui in tribus perſonis unus eſt Deus, æterna ſpiritus ſimul, & carnis immortalitate gaudebunt. Factus eſt medius paries in templo de tabulis cedrinis xx cubitorum altitudinis, qui divideret oraculum in Sanctum Sanctorum, a priore parte templi habebat xx cubitos longitudinis, & xx cubitos latitudinis, & xx cubitos altitudinis. Porro ipſum templum præ foribus oraculi xv cubitorum erat, in quo erant menſæ, & candelabrum de auro. Sed & altare aureum prope oſtium Oraculi, quatenus incenſo in eo thymiamate vapor fumi aſcendens operiret oraculum, ubi erat arca Teſtamenti, ſuper qua erant Cherubim gloriæ obumbrantia Propitiatorium. Prior ergo domus prioris Eccleſiæ ſtatum; interior vitæ cœleſtis ingreſſum deſignat. Unde recte priori menſæ & candelabra ſunt facta, quia nimirum in hac vita lumine ſanctarum Scripturarum, & Sacramento-

---

ctæ Eccleſiæ ſtatum conſtat perfrui. Quod autem per denarium, qui perfectus eſt numerus, ſingula hæc multiplicantur, multiplex ejuſdem perfectionis augmentum figurate denunciatur. Notandum ſane quod (*a*) *triginta cubiti altitudinis, non uſque ad ſupremum templi faſtigium, ſed uſque ad laquearia pertingebant: deinde ad laquearia medii cœnaculi alii triginta cubiti altitudinis aſſurgebant. Porro tertium cœnaculum quod ſupererat, ſexaginta habebat cubitos in altitudine, ac ſic omnis altitudo Domus in centum viginti erat cubitos extenta. Prima igitur domus triginta cubitis in altitudinem ſurgit*, quia præſens Eccleſia ad videndam ſpeciem Sanctæ Trinitatis tota intentione ſuſpenditur: *ſuperior domus triginta æque cubitis ſe in altum attollit*, quia ſolutæ corporibus animæ perfectorum, uſque ad diem univerſalis judicii, ejuſdem beatæ & individuæ Trinitatis præſenti viſione fruuntur. *Suprema domus bis tricenis alta eſt cubitis*, quia reſuſcitati a mortuis omnes electi, in contemplatione ejuſdem ſui conditoris, qui in tribus perſonis unus eſt Deus, æterna ſpiritus ſimul, & carnis immortalitate gaudebunt. *Factus eſt autem* (*b*) *medius paries in templo de tabulatis cedrinis viginti cubitorum altitudinis, qui divideret oraculum, id eſt, Sanctum Sanctorum a priore parte templi, habebatque oraculum viginti cubitos longitudinis, & viginti cubitos altitudinis. Porro ipſum templum pro foribus oraculi quadraginta cubitorum erat, in quo erant menſæ, & candelabra de auro: ſed & altare aureum prope oſtium tabernaculi, quatenus incenſo in eo thymiamate, vapor fumi aſcendens aperiret oraculum, ubi erat arca teſtamenti ſuper qua erant Cherubin gloriæ obumbrantia propitiatorium.* Prior ergo domus præſentis Eccleſiæ ſtatum, interior vitæ cœleſtis ingreſſum deſignat. Unde recte in priori menſa & candelabra ſunt facta, quia nimirum in hac

(*a*) III. Regum vi. 2, 6, 15. &c. (*b*) Ibidem.

Digitized by Google

torum cœleſtium refectione opus habemus: In futuro autem talibus non egebimus ſubſidiis, ubi juxta Pſalmiſtæ vocem *quicunque apparuerint cum juſtitia, ſatiabuntur manifeſta gloria Domini*. In hac ergo vita corda juſtorum, quaſi altare incenſi aureum, ſplendida fulgent per munditiam ſanctitatis. Aromatibus ſunt referta deſideriorum ſpiritualium, incendio flagrant amoris continui, & quaſi cœleſtis introitus poſita ſuaviſſimum ſuæ orationis vaporem inter ſancta ſanctorum ſuperna emittunt, *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens*, quem apertiſſime arca teſtamenti, quæ erat intra velum, deſignat; in qua *Urna erat aurea habens Manna, & Virga Aaron, quæ fronduerat, & Tabulæ teſtamenti*. Ipſa namque Arca naturam humanitatis ejus; Urna mannæ plenitudinem divinitatis; Virga Aaron potentiam ſacerdotii ejus inviolabilem; Tabulæ teſtamenti deſignant, quia ipſe eſt qui legem condidit, quique etiam benedictionem his, qui legem faciunt, dabit. Bene autem Templum præ foribus Oraculi XV erat cubitorum longitudinis, quoniam adhuc in hac vita jejuniis, & continentia caſtigari oportet, ut ad internæ dulcedinis ſatietatem pervenire videamur; Nam hoc numero caſtigationem vitæ præſentis ſignari intelligit omnis, qui quadragenarium Moyſi, vel Heliæ, vel ipſius Domini jejunium recte intelligere vult. Bene ipſum Oraculum, in quo Arca, quæ per Cherubin gloriæ tegebatur, XX cubitos longitudinis, latitudinis, altitudinis habebat, qui numerus perfectionem, ut diximus, geminæ dilectio-

---

hac vita lumine ſanctarum Scripturarum, & Sacramentorum cœleſtium refectione opus habemus: in futuro autem talibus non egemus ſubſidiis, ubi juxta Pſalmiſtæ vocem (*a*) *quæcunque apparuerint cum juſtitia, ſatiabuntur manifeſta gloria Chriſti*. In hac quoque vita corda juſtorum quaſi altare incenſi aureum, ſplendida fulgent per munditiam ſanctitatis, aromatibus referta deſideriorum ſpiritalium, incendio flagrant amoris continui: & quaſi in proximo cœleſtis introitus poſitus, ſuaviſſimum ſuæ orationis vaporem juxta ſancta ſanctorum ſuperna emittunt, *ubi Chriſtus eſt in dextera Dei ſedens* (*b*). Quem aptiſſime *arca teſtamenti, quæ erat intra velum*, deſignat, *in qua urna erat aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat, & tabulæ teſtamenti* (*c*). Ipſa namque arca naturam humanitatis ejus, urna mannæ plenitudinem divinitatis, *virga Aaron* potentiam ſacerdotii ejus inviolabilem, tabulæ teſtamenti deſignant: quia ipſe legem dedit, quique etiam benedictionem his qui legem faciunt, dabit. Bene *templum præ foribus oraculi quadraginta cubitorum erat longitudinis*, quando in hac adhuc vita jejuniis, & continentia nos caſtigari oportet, ut ad internæ dulcedinis ſatietatem pervenire mereamur. Namque hoc numero caſtigationem vitæ præſentis ſignificare intelligit omnis, qui quadragenarium Moyſi, vel Heliæ, vel ipſius Domini jejunium recte intelligere novit. Bene *ipſum oraculum* (*d*), *in quo arca per Cherubin gloriæ tegebatur, viginti cubitos longitudinis, latitudinis, & altitudinis habebat*, qui numerus perfectionem, ut diximus, geminæ dilectionis inſinuat: quia quicquid in hac peregrinatione pro Deo geritur, totum hoc in illa manſione patriæ.

(*a*) Pſal. 16. 15. *Ego autem in juſtitia apparebo conſpectui tuo, ſatiabor, cum apparuerit gloria tua.*
(*b*) in Hymno, quem vocamus Angelicum. & jam dudum recitat Eccleſia in miſſa: *Qui ſedes ad dexteram Patris*: Rom. 8. 34. *Chriſtus Jeſus, qui eſt ad dexteram Patris*. Ad Heb. I. 3. & 4. Rurſus X. 12. XII. 2. & Act. I. 34. VII. 55. (*c*) Heb. IX. 4. (*d*) Exod. XXV. 18. III Reg. VI. 20.

ctionis inſinuat, quia quicquid in hac peregrinatione pro Deo geritur, totum hoc in illa manſione patriæ perennis, ubi magnificentia ejus continua bonorum ſpirituum laudatione ſuſtollitur, in ſola dilectionis amplitudine perficitur. Hæc nos, chariſſimi, in præſentis feſti noſtri gaudium de factura templi pauca ex pluribus fraternitati veſtræ expoſuiſſe libuit, quatenus & miranda terreſtris domus fabrica delectaret audientes, & hæc eadem ſpiritualiter intellecta mentes noſtras ardentius ad amorem ſupernæ habitationis erigeret. Sed etiam hac modo expoſita dedicatione, ac feſtivitate ſubſecuta, ita Scriptura concluſit (*a*): *Et dimi-*

(*a*) III. Regum 8. *66.*

---

patriæ perennis, ubi magnificentia ejus continua beatorum ſpirituum laudatione ſuſtollitur, in ſola dilectionis amplitudine perficitur. *Erat & porticus* (*a*) *ante templum viginti cubitorum longitudinis, juxta menſuram latitudinis templi, & decem cubitorum latitudinis, habens oſtium contra oſtium templi ab oriente:* quæ videlicet porticus illam Sanctæ Eccleſiæ plebem deſignat, quæ Dominicæ incarnationis tempora præceſſit: nec tamen ab ejuſdem incarnationis fide vacua remanſit. Hoc eſt enim *oſtium porticus, contra oſtium templi eſſe ad ortum ſolis*, fidem populi prioris de Chriſto eandem eſſe quæ ſequentis, eodemque gratiæ orientis lumine cunctorum fidelium corda illuſtrari. Unde bene (*b*) *in eadem porticu duæ columnæ æreæ, maximi & mirandi operis circa oſtium Templi* narrantur eſſe ſtatutæ, *& his capitella quaſi opere lilii ſuperimpoſita*. Columnæ enim ſtant ante oſtium Templi: quia adventum redemptoris noſtri, qui ait (*c*): *Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit, ſalvabitur*, præceſſerunt Doctores egregii, de qualibus dicit Apoſtolus: *Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, qui eidem adventui ejus teſtimonium perhiberent. Una enim a dextris oſtii, alia ſtabat a ſiniſtris*: quia & populo Iſrael, qui tunc divina fide, & charitate calebat, incarnationem ſui redemptoris futuram præcinebat, & non minus gentibus, quæ adhuc quaſi ad aquilonem poſitæ perfidiæ frigore torpebant, ejuſdem redemptoris ingreſſum prædicabant eſſe pandendum. Quod vero *capitella columnarum quaſi opere lilii* fabricata erant, ſignificat, quia tota prædicationis eorum ſumma, de claritate perpetuæ beatitudinis inſonuit, ejuſque videndam gloriam ſuis auditoribus promiſit, qui æternus ante ſecula Deus exiſtens, homo factus eſt in fine ſeculorum, ut quaſi flos lilii interius colorem auroſum, exterius haberet candidum. Quid namque *auri rubor in candore*, niſi fulgor eſt divinitatis in homine? quem videlicet hominem & prius virtutibus clarum oſtendit, & poſt mortem niveo incorruptionis ſplendore veſtivit. Hæc nos, fratres chariſſimi, in præſentis feſti noſtri gaudium de ſtructura templi pauca ex pluribus fraternitati veſtræ expoſuiſſe libuit, quatenus & miranda terreſtris domus Domini fabrica delectaret auditum, & hæc ſpiritaliter intellecta, mentes noſtras ardentius ad amo- rem

(*a*) 3. Regum VI. 3 hæc extant: *Et porticus erat ante templum viginti cubitorum longitudinis juxta menſuram latitudinis templi: & habebat decem cubitos latitudinis ante faciem templi.* Quæ adduntur, *habens oſtium contra oſtium templi*, ſi non errantem Scriptorem, aut certe amanuenſem indicant (quod enim oſtium porticus erit?) ex alio loco deſumpta ſunt.
(*b*) III. Reg. VII. 15, & 16. (*c*) Joan. X. 9.

Digitized by Google

dimiſit Salomon populos, qui benedicentes Regi profecti ſunt in tabernacula ſua lætantes, & alacri corde ſuper omnibus bonis quæ fecerat Dominus David puero ſuo, & Iſrael populo ſuo: Dimittet enim Dominus peracto redemptionis munere electos ſuos in æterna tabernacula lætantes; non eos utique ulterius a ſua præſentia removebit, ſed a diſcrimine judicii, quod in aere faciendum, docente Apoſtolo, novimus (*a*), in habitationem Patriæ cæleſtis immittens, ut pro ſuis quiſque meritis promiſſam regni cœleſtis ſedem percipiant. Bene autem dicitur, quod *benedicentes Regi profecti ſunt in tabernacula ſua*, quia hæc eſt nimirum ſola occupatio quietiſſima, ac fideliſſima civium ſupernorum, hymnos gratiarum ſuo dicere conditori: hinc enim ſcriptum eſt (*b*): *Beati qui habitant in domo tua, in ſeculum ſeculi laudabunt te*: lætantes in tempore, & alacri corde ſuper omnibus bonis, quæ fecerat Dominus David ſervo ſuo, & Iſrael populo ſuo. Lætantes quippe juſti ſuper bonis, quæ a Domino accipiunt, tabernacula introeunt cœleſtium manſionum, quia quamvis graves hujus ſeculi, quamvis longi fuerint labores, breve nimirum & leve quidquid æterna beatitudine finitur. Unde oportet, Cariſſimi, ut in ædificatione Domus Dei unuſquiſque noſtrum exhortando, obſecrando, increpando, ipſe piis actibus deſudando, quantum valet, inſiſtat, ne ſi quempiam Rex cœleſtis nunc deſidere in opere ſui templi conſpexerit, hunc in tempore futuræ dedicationis, magnæ ſuæ ſolemnitatis reddat exortem. Satagamus mutuo charitatis auxilio, ut omnes vos alacri corde, & indefeſſos in operibus, quæ ipſe præcepit, inveniens, omnes ad præmia, quæ promiſit, perpetuæ ſuæ viſionis introducat Jeſus Chriſtus Dominus noſter, qui vivit & regnat cum Patre Deus in unitate Spiritus Sancti per cuncta ſecula ſeculorum. Amen.

(*a*) I. Theſſa. IV. 16. (*b*) Pſal. 83. 5.

---

rem ſupernæ habitationis erigeret. Diligamus ergo, fratres mei, toto corde decorem domus æternæ, quam ex Deo habemus in cœlis, & de loco tabernaculi gloriæ ejus ſedulo cogitare, ac nos alterutrum admonere curemus. Unum ante omnia petamus ab eo, & hoc infatigabili intentione quæramus, ut inhabitare mereamur in domo ejus omnibus diebus vitæ noſtræ, hoc eſt, perenni vita ac luce felices. Non autem ſpernit, neque deſpicit preces pauperum, quando hoc quod diligit ipſe, precamur: ſed clementer exaudiens donabit nos videre bona ſua in terra viventium Chriſtus Jeſus Dominus noſter, qui vivit & regnat in ævum.

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI

In quatuor, quæ ſequuntur, Opuſcula

PRÆFATIO.

Opuſcula, quæ ſubjicimus, tametſi in codicibus, ex quibus ea deſumpta ſunt, Hieronymum in fronte præferant, Hieronymo tamen *Doctori maximo* adſcribere minime audemus: ſed vel alteri Hieronymo, qui longe a Stridonienſis excellentia, atque auctoritate abſit, vel anonymo prorſus ignoto tribuenda putamus. Si quid tamen conjiciendo aſſequi poſſumus, Opuſculum, quod priori loco edimus, & ex noſtræ Bibliothecæ codice (*a*), item ut duo ſubſequentia, eruimus, eum habere videtur auctorem, cui tribuimus *quæſtiones Hebraicas in libros Regum*, & *Paralipomenon*, in Appendicem Tomi III Operum Hieronymi a Vallarſio rejectas. Eadem enim in utriſque eſt phraſis, & in Codice noſtro haud obſcure indicatur, ab uno eodemque ſcriptore fuiſſe hæc omnia elucubrata: proxime enim poſt *quæſtiones in libros Regum*, & *Paralipomenon*, quas diximus, ſequuntur *quæſtiones in Habacuch*, quas nunc edimus (*b*), quaſi ab uno eodemque Scriptore elucubratæ, & veluti continuatio operum ejuſdem auctoris.

Duo vero ſubſequentia opuſcula commode eidem ſcriptori tribuimus, cui tribuenda ſunt opuſcula quæ inſcribi ſolent *de tentationibus populi Iſrael in deſerto*. Et: *Succincta narratio decem tentationum*: quorum quidem opuſculorum, item ut *expoſitionis in Canticum Deboræ*, & earum, quas diximus, *quæſtionum in libros Regum*, *ac Paralipomenon*, ſi eundem auctorem dices, natione, niſi fallimur, ac religione hebræum, ſed qui Vulgatæ noſtræ fere adhæreat, id dices, quod viris preclariſſimis veri ſimillimum viſum eſt (*c*).

Sermonem demum, quem nunc primum ex Romano S. Crucis in Hieruſalem Codice excriptum ad me miſit Eminentiſſimus, idemque humaniſſimus, ac ſtudiorum noſtrorum eximius fautor Fortunatus Cardinalis Tamburinus, ei tribuimus, cui ſermones tribuimus, de *reſurrectione* inſcriptos, & in Appendicem *Operum Hieronymi rejectos* (*d*): eadem etenim in his omnibus ſcriptio eſt, & in eo, ex quo ſermo iſte exſcriptus eſt, Codice, medium locum inter eoſdem ſermones obtinet. Hæc te noſſe volebam, humaniſſime Lector. Vale.

(*a*) Codex iſte in veteri indice centeſimus ſexageſimus quintus erat, & a Matthæo de Dulphis Canonico noſtro, viro profecto eximio, & de cœtu noſtro præclariſſime merito ſcriptus eſt, ut apparet ex his verbis vetuſta manu ſcriptis, quæ in fine codicis leguntur: *Iſte liber eſt Fratrum Canonicorum Regularium*, *ordinis S. Auguſtini*, *Congregationis Sancti Salvatoris de Bononia*: *cujus ſcriptor fuit Venerabilis Pater Frater Matthæus de Dulfis*: *& eſt ſignatus* 165. Nunc in ſuperiore parte Plutei quarti ad ſiniſtram ſitus eſt. Continet porro *deſcriptionem locorum Terræ Sanctæ*, & *Quæſtiones hebraicas in Geneſim*; atque hæc quidem ibi Hieronymo tribuuntur: præter hæc *Explanationem decem tentationum*, & *Succinctam commemorationem earumdem*

dem decem tentationum, & *Explanationem cantici Deboræ*, & *Barach*, & *Quæſtiones hebraicas in libros Regum*, & *Paralipomenon*, & *Quæſtiones in Habacuch Prophetam*, tum demum alia duo, quæ nunc evulgamus, Opuſcula.

(*b*) Ad exitum deductis iis queſtionibus, hæc habentur: *Expliciunt quæſtiones de Breiamin* (ideſt Dibre hajamim, ſeu *Paralipomenon*, aut *relictorum*), & ſtatim ſubjungitur: *incipiunt in Habacuch Prophetam*. *Ubicunque onus* &c.

(*c*) Phraſis eadem eſſe videtur, et ſcribendi ratio. In hac opinione me præeunt viri doctiſſimi Martianæus, & Vallarſius, quorum poſtremus hæc in admonitione in *libellum de decem tentationibus*, & *in Commentarium in Canticum* Deboræ, hæc tradit (pag. 741 Tomi III Operum Hieronymi): *Utriuſque auctorem, quem unum eundemque eſſe, ex ſtili, ac ſententiarum ſimilitudine, nihil eſt dubium, Editor Benedictinus eum putat eſſe Hebræum neſcio quem a Rabano laudatum in Præfationibus Commentariorum in libros Regum* & *Paralipomenon, quem rurſus eundem cum eo facit, qui in ipſos Regum* & *Paralipomenon libros Quæſtiones hebraicas, falſo itidem Hieronymo inſcriptas, moxque a nobis recognoſcendas concinnavit. In quam ego ſententiam non invitus conceſſerim: ſiquidem in ſcribendo inter utrumque intercedit ingenii ſimilitudo.* Id quod proxime ante ex Martianæo, & Vallarſio dixi, Hebræum ſcilicet religione cenſeri eum, cui tribuimus *Quæſtiones in libros Regum*, & *Paralipomenon*, Vallarſius in admonitione *in Quæſtiones hebraicas in libros Regum*, & *Paralipomenon* Martianæum allegans rurſus expreſſiuſque docet: atque illius verba hic exſcribere operæ pretium reor. (pag. 753 Tomi III Operum S. Hieronymi) „ *Damus*, inquit, *hanc laudem Martianço, qui ſubſequentium hebraicarum quæſtionum in Regum* & *Paralipomenon libros germanum auctorem, de quo tantopere antea ab eruditis in utramque partem diſputatum eſt, ex Rabani Mauri teſtimonio indicavit. Uſque in præſens tempus, inquit ille in præfixa his libris Admonitione quam deſcribimus, parum liquebat, quo Auctore editæ fuiſſent hujuſmodi Quæſtiones:* & *falſo probabile putabatur, quædam in illis decerpta fuiſſe ex Hieronymi Commentariis. Nunc vero manifeſtiſſime apparet, ſyntagmata iſtæc Auctorem habuiſſe quemdam Hebræum in ſcientia Legis florentem, qui aliquanto ante Rabanum Maurum vitam duxiſſe perhibetur. Nam idem Maurus conceptis verbis fidem facit, Hebræum illum anonymum edidiſſe Commentarios in Regum* & *Paralipomenon volumina, quorum ipſe Commentariorum Capitula nonnulla,* & *obſervationes inſerere voluit cum expoſitionibus celebriorum Eccleſiæ Chriſti Scriptorum, ut nihil ſupereſſet ad ſtudium, ac diligentiam, qua Libros jam dictos illuſtrandos ſuſceperat.* Præterea, *inquit Præfatione Commentariorum in Libros Regum*, Hebræi cujuſdam modernis temporibus in Legis ſcientia florentis capitula traditionem Hebræorum habentia non paucis in locis ſimul cum nota nominis ejus inſerui: non quaſi ingerens alicui auctoritatem ipſius, ſed ſimpliciter potius, quod ſcriptum reperi, ejus probationem Lectoris judicio derelinquo. *Eadem inculcat Præfatione Commentar. in Paralipomena*: Quatuor, *inquit*, Commentariorum Libros edidi, quos & Sacratiſſimo genitori veſtro Ludovico Imperatori præſentialiter in noſtro monaſterio tradidi; in quibus, ſicut & præſenti opere feci, Joſephi Judæorum hiſtorici narrationem, nec non & Hebræi cujuſdam modernis temporibus in ſcientia Legis florentis opiniones pleriſque in locis interpoſui: ſed non ita, ut quaſi Lectorem invitum ad ipſorum traditionis aſſenſum pertraherem; ſed magis judicio ac probationi ipſius illa derelin-

,, quens. ,, Et Hebræum ſane ſe prodere videtur is, cujus opuſcula nunc evulgamus, dum in hebraicis rebus explanandis unice intentus, quidquid ad Chriſtianam religionem pertinet, prorſus præterit. Etenim quæ in eo opuſculo, quod *Chronica ſuccincte deſcripta de regno Hebræorum* inſcribitur, de Chriſto, et illius Apoſtolis leguntur, ab amanuenſi Chriſtiano addita puto : neque enim conveniunt iſta cum ejus Scriptoris meta, qui *Chronicon ſuccinctum de regno Hebræorum* deſcribit, quique prophetias omnes a Davide, et a reliquis prophetis ſubſequentium Regum tempore prolatas negligit, omittitque. Quod porro Vulgatam ſequatur ille ſcriptor, is facile aſſequetur, qui illius opuſcula conſuluerit.

(*d*) pag. 212, & 215 Tomi XI Editionis Veronenſis, ſeu Vallarſii. Porro in Codice, ex quo exſcriptum damus ſermonem, hic ordo ſervatur. I. *Hodie Iſrael &c.* II. *In omni quidem &c.* quem nunc edimus. III. *Non queo fratres Cariſſimi* &c.

Digitized by Google

INCIPIUNT QUÆSTIONES
IN ABACHUC PROPHETAM.

Cap. 1. verſ. 1. UBicumque *onus* verbi Domini ponitur, gravedo in prophetia illa ſignatur. Queritur Propheta ad Dominum: cur impii prævalent adverſus juſtos, ut laceretur lex a detrahentibus, qui dicunt eam non eſſe veracem, dum juſtos vident opprimi, & ab impiis bonos exſuperari. Quod proprie tunc Abachuc agebat, quando Uriam prophetam de Ægypto reductum Joachim Rex Juda interfecit.

Verſ. 5. Vox Domini reſpondentis, & dicentis: *Aſpice (a) in gentibus: quia opus factum eſt*: id eſt fiet: *quod nemo credat, cum narrabitur*: ut domus Domini ſit diruta, & ſancta ſanctorum ſint incenſa.

Verſ. 7. *Horribilis, atque terribilis eſt*. Gentem Chaldæam dicit.

Ex ſemetipſa judicium, & onus ejus egredietur: quia putabat ſe ſuis viribus facere quod Domini permiſſu factura erat.

Verſ. 8. *Leviores Pardis Equi ejus, & velociores Lupis veſpertinis*. In Pardis Macedones: in Lupis Romanos volunt intelligi.

Verſ. 9. *Facies eorum ventus urens*: id eſt terribilis.

Verſ. 9. *Congregavit (b) quaſi arenam captivitatem*, & cetera quę ſequuntur, de Nabuchodonoſor vult intelligi, qui de Regibus triumphavit.

Verſ. 10. *Et Tyranni ejus erant ridiculi*. Quod plene liber Paralipomenon, & Regum demonſtrant: quod de Sedechia, & de ceteris regibus factum eſt.

Verſ. 10. *Ipſe ſuper omnem munitionem videbit*. Civitates dicit, quæ ab illo capiendæ erant. In Hebræo *ipſe* non habet (c).

Verſ. 11. *Tunc mutabitur ſpiritus*, ideſt, Spiritus Domini: quoniam de ſeveritate ad miſericordiam rediet: & *pertranſibit* Nabuchodonoſor: & regnum ejus *corruet*.

Verſ. 11. *Hæc eſt fortitudo (d) Dei ſui*. Ideſt: qui Deum ſe putabat, intelliget ſe, in quantum eum infirmavit. Propheta, qui querebatur, eo quod Dominus differret judicium, poſtquam vidit judicium, & exterminationem factam a Chaldæis in populo ſuo, convertitur ad preces, & dicit:

Verſ. 12. *Nunquid non a principio ſancte meus?* Ac ſi dicat: Nunquid non tu es, qui a principio protelaſti, & gubernaſti genus noſtrum? *Non moriamur (e)*. Ideſt: ut non veniat finis noſter in his tribulationibus, quas patimur.

Verſ. 12. *In judicium poſuiſti eum*: ideſt, Nabuchodonoſor: ad correptionem dediſti eum, non ad conſummationem.

Verſ. 12. *Et fortis (f)*: id eſt: O Domine fortis: ut corriperes: id eſt, flagellares nos per eum, dediſti eum.

Verſ. 13. *Mundi ſunt oculi tui*. Cum oculi tui mundi ſint, & non poſſis reſpicere ad iniquitatem. *Quare reſpicis?* Ideſt, cur vides iniqua agentes, & taces, devorante impio juſtiorem ſe?

Verſ. 14. *Et facies homines quaſi piſces maris*: ideſt, ſicut piſces devorantur minores a majoribus, & reptilia devorantur ab avibus, ſive beſtiis.

Verſ. 15. *Totum in hamo ſublevabit (g)*: ideſt Nabuchodonoſor: & dati ſumus ei in pabulum.

Verſ.

(a) Vulgata: *aſpicite*. (b) Vulgata: *congregabit*. Alibi advertimus, promiſcue interdum ſumi litteras *u*, & *b*. (c) ideſt, *non habetur*. (d) ſubſtitue *ejus*, quæ vox deeſt in Codice. (e) Vulgata: *& non moriemur*. (f) Vulgata legit *fortem*, & refert ad Regem, qui Judæos opprimebat. (g) Vulgata: *ſublevavit*. Vide dicta ad verſiculum 9.

Verſ. 16. *Propterea immolavit ſagenæ ſuæ, & ſacrificavit reti ſuo:* ideſt, Idolis ſuis tribuit, quod non eorum, ſed tua poteſtate facit.

Verſ. 16. *Quia in ipſis incraſſata eſt pars ejus:* ideſt, putat ſe ab Idolis victorem factum, & ſubditas gentes accipere in cibum electum.

Verſ. 17. *Propter hoc expandit ſagenam ſuam:* quia tu das ei ſpatium, & pateris videre mala, quæ ait.

Cap. II. verſ. 1. *Super cuſtodiam meam ſtabo.* Vox Prophetæ eſt, qui in oratione ſua dicebat, ſe permanſurum, donec audiat, quid reſpondeatur ei a Domino.

Verſ. 1. *Quid reſpondeam ad arguentem me?* Tale eſt, ac ſi dicat: Quid reſpondeat mihi, quem ego arguo? Per tropum Antiphraſim, quale eſt illud: *Benedic Deo.*

Verſ. 2. *Et reſpondit mihi Dominus: Scribe viſum.* Qui te dixiſti permanſurum in munitione, donec reponſum acciperes: Scribe, quod auditurus es, ut quod dicturus ſum, perveniat ad noticiam legentium.

Verſ. 3. *Quia adhuc viſus procul:* ideſt, quod ego dicturus ſum, & tu ſcripturus, in longinquum tempus adimplebitur. Nec movearis, quia differtur: ſed certus eſto, quia futurum eſt. Qui enim crediderit, quod ego hæc facturus ſum, ex ſua fide vivet: incredulorum animabus in perverſitate morientibus. His præmiſſis incipit dicere quod Propheta ſcripturus eſt.

Verſ. 5. *Quomodo vinum potantem decipit, ſic erit vir ſuperbus:* ideſt Nabuchodonoſor.

Verſ. 5. *Qui dilatavit quaſi infernus animam ſuam, & quaſi mors non adimpletur:* capturis prædarum, & everſionibus urbium, & interemptionibus hominum inhians. Quamvis enim *omnes gentes congreget ad ſe, & coacervet omnes populos*, iſte eſt ſuper quem *omnes parabolam ſument*, cum viderint interitum ejus: ſicut eſt illud in Eſaia: *Et tu vulneratus es, ſicut & nos* (*a*), & cetera.

Verſ. 6. *Væ ei qui multiplicat non ſua: Uſquequo?* Quam diu multiplicat non ſua? Et quamdiu inſtat prædis & rapinis?

Verſ. 7. *Nunquid non repente conſurgent, qui mordeant te?* Medos dicit, & Perſas, qui everſores regni illius fuerunt.

Verſ. 8. *Quia tu ſpoliaſti gentes multas, ſpoliabunt te omnes, qui reliqui fuerunt de populis.* Perſas, & Medos dicit, qui cum ſint filii Japheth, relicti ſunt, & habitaverunt in terra Sem. *Propter ſanguinem hominis*, ideſt populi Judæi.

Verſ. 8. *Et iniquitatem terræ* Judæ *civitatis Hieruſalem, & omnium habitantium in ea.*

Verſ. 9. *Væ qui congregat avaritiam malam.* Vaſa ſancta de Templo Hieruſalem tranſportata.

Verſ. 9. *Ut ſit in excelſo nidus ejus*, qui per ſuperbiam putat ſe jam cœlum conſcendiſse.

Verſ. 9. *Et liberari ſe putat de manu mali?* (*b*) Interrogative legendum eſt, ut ſubaudiatur: Nunquid cogitaſti confuſionem domui tuæ? ideſt quicquid male egiſti, ad confuſionem domus tuę feciſti. Et ſi fieri poſset, lapides de pariete, & ligna, quæ inter juncturas ędificiorum ſunt, narrarent iniquitatem tuam, juxta illud, *Revelabunt cæli iniquitates ejus* (*c*).

Verſ. 12. *Væ qui ædificat civitatem in ſanguinibus*, & cetera, quæ ſequuntur, ad eundem Nabuchodonoſor referuntur.

Verſ. 13. *Nunquid non hæc a Deo exercituum ſunt?* ideſt, non tuis viribus depopulatus es urbes, & regiones: ſed peccatis eorum, & indignatione mea.

Verſ.

(*a*) Iſa. 14. 10. (*b*) In vulgata legitur ſine interrogativo. (*c*) Job. 20. 27.

Verſ. 13. *Laborabunt enim populi in multo igne, & gentes in vacuum deficient*: ideſt, ſive Macedones, ſive Romani exempla crudelitatis tuæ ſequuti tormentorum tuorum conſortes efficientur. Et hoc tunc fiet, *quando replebitur terra, ut cognoſcat gloriam Domini*.

Verſ. 15. *Væ qui potum dat amico ſuo*. De eodem Nabuchodonoſor dicitur, qui inebriatis regibus, ignominioſa in eis opera, & ludibria exercebat.

Verſ. 16. *Repletus es ignominia pro gloria*. Qui ſe putabat a te gloriam accipere, ignominiam accepit.

Verſ. 16. *Bibe tu quoque, & conſopire*: id eſt, ſimilia patere his quæ feciſti.

Verſ. 17. *Quia iniquitas Libani operiet te*: ideſt Templi Dei, cui dicitur: *Aperi Libane portas tuas* (*a*):

Verſ. 17. *Et vaſtitas animalium*: ideſt, duorum Cherubim, & Propitiatorii, & Arcæ: cujus ornatu locus ille privatus eſt, & in vaſtitatem redactus.

Verſ. 17. *De ſanguinibus hominum, & iniquitate terræ civitatis, & habitantium in ea*: ita intelligendum, ut ſuperius dictum eſt.

Verſ. 18. *Quid prodeſt ſculptile, quia ſculpſit illud fictor ſuus?* Hic jam non ſpecialiter de Nabuchodonoſor, ſed generaliter de omnibus gentibus Idola colentibus dicit uſque ad iſtum locum, qui incipit, *Omnis ſpiritus*.

Verſ. 19. *Omnis ſpiritus non eſt in viſceribus ejus: Dominus autem in templo ſancto ſuo: ſileat a facie ejus omnis terra*: cum venerit ad judicandum.

DE

(*a*) Zach. xi. 1.

Digitized by Google

DE JEJUNIIS DISPUTATIO.

HÆc dicit Dominus exercituum. *Jejunium quarti*, *Jejunium quinti*, *Jejunium ſeptimi*, *Jejunium decimi erit domui Juda gaudium*, *& lætitia*, & cætera. *Jejunium quarti* dicitur, quod eſt jejunium in quarto menſe. Septimo decimo ſcilicet ejuſdem menſis die celebrari juſſum eſt, eo quod a Pharaone Nechao Rege Ægypti, interfecto Joſia Rege Juda, populus terræ filium ejus Joachaz, qui & Sellum vocatur, Regem pro eo conſtituerat; quem poſtea Necho ſibi ſubdidit. Quem etiam a ſe propter Chaldæos deficere ſentiens, tertio menſe poſtquam ei ſubditus fuerat, ab eo captus, & in Ægyptum ductus, ibique mortuus eſt ſeptimo die menſis Junii, qui hebraice Tamuz vocatur; fratremque ejus Joachim, qui & Eliachim, idem Necho Regem loco ejus conſtituit. *Jejunium quinti* nono die menſis Julii, qui hebraice Ab vocatur, celebrari juſſum eſt: quando a Nabuchodonoſor Hieruſalem capta eſt, & Joachim filius Joſiæ, frater Sellum, captus eſt, & in Babylonem ductus; & cum eo Daniel, Ananias, Miſael, & Azarias: & ab eodem Nabuchodonoſor Joachim interfectus, & cadaver ejus canibus, & volucribus cœli datum eſt, & impletum eſt in eo illud propheticum: *Sepultura aſini ſepelietur*. Ipſe eſt etiam Joachim, qui & Eliachim.

Quarto igitur Regni ejus anno Nabuchodonoſor cœpit regnare in Babylone, ſicut legitur in Jeremia propheta: *Verbum, quod factum eſt ad Jeremiam in anno quarto Regis Joachim filii Joſiæ Regis Juda. Ipſe eſt annus primus Nabuchodonoſor Regis Babylonis*. Anno vero octavo regni Joachim, & quarto Nabuchodonoſor, idem Joachim poteſtati Nabuchodonoſor ſe dedit, & in eadem ditione tribus tantum annis perſeverans, rebellis exiſtens ab ipſo Nabuchodonoſor captus, & in Babylonem ductus, & interfectus eſt. Idcirco dicitur in Exordio Danielis prophetæ: *Anno tertio regni Joachim Regis Juda aſcendit Nabuchodonoſor in Hieruſalem*, & cetera. Et ſi quem movet (*a*), quod idem Joachim in libro Regum undecim annos regnaſſe, & in exordio Danielis, tertio regni ſui anno, Nabuchodonoſor ſe regi dederit, & ſub ejus ditione tribus annis perſiſtens rebellis extiterit. Unde & in alio loco in libro Regum dicitur: *Et fuit Joachim ei*, ideſt Nabuchodonoſor, *ſervus annis tribus*. *Jejunium ſeptimi* celebrari juſſum eſt tertia decima die menſis ſeptimi, ideſt Septembris, qui hebraice Tiſri vocatur: eo quod Joachim, qui & Jechonias, filius Joachim, a Nabuchodonoſor captus eſt, & triginta ſeptem annos in carcere detruſus fuerit; quem Evilmerodach de carcere eduxit; & cum eo fuerunt ducti in captivitatem Ezechiel propheta, & Mardochæus (*b*).

CHRO-

(*a*) aut aliqua infra deſunt, aut ſic explica locum hunc: *tametſi nonnullos movet &c.*

(*b*) de jejunio decimi menſis cum nihil dicatur, opuſculum illud fine carere, diſcimus.

Digitized by Google

CHRONICA SUCCINCTE DESCRIPTA

DE REGNO HEBRÆORUM.

QUadrageſimo tertio anno Nini regis Aſſyriorum Abraham Patriarcha natus eſt, cujus ſeptuageſimus annus, quintus nativitatis eſt, primus repromiſſionis: qui cum centum eſſet annorum, genuit Iſaac, & vixit annos centum ſeptuaginta quinque.

Iſaac filius Abraham vixit annos centum quatuor.

Jacob vixit annos centum quadraginta ſeptem.

Joſeph vixit annos centum decem.

Poſt mortem Joſeph ſexageſimo quarto anno Amram genuit Moyſen, & Aaron.

Moyſes vixit centum viginti annos.

Joſue, ſive Jeſus Dux conſtituitur annis viginti ſeptem.

Othoniel annis quadraginta.

Aoth annis octoginta.

Debbora cum Barach annis quadraginta.

Gedeon annis quadraginta.

Abimelech annis tribus.

Athola annis viginti duobus.

Jair, ſive Jairus annis viginti duobus.

Jepte annis ſeptem. Abeſſan annis ſeptem.

Aialon annis decem.

Abdon annis octo. Hujus anno tertio Troia capitur.

Sanſon annis viginti. Heli annis quadraginta.

Samuel, & Saul Rex annis quadraginta.

David Rex annis quadraginta.

Salomon annis quadraginta. Ex hinc diviſio Regni in Reges Juda, & Iſrael.

Roboam annis decem & ſeptem.

Abia annis tribus. Aſa annis quadraginta uno. Joſaphat annis viginti quinque. Hujus tempore fuerunt Helias, & Heliſæus, & Michæas.

Joram annis octo. Ochozias annum unum.

Athalia mater ejus annos ſeptem.

Joas annis quadraginta. Amaſias annos viginti novem.

Azarias annos quinquaginta duos. Joatham annos XVI.

Achaz annos ſexdecim. Undecimo anno Achaz, & ultimo Oſee captæ ſunt decem tribus Iſrael a Salmanaſar, & regnatum eſt in Samaria annos ducentos quinquaginta.

Ezechias viginti novem. Manaſſes annis quinquaginta quinque. Amon annis duodecim.

Joſias annis viginti duobus. Joachaz menſes tres. Joachim annos undecim.

Jechonias menſes tres.

Sedechias annis undecim. Hoc autem anno ejus undecimo Hieruſalem capta eſt: expletiſque annis ſeptuaginta duobus, ſecundum prophetiam Jeremiæ prophetæ, reverſi ſunt Judæi de captivitate. A captivitatis reverſione uſque primum annum ducatus Judæ Machabæi fiunt anni quadringenti quinque.

Judas Machabæus annos tres.

Jonathas annos decem & novem.

Simeon annos octo. Joannes annos viginti ſex.

Ariſtobolus Rex annum unum.

Alexander annos viginti ſeptem.

Alexandra annos novem. Hircanus annos XXXIIII.

Herodes annos triginta ſeptem. Hujus anno trigeſimo quarto natus eſt Dominus noſter Jeſus Chriſtus. Et anno trigeſimo ſexto occiſis Innocentibus miſera-

ſerabiliter, & digne ipſe Herodes moritur. Cui ſucceſſit Archelaus filius ejus, annis novem: & propter ſuperbiam de regno pulſus, exul apud Viennam moritur. Et ex hinc Regnum Judæorum quatuor Tetrarchis dividitur, Herode, Philippo, Liſania, & Pilato. Herodes Tetrarcha, qui cognominatus eſt Antiphas, frater Archelai, Principatum Judæorum cum aliis tribus Tetrarchis viginti tribus annis tenuit: & Joannem Baptiſtam decollavit. Poſt accuſatus apud Gaium Cæſarem ab Agrippa filio Ariſtoboli, qui cognominatus eſt Herodes, inſtigante Uxore Herodiade Romam adiit, ut ſe ab accuſatis excuſaret, regnumque ſibi acquireret. Non ſolum Regnum acquirere non potuit, verum etiam Tetrarchiam perdidit, & cum Herodiade in Hiſpanis exulans periit. Agrippa accuſator ejus, qui & Herodes cognominabatur, Regnum Judæorum ſex annis tenuit: Jacobum Apoſtolum occidit: Petrum in carcerem religavit: quo inde ab Angelo mirabiliter erepto, Regem Angelus Domini percuſſit, eo quod non dediſſet honorem Deo. Defuncto Agrippa Herode, filius ejus æquivocus Agrippa regnum Judæę obtinuit annos viginti ſex uſque Neronis ſecundum annum: quando Feſtus Judææ Procurator ſucceſſit Felici: a quo Paulus Romam vinctus mittitur, ubi biennio exacto cum Petro martyrizatur. Et ex hinc a duobus Urſis, ideſt duobus Romanorum Principibus, Veſpaſiano, & Tito Hieruſalem deſtruitur quadrageſimo ſecundo anno, poſtquam ad cœlum aſcendit Dominus noſter Jeſus Chriſtus, cujus glorioſo ſepulchro melius a Chriſticolis inſtructa honoratur.

Jeroboam annos viginti duos.

Nadab annos duos. Baſa annos viginti tres.

Hela annos duos. Zambri annos duodecim.

Achab annos viginti duos. Ozias annos duos.

Joram annos duodecim. Jeu annos viginti octo.

Joachab annos decem & ſeptem. Joas annos ſedecim.

Jeroboam annos quadraginta unum.

Zacharias menſes ſex. Sellum dies tres.

Manaen annos decem. Faccias annos decem.

Facee annos viginti.

Oſee annos novem. Hujus anno nono finitum eſt regnum Iſrael: quando Rex Aſſyriorum cepit Samariam, & tranſtulit decem tribus Iſrael in Aſſyrios, & civitates Medorum.

IN-

Digitized by Google

INCIPIT EJUSDEM (HIERONYMI)

IN DIE DOMINICA PASCHÆ.

IN omni quidem Pſalterio Dominus noſter prophetatur, atque cantatur; ſiquidem ipſe (*a*) *habet clavem David; qui aperit, & nemo claudit; claudit, & nemo aperit*: ſed præcipue in centeſimo decimo & ſeptimo Pſalmo, qui nunc lectus eſt, prædicationis ejus myſterium prædicatur. Et ipſe ad Patrem victor aſcendens imperat Angelis dicens (*b*): *Aperite mihi portas juſtitiæ, ingreſſus in eas confitebor Domino*. Hæ ſunt portæ, de quibus in vigeſimo tertio Pſalmo inter ſe Angeli loquebantur, ingreſſum Domino præparantes (*c*): *Levate portas principes veſtras, & elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ*. Pulchre levari jubentur portæ, & in ſublime erigi. Siquidem juxta diſpenſationis, carniſque myſterium, & victoriam Crucis major regreditur ad cœlos, quam ad terras venerat. Hæc porta Domini, Juſti intrabunt per eam. Per hanc portam ingreſſus eſt Petrus, ingreſſus eſt Paulus, ingreſſi ſunt omnes Apoſtoli, ingreſſi ſunt Martyres, & quotidie quique Sancti gradiuntur. Per hanc portam primus Latro cum Domino ingreſſus eſt. Habetote fiduciam, Fratres chariſſimi, & vos ſperate ſimilia. Non dixit: Apoſtoli, & Martyres intrabunt per eam, ſed Juſti intrabunt per eam. Quicumque ergo juſte agit, & inter juſtos Domini eſſe meruerit, intrabit hanc portam; quia Dominus non quærit ſanguinem confitentium, ſed fidem, per quam ſanguis effunditur. Si habuerimus fidem, quæ poteſt ſanguinem fundere, imputabitur nobis & cruoris effuſio. O vere infelices Judæi! O vere miſeri atque miſerabiles, qui non intellexiſtis, *lapidem*, qui per Iſaiam repromiſſus eſt (*d*), quod ponetur *in fundamento Sion*, & populum utrumque conjungeret, eſſe Dominum Salvatorem, eſſe Dei Filium. Hunc vos reprobaſtis ædificantes quamdam congregationem Domini, & Templi ejus myſteria cuſtodientes, *qui* (*e*) *reprobatus eſt a vobis, factus eſt in caput anguli*, & primam Eccleſiam de Judæorum populo congregatam, & credentes ex Nationibus in unum gregem, & myſterium fœderavit. *A Domino factum eſt iſtud, hoc eſt mirabile in oculis noſtris*, ut nos, qui ante Paſſionem Domini ſine Teſtamento eramus, & Lege, adoptaremur in filios Dei, & priori cingulo computreſcente, aliud tibi lumbare contexeret, alium populum præpararet. Vos habetis Scripturas, & nos intelligentiam Scripturarum. Vos legitis libros, & nos in eum, qui in libris ſcriptus eſt, credimus. Vos tenetis paginas, nos ſenſum paginæ. Vos complicatis membranas animalium mortuorum; nos poſſidemus ſpiritum vivificantem. Quid mirabilius eſſe poteſt iſtiuſmodi ſacramento? Quid hac die felicius, in qua Dominus Judæis mortuus eſt, & nobis revixit; in qua Synagogæ occubuit, & eſt ortus Eccleſiæ; in qua nos omnes fecit ſecum reſurgere, & vivere, & credere in cœleſtibus, impletumque eſt illud, quod ipſe dixit in Euangelio (*f*): *Cum autem exaltatus fuero, traham ad me*. Hæc eſt vera *dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea* (*g*). Omnes quidem dies fecit Dominus, ſed ceteri dies poſſunt & Judæorum eſſe, poſſunt & Hæreticorum eſſe, poſſunt eſſe Gentilium

(*a*) Apocal. 3. 7. (*b*) Pſal. 117. 19. (*c*) Pſal. 23. 7. (*d*) Iſai. 28. 16. (*e*) Pſ. 117 22. Et Act. 4. 11. (*f*) Joan. 12. 32. (*g*) Pſal. 117. 24.

Digitized by Google

tilium. Dies Dominica dies reſurrectionis, dies Chriſtianorum, dies noſtra eſt, unde & Dominica dicitur, quia Dominus in ea victor aſcendit ad Patrem: quod ſi a Gentilibus dies Solis vocatur, & nos hoc libentiſſime confitebimur: hodie enim lux mundi orta eſt, hodie ſol juſtitiæ natus eſt, *in cujus pennis eſt ſanitas* (*). Nunquid Sol pennas habet? Reſpondeant Judæi, & qui tantum ſecundum litteram Scripturas intelligunt, ſimiles Judæorum. Nos autem dicimus, quia quicumque ſub alis iſtius Solis fuerit, qui dicit in Euangelio (a): *quoties volui congregare filios tuos, quaſi gallina pullos ſub alis, & noluiſti*, iſte ſecurus erit ab accipitre, & ab Olo, ab Aquilis volantibus in Ezechiele, & omnia peccatorum illius vulnera ſanabuntur. Ut autem ſciatis, Fratres cariſſimi, quod proprie Pſalmus iſte de Domino ſcriptus eſt, in Euangelio pueri, qui intrante Hieroſolyma Salvatore palmas levantes clamaverunt, atque dixerunt (b): *Hoſanna in excelſis: benedictus qui venit in nomine Domini: Hoſanna in excelſis*, de centeſimo decimo ſeptimo Pſalmo iſtos verſiculos aſſumpſerunt; quod enim in noſtra lingua dicitur: O *Domine, ſalvum me fac*, in hebræo ſcribitur, Hoſanna. Unde & Judæi hoc impatienter ferentes volunt prohibere parvulos, de quibus in Iſaia Dominus loquebatur (c): *Ecce ego, & pueri mei, quos mihi dedit Deus:* tacentibus enim ſenibus, & Presbyteris Judæorum, tacentibus Phariſæis, & invidiæ livore cruciatis, parvuli clamitant, Chriſtum parvuli confitentur: quod ſi & ipſi tacuiſſent, lapides utique clamaſſent, ideſt Gentilium Populi, de quibus in Euangelio ſcriptum eſt (d): *Potens eſt Deus ex lapidibus iſtis ſuſcitare filios Abraham*: nos ſignificans, qui duro corde quondam fuimus; ſed nunc credentes, in Jeſu Chriſto, in filios Dei omnipotentis adoptati ſumus, cui eſt gloria in ſecula ſeculorum. Amen.

JO-

(*) Malach. 4. 2. (a) Matth. 23. 37. (b) Matth. 21. 9. (c) Iſai. 8. 18. (d) Matth. 3. 9.

Digitized by Google

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI

LECTORI:

NOvimus quidem librum eum, qui *Auguſtini ſoliloquia* inſcribitur, ab Auguſtino Hipponenſi Epiſcopo, ac præclariſſimo Eccleſiæ Doctore non eſſe compoſitum : at novimus etiam, a laudabili Scriptore eum prodiiſſe (*a*). Gratum itaque, ut puto, Lectori erit, ſi quæ in codice, quem e ſelecta ſua bibliotheca mihi dono miſit nobiliſſimus, atque humaniſſimus vir Fauſtinus Avogadro, Comes Brixianus, eidem libello adjecta invenimus, evulgemus. Plurimis quidem in locis, immo identidem codex ille a Soliloquiorum editionibus diverſus eſt : at nos poſtremum duntaxat ejus libri caput, quod nondum eſt editum, proferendum cenſuimus. De pretio tamen, atque auctoritate hujuſce additamenti Lectori dijudicandum relinquimus. En ea itaque quæ poſt voces illas *canos meos* invenimus.

SOLILOQUIORUM

AUGUSTINO ADSCRIPTORUM

CAPUT POSTREMUM.

PIus ut Deus te ducat ad ſublimia ſua, introduc eum ad intima tua; certum enim tibi ſit, quod delictum tuum nimis diligis, ſi quamvis fortaſſe ſumme, nondum eum tamen ſingulariter diligis: quod eſt, ſi alienam aliquam conſolationem quæris, vel recipis. Cogita ergo, quid ſit, quod in vita tua ardentius dilexiſti, anxius concupiſti, quod te jocundius afficiebat, ceteriſque omnibus profundius delectabat, vel potuit delectare. Conſidera ergo, ſi eandem affectionis violentiam, delectationis abundantiam ſentis, quando in ſummi dilectoris deſiderium inardeſcis, quando in ejus dilectione requieſcis: dubium enim non eſt, quod illum affectionis tuæ ſinum nondum tenet, ſi intimæ dilectionis tuæ aculeus animam tuam in divinis affectibus minus penetrat, tepidius exagitat, quam in alienis affectibus aliquando penetrare, vel exagitare ſolebat, vel poſſet aliquo modo tractus (*b*) alicujus affici: tu quoque ab eo minus diligeris, ſi ad theoricos illos exceſſus nondum vocaris, vel vocantem ſequi nondum merueris. *Jam non dicam*, inquit, *vos ſervos, ſed amicos meos, quia omnia, quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis* (*c*). Sublimitas ergo divinarum revelationum eſt manifeſtum indicium, quod perfecte diligis, vel diligeris, ſi in ſummorum deſiderio ad ſuperna raperis, & in anagogicos illos conatus mentis alienatione tranſis. Et qui huic contemplationis virtuti vult vacare, neceſſe eſt, ut diſcat requieſcere non ſolum ab operibus malis, ſed etiam a cogitationibus ſupervacuis. Opus etiam eſt compunctione, ſuſpiriiſ-

que

(*a*) Vide quæ tradunt doctiſs. PP. S. Mauri pag. 83 appendicis Tomi VI Oper. S. Auguſtini.
(*b*) fortaſſe legendum eſt *tractu*. (*c*) Joan. 15. 15.

que magis, quam argumentis; crebris gemitibus magis, quam copioſis argumentationibus; lacrymis, quam ſententiis; oratione, quam lectione; gratia lacrymarum, quam ſcientia litterarum; cœleſtium potius contemplatione, quam terreſtrium occupatione. O lux mentium Deus, expelle a me ſtultitiæ noctem, & dona mihi ſapientiæ diem: erue veritates, & juſtitiæ ſolem de profundiſſimis naturæ tuæ finibus omnem intellectum ſuperantibus in æthere animi mei: ſuper terram cordis mei extingue phantaſias corporum, & phantaſmata variarum cogitationum mearum. Crea prolem intelligentiarum tuarum in utero mentis meæ. Effunde ſpiritum tuum ſuper aquas infirmitatis meæ, ut converſus ad te, conformis Filii tui, videam te in te, & omnia ſub te. O tu puriſſima veritas, tu vide te in me, tu intellige te in me. Per me enim non video niſi vana, fluxa, & caduca, nec video niſi falſa, & corporea plaſmata: per me nihil ſum, niſi mors, & abyſſus tenebroſa, & imperfecta. In te ſum quod ſum; in te vivo quod vivo; in te intelligo quod intelligo, quia tu es ſumma intelligentia, eſſentia ſumma, vita ſumma, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unitas triplex, infinita, & ſine fine Deus unus in ſecula ſeculorum. Amen.

Digitized by Google

JOANNES ALOYSIUS MINGARELLIUS

S. Salvatoris Bononiæ Canonicus Lectori S. D.

1 INter multos quinti ſeculi Scriptores, qui uno eodemque Paulini nomine vocati ſunt, Paulinus fuit Ambroſii Mediolanenſium Epiſcopi amanuenſis, & diſcipulus, tum ab ejus obitu diaconus, ac demum presbyter factus, de quo Auguſtinus (*a*), Iſidorus Hiſpalenſis, Honorius Auguſtodunenſis, Mercator (*b*), & auctor libri, qui *Prædeſtinatus* inſcribitur (*c*), meminerunt. De ipſo ſcripſerunt Philippus Labbeus (*d*), Dupinius (*e*), Monachi S. Mauri (*f*), Jo. Albertus Fabricius (*g*), Guillelmus Caveus (*h*), Philippus Argelatus (*i*), atque, ut alios omittam, præ omnibus accurate Caſimirus Oudinus (*k*). Duo autem exſtant ejus opuſcula; Vita ſcilicet Ambroſii (*l*), quam rogatu Auguſtini Hipponenſium Epiſcopi edidit, & libellus anno 417 ad Zoſimum Romanum Pontificem miſſus (*m*). Librum etiam *de quæſtionibus* fecit contra Cæleſtium (*n*), quem intercidiſſe veriſimile eſt. At alium adhuc libellum *de benedictionibus Patriarcharum* ab hoc ipſo Scriptore editum eſſe, teſtatur vir graviſſimus Iſidorus Hiſpalenſium Epiſcopus (*o*), a quo non diſſentit Honorius Auguſtodunenſis. Utriuſque porro verba hic deſcribenda ſunt. *Paulinus presbyter*, inquit Iſidorus, *explicuit in benedictionibus Patriarcharum triplici intelligentiæ genere libellum ſatis ſuccincta brevitate compoſitum* (*p*).

Idem

(*a*) Contra duas epiſt. Pelagian. ad Bonif. lib. 2 cap. 4. num. 6, ſeu tom. x. pag. 435. Item in lib. 2 de gratia Chriſti, & de peccato originali cap. 2 num. 3, ſeu tom. x pag. 254.

(*b*) in Commonitorio, ad nomen Cæleſtii.

(*c*) In tomo I operum variorum Sirmondi Venetiis editotum anno 1728 exſtat hoc opus in tres libros diviſum: in primo autem libro, qui eſt *de hæreſibus*, hæreſ. 88 hæc de Paulino ſcribit ejus operis auctor: *Reſtitit ei* (nempe Cæleſtio) *quidam Paulinus Diaconus, defenſor, & procurator Eccleſiæ Mediolanenſis* &c.

(*d*) in Collect. Concil. Pariſiis edita anno 1671, tom. 2 col. 1578.

(*e*) in Biblioth. Script. Eccleſ. tom. 4 pag. 222. Fallitur tamen Dupinius, quum hæc ſcribit: *Paulin diſciple de S. Ambroiſe, Evêque de Beziers, qui avoit écrit une lettre, dont Idacius fait mention dans ſa Chronique ſur l'année* 420 &c. Paulinus enim hic noſter alius eſt a Paulino Biterrenſi. Lege Guillelmum Caveum.

(*f*) tom. x Oper. Auguſtini pag. 253. Et tom. 2 Oper. Ambroſ. pag. xiv Appendicis.

(*g*) in Biblioth. Eccleſiaſtica Hamburgi anno 1718 edita. Lege Fabricii ſchol a ad cap. 4 libri *de Script. Eccleſ.* ab Iſidoro Hiſpalenſi compoſiti, pag. 50, & 51.

(*h*) in hiſtor. litterar. Scriptorum Eccleſiæ, ſeculo V ad annum 420.

(*i*) in Biblioth. Script. Mediolanenſium tom. 2 pag. 1047.

(*k*) Comment. de Scriptoribus, & Scriptis Eccleſ. tom. 1 ſec. V ad annum 410, pag. 922, & ſeqq.

(*l*) Exſtat initio Appendicis ad Opera Ambroſii edita a Monachis S. Mauri, tom. 2. Fallitur vero Sigebertus Gemblacenſis, qui in cap. xiv libri *de Script. Eccleſ.* ejus Ambroſii Vitæ Paulinum Nolanum auctorem fuiſſe affirmat.

(*m*) libellum hunc ex Vaticano Codice edidit Baronius ad ann. 418 num. 12, & ſeqq. Lege Pagii ſcholia ad eum locum.

(*n*) Id teſtatur Paulinus ipſe in libello, quem dixi, ubi Zoſimus ſic Cæleſtium alloquitur: *Damnas ergo illa omnia, quæ in libello Paulini continentur, hoc eſt, de quæſtionibus?*

(*o*) in lib. de Script. Eccleſ. cap. 4: pag. 50 Biblioth. Eccleſ. Fabricii.

(*p*) Incertus auctor libelli *de xii Scriptoribus Eccleſiaſticis*, qui Iſidoro, & Ildefonſo ſubjici ſolet, ſimilia de Rufino ſcribit cap. V, pag. 69. Bibl. Eccleſ. Fabricii. *Tyrannius Rufinus*, inquit, *ſcripſit ad quemdam Paulinum presbyterum de benedictionibus Patriarcharum, triplici intelligentia, librum ſatis ſuccinctum, & clara brevitate compoſitum*.

Digitized by Google

Idem etiam, petente Auguſtino, conſcripſit Ambroſii Vitam, ſignis florentem, atque doctrinis, & meritis Apoſtolorum non imparem. Siquidem & Conſtantius Epiſcopus Germani vitam contexuit, obitumque Paulini Uranius (*a*) *edidit.* Honorius vero in libello de Scriptoribus Eccleſiaſticis tertio (*b*): *Paulinus*, inquit, *presbyter edidit libellum de benedictionibus Patriarcharum, triplici intelligentia. Hic ſcripſit vitam Ambroſii petente Auguſtino.*

2 At falli Iſidorum, atque Honorium, eumque libellum, qui Rufini eſt, Paulino perperam ab illis tribui, fidenter ajunt Caveus (*c*), & Oudinus (*d*). *Opuſculum iſtud*, inquit Oudinus, *de benedictionibus Patriarcharum illud ipſum eſt, quod ſub nomine, & inter Opera Rufini Aquilejenſis Presbyteri habetur. Quod neque Paulini hujus Mediolanenſis eſt, neque alterius Paulini Nolani Epiſcopi: ſed Rufinum habet authorem, cujus inter Opera impreſſum extat. Deceptus ergo eſt Iſidorus, qui ex eo, quod dictum Rufini opus inſtante Paulino Nolano compoſitum, atque eidem tranſmiſſum, Paulini eſſe crediderit.*

3 Verum equidem quamvis Caveum, & Oudinum viros eſſe norim pereruditos, ac diligentes, & de litteraria hiſtoria optime meritos; nihilominus hac in re falli ipſos cenſeo, non Iſidorum. Quod ut credam, multis, iiſque firmiſſimis rationibus moveor. Nam primum ajunt hi quidem animoſe, deceptum eſſe Iſidorum: at nulla id ratione confirmant: quæ ſi ulla eſſet, omittenda ſane non erat, nec viro graviſſimo aut fides temere deneganda, aut error tam facile affingendus eſt. Iſidorus enim nec multum abfuit a Paulini ætate, quippe qui centum & quinquaginta annos circiter poſt Paulinum vixerit (*e*); & multiplici variaque eruditione clariſſimus fuit: id quod nemo profecto diffiteri poterit, qui vel ſolos *Originum* libros percurrerit. Scriptor etiam fuit accuratiſſimæ diligentiæ: ut proinde credibile non ſit, ipſum in tam gravem errorem lapſum eſſe, ut opuſculum, quod Rufini erat, *Paulini Mediolanenſis eſſe ex eo crediderit*, ut vult Oudinus, *quod rogatu Paulini Nolani compoſitum, eique miſſum ſit*. Quod ſi Paulini noſtri obſcurum nomen fuiſſet, tolerabilis fortaſſe foret Oudini opinio. At Iſidoro in veterum Scriptorum libris ſummopere verſato notiſſimus non poterat non eſſe Paulinus, qui cum Cæleſtio Pelagii diſcipulo ſtrenue adeo decertarat (*f*), ut Zoſimus Romanus Pontifex illud a Cæleſtino rectæ fidei argumentum expoſceret, us quæcunque Paulinus in ſuo libello ipſi objecerat, ea aperte improbaret, atque exſecraretur: ſic enim Cæleſtium Zoſimus alloquebatur (*g*): *Damnas ergo illa omnia, quæ in libello Paulini continentur, hoc eſt, de quæſtionibus?* Et ſane Honorius Auguſtodunenſis, qui quatuor *de Eccleſiaſticis Scriptoribus* libellos confecit, ac primum ex Hieronymo, alterum ex Gennadio, tertium ex Iſidoro magna ex parte deſcripſit; tantum abeſt, ut erroris accuſet Iſidorum, ut quum in ſecundo libro (*h*) Rufini opuſculum *de benedictionibus Patriarcharum* commemoraſſet, in tertio Paulinum quoque eo de argumento ſcripſiſſe affirmet.

4 Sed

(*a*) Codex m. s. noſtræ Bibliothecæ habet: *Oranius*. (*b*) cap. 4, pag. 86 Biblioth. Eccleſ. Fabricii. (*c*) tom. 1 hiſtor. literar. pag. 402. (*d*) tom. 1 pag. 923.

(*e*) Iſidorus anno circiter 595 Hiſpalenſium Archiepiſcopus creatus eſt: Paulinus vero noſter anno 420 florebat, eumque ad multos adhuc annos vitam produxiſſe veriſimile eſt, quamvis, quo anno obierit, incertum ſit. (*f*) Lege Auguſtini librum 2 contra duas epiſt. Pelagian. ad Bonif. cap. 4. num. 6 &c. Et lib. 2 de grat. Chriſti, & de pecc. origin. cap. 3 num. 3, & cap. VII num. 8. Et Baronii annales Eccleſ. ad ann. 418. num. 6, & ſeqq.

(*g*) in libello Paulini ad Zoſimum, quem ſuperius commemoravi.

(*h*) cap. 17, pag. 18 Bibl. Eccl. Fabricii. *Diſſeruit* (nempe Rufinus) *& benedictionem Jacob ſuper Patriarchas triplici modo, ideſt, hiſtorico, morali, & myſtico ſenſu.*

Digitized by Google

4 Sed multo adhuc firmiora argumenta afferenda ſunt, quibus id efficiatur, quod volo. Noverat profecto Iſidorus Hieronymum, ac Gennadium *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* peraccurate ſcripſiſſe: in ſexto enim Originum libro (*a*): *Hieronymus*, inquit, *quoque*, *& Gennadius Eccleſiaſticos Scriptores toto orbe quærentes ordine proſecuti ſunt*, *eorumque ſtudia in uno voluminis indiculo comprehenderunt*. Quin etiam eos Hieronymi, ac Gennadii libros diligenter evolverat: nam ſuum & ipſe *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* libellum ſic confecit, ut quemadmodum Gennadius de iis tantummodo Viris ſcripſerat, qui aut a Hieronymo omiſſi fuerant, aut poſt ejus obitum floruerant; ita & ipſe conſulto eos duntaxat Scriptores recenſeret, de quibus Hieronymus, & Gennadius non meminerant: ex quo fit, ut recte Iſidori libellus ita inſcribatur (*b*): *Iſidori additio ad libros Sancti Hieronymi*, *& Gennadii de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Quæ quum ita ſe habeant, non potuit Iſidorus Rufinum cum Paulino, aut Rufini opuſculum cum Paulini opuſculo confundere, quippe qui probe noſſet, hæc de Rufino a Gennadio ſcripta eſſe (*c*): *Diſſeruit & benedictionem Jacob ſuper Patriarchas triplici*, *ideſt*, *hiſtorico*, *morali*, *& myſtico ſenſu*.

5 Illud quoque huc accedit, quod Iſidorus in Commentariis in Vetus Teſtamentum (*d*) ſingulas Patriarcharum *benedictiones* exponens uti ex Rufino, ita ex Paulino hoc noſtro multa deſumpſiſſe videatur: id quod & ex iis annotationibus conſtabit, quas huic opuſculo ſubjiciam (*e*), & ei liquidius apparebit, qui opuſculum ipſum cum ea, quam dixi, Iſidori explanatione contulerit. Et ſane quum ea commentaria ex collectis Veterum Scriptorum ſententiis ſe confeciſſe profiteatur Iſidorus in Præfatione (*f*); dubitandum non eſt, eum, antequam de *benedictionibus* Patriarcharum ſcriberet, opuſcula & Ambroſii, & Rufini, illumque, quem a Paulino ea de re ſcriptum libellum noverat, accurate non perlegiſſe. Quod ſi Rufini opuſculum vel obiter percurrerat, in eum errorem incidere non potuit, quem ipſi tribuit Oudinus; conſtat enim id opuſculum duobus libris; primus autem a præfatione, ſive epiſtola Rufini ad Paulinum Nolanum ſcripta exorditur; alterius vero hoc eſt initium: *Rufinus fratri Paulino homini Dei ſalutem*.

6 Denique, ne in refellendo Oudino longior ſim, opuſculum, de quo Iſidorus loquitur, *libellus* erat *ſatis ſuccincta brevitate compoſitus*. At hoc certe modo vocari nequit Rufini opus; conſtat enim, ut dixi, duobus libris, quorum primus, haud ita brevis, *de benedictione Judæ* totus eſt, alter vero *de reliquorum Patriarcharum benedictionibus*: quem etiam a primo plane ſejungit Rufinus, cum ei præfationem ad Paulinum Nolanum præfigit. Fateor equidem, Rufini opus ab incerto auctore libelli *de* XII *Scriptoribus Eccleſiaſticis* (*g*) vocari *librum ſatis ſuccinctum*, *& clara brevitate compoſitum*. At multo aliter de eo opere loquitur Gennadius (*b*): ejus autem, quem dixi, incerti Scriptoris auctoritate non multum commoveor.

7 Jam vero ex his perſpicue, ut opi-

(*a*) cap. 6. (*b*) pag. 49 Bibl. Eccleſ. Fabricii. (*c*) in lib. de Vir. Illuſtr. cap. 17.
(*d*) cap. XXXI, quod eſt poſtremum commentariorum in Geneſim.
(*e*) lege annotat. 21, 27, 32, 43, 45, 50, 51, 56, 59, 63, 68, 75, 78, & 91.
(*f*) *Hiſtoria ſacræ legis*, inquit eo in loco Iſidorus, *non ſine aliqua prænunciatione futurorum geſta, atque conſcripta eſt . . . Proinde quædam, quæ in ea figuratim dicta, vel facta ſunt, & ſunt plena myſticis ſacramentis, adjuvante ſuperna gratia, in hoc opuſculo exequentes intexuimus, veterum, & Eccleſiaſticorum ſententias congregantes, veluti ex diverſis pratis flores lectos ad manum fecimus, & pauca de multis breviter perſtringentes, pleraque etiam adjicientes, vel ex aliqua parte mutantes* & reliqua. (*g*) ejus verba habes paulo ſuperius.
(*h*) cap. 17. Ejus verba paulo ante attuli.

opinor, conſtat, libellum a Paulino *de benedictionibus Patriarcharum* reipſa eſſe compoſitum. At ex iis quæ hactenus evulgata ſunt, ejuſdem argumenti opuſculis nullum eſt quod Paulino adſcribi poſſit. Nimirum *de benedictionibus Patriarcharum* ſcripſerunt Ambroſius (*a*), & Rufinus (*b*): ſed ea, quæ inter ipſorum opera exſtant opuſcula, iis tribuenda eſſe nemo dubitat. Exſtat etiam in ſecunda parte tertii tomi Operum Auguſtini (*c*), a Monachis S. Mauri editorum, opuſculum *de benedictionibus Jacob Patriarchæ* inſcriptum. Verum ne hujus quidem Paulinum auctorem eſſe, ex iis manifeſtum eſt, quæ doctiſſimi illi Monachi adnotant in *Admonitione*, quæ eſt in fronte opuſculi (*d*). An ergo hic, quem nunc evulgamus, libellus ille erit, quem Paulinus ſcripſit? Suſpicatus id quidem eſt vel ipſe libelli exſcriptor (*e*). Mihi vero quoque multis de cauſis veri ſimile videtur.

8 Nam primum quod de Paulini opuſculo ait Iſidorus, *libellum* ſcilicet eſſe, & *ſatis ſuccincta brevitate compoſitum*, id huic mirifice convenit. Illud etiam convenit, quod Iſidorus ipſe *benedictiones* Patriarcharum explanans, multa ex hoc noſtro opuſculo ſumpſiſſe videatur, ut dixi paulo ante; ut propterea opuſculum hocce illud ipſum haberi poſſit, quod a Paulino compoſitum eſſe affirmat in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*. Præterea multis in locis Ambroſium ſequi videtur hic Scriptor (*f*): id autem aptiſſime quadrat in Paulinum, qui apud Ambroſium diutius fuerat, eumque quaſi parentem ſanctiſſime colebat. Quod ſi quis libellum hunc cum ea, quam Paulinus ſcripſit, Ambroſii vita contulerit, ſimilem in utroque opuſculo ſtilum deprehendet: quin multis etiam in locis eoſdem loquendi modos utrobique comperiet (*g*). Demum opinioni meæ ipſa opuſculi vetuſtas non parum favet, quod ſe multo ante Iſidori ætatem ſcriptum prodat multis indiciis: hoc autem inprimis, quod Scripturæ loca non modo ex Hieronymi translatione proferat ejus auctor, verum etiam ex vetuſtiore alia, quæ *Italica* dicebatur (*h*). Jam enim Iſidori ætate Scriptores Eccleſiaſtici ex Vulgata interpretatione duntaxat Scripturas allegabant. Itaque Vallarſius ipſe, ad quem Rufini opera editurum libellus iſte miſſus eſt, ejus auctorem Rufini pene æqualem agnovit (*a*).

(*a*) S. Ambroſii librum *de benedict. Patriarch.* habes in tomo I ejus Operum editorum a Monachis S. Mauri, pag. 514 &c. (*b*) Rufini *de bened. Patriarch.* libros duos habes initio tomi I ejus Operum a Vallarſio editorum. (*c*) pag. 31 Appendicis.

(*d*) Benedictiones Patriarcharum expoſuerunt etiam Hieronymus in quæſtionibus hebraicis in Geneſim, Iſidorus in comment. in Vetus Teſtamentum, Alchuvinus in opere quod inſcribitur: *Interrogationes, & reſponſiones in librum Geneſeos*, interrog. 281, aliique Geneſim commentariis illuſtrantes. (*e*) lege primam ex annotationibus, quas opuſculo ſubjiciam.

(*f*) lege annotat. 18, 32, 47, 55, 57, 64, 67, & 94.

(*g*) I. In hoc opuſculo, num. 41 legimus: *beato Hieronymo docente*; & num. 59: *beati Hieronymi conſenſus*; & num. 29: *beatum David, & beatum Ezechiam*. &c. In vita vero Ambroſii, num. 1: *beati viri Athanaſius epiſcopus, & Hieronymus presbyter*; Et paulo poſt: *beatiſſimi Ambroſii*. &c. Et in libello ad Zoſimum Papam: *beatum Cyprianum martyrem, beatum Ambroſium confeſſorem, Gregorium Nazianzenum, & beatum Papam Innocentium*. II. In hoc opuſculo legimus num. 1: *donante Domino ſtrictim pandamus*. In vita vero Ambroſii, num. 1: *adjutus orationibus tuis, & meritis tanti viri ... breviter, ſtrictimque deſcribam*. III. In vita Ambroſii num. 7 legimus: *ſanguinem Dominicum*, & num. 10: *Dominicum dictum*; & num. 18: *dictorum Dominicorum*. In hoc autem opuſculo, num. 11: *corpus Dominicum*; & num. 54: *ex auctoritate Dominica*; & num. 60: *voce Dominica*. IV. in vita Ambroſii, num. 8: *ut moris eſt*. In hoc autem opuſculo, num. 16: *moris eſt namque Sacra Scriptura*. Alia ejus modi exempla inveniet, qui Ambroſii vitam cum noſtro opuſculo conferet. (*h*) Lege præſertim annotationem 18, itemque 22 &c.

Digitized by Google

(*a*). Quocirca quum ante Iſidorum de *benedictionibus* Patriarcharum, præter Ambroſium, ac Rufinum, nullus alius (quem quidem noverimus) ſcripſerit, quam Paulinus, Paulino tribuendum videtur hoc opuſculum.

9 Attamen, ut dicam id quod res eſt, ſcrupulo quodam angor non mediocriter. Nimirum Paulini opuſculum, inquiet quiſpiam, *triplex intelligentiæ genus* habebat, teſte Iſidoro: at noſtrum hoc duplex tantum habet, *hiſtoricum* ſcilicet, ac *myſticum*, ſeu *typicum*, aut *ſpiritale*: tertium vero, nempe, ut puto, *morale*, nuſquam legitur in hoc opuſculo. Nec vero ſi Iſidorum erraſſe quiſpiam reſponderit, quum Paulini libellum *triplici intelligentiæ genere compoſitum* dixit, in ejuſmodi reſponſione acquieverim. Illud potius probabile cenſuerim, ideo *triplicem intelligentiam* in Paulini opuſculo agnoviſſe Iſidorum, quod hiſtorico, ac myſtico ſenſui multa identidem Paulinus intermiſceat, quę ad moralem ſenſum ſpectare videantur. Hujus modi ſunt hæc, exempli cauſa (*b*): *Hæc autem non ideo indicative protulit, quod ita futura eſſe vel præviderit, vel voluerit; ſed ut eum per hæc dicta ad pœnitentiam cohortaretur, quum recoleret, a quanta dignitate peccando decidiſſet*. Itidemque hæc alia (*c*): *Iniquum valde fuit amicitiam prætendiſſe, & eam poſtea prodidiſſe*. Itemque iſta (*d*): *In conſilio eorum ne veniat anima mea; videlicet exſecrans omnem ſimulatam pacem. Unde & beatus David talibus quibuſque fictis imprecatur*, &c. Et alia id genus, quæ lectori paſſim occurrent inter legendum.

10 Quidni etiam ſuſpicemur, Iſidorum quidem ſcripſiſſe *duplici*, at librarium aliquem ejus libellum *de Scriptoribus Eccleſiaſticis* exſcribentem ei vocabulo imprudentem ſubrogaſſe alterum *triplici*? Poſtremo & illud conjicere licet, Paulinum quidem tribus ſeorſum interpretationibus ſingulas *benedictiones* explanaſſe; ſed tertiam, nempe *moralem*, a librario noſtro, aut ab alio aliquo vetuſtiore omiſſam eſſe. Noſter quidem ſe hoc opuſculum *ſummæ feſtinatione* exſcripſiſſe teſtatur (*e*): itaque fieri facile potuit, ut præſtituti ad ſcribendum temporis anguſtiæ non ſinerent, ut totum deſcriberet, ac proinde duas tantum partes exſcribere contentus fuit, quibus unum opuſculum conficeretur, quod adhuc integrum videri poſſet. Id porro ita contigiſſe ex eo fit veriſimilius, quod in capite x (*f*) *myſticam* omiſerit librarius explanationem horum verborum: *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus*. Nec enim eam interpretationem a Paulino ipſo prætermiſſam crediderim, quum ſingularum *benedictionum* hiſtoricam primum, tum myſticam conſtanter afferat explicationem.

11 Expedito nunc ab ea, quam dixi, difficultate, alia adhuc mihi ſupereſt diluenda. Nimirum Scripturæ loca non modo ex ea, quæ *Italica* dicta eſt, verum etiam ex Hieronymi interpretatione allegantur ſæpius in hoc opuſculo. At vero conſtat, inquiet quiſpiam, Scriptores Eccleſiaſticos ante Gregorium Magnum antiqua translatione Italica uſos eſſe. Verum facili negotio difficultas iſta de medio tollitur. Nam & Leo Magnus ejuſdem fere cum Paulino ætatis ſcriptor tum veteri Italica, tum recentiore Hieronymi translatione uſus eſt, ut ſcite monet Richardus Simonius (*g*). Quin immo in Hilarii Arelatenſis operibus Hieronymi translatio plerumque profertur (*h*). Et

Cc 2 ſane

(*a*) in præfatione tom. 1 Operum Rufini, pag. x. *Uſi præterea ſumus*, inquit, & *codice m. ſ. quem e S. Salvatoris Bibliotheca, quæ Bononiæ eſt, Cl. V. P. Abb. Trombellius deſcriptum diligentiſſime ad nos miſit. Ætatis haud ille quidem eſt multum diſſita* (nempe ab ætate Rufini), *neque hanc ipſam, quod rei caput eſt, Rufini explanationem repræſentat* &c.

(*b*) cap. I. num. 2. (*c*) cap. II num. 12. (*d*) cap. II num. 13. (*e*) lege poſtremam ex meis annotationibus. (*f*) num. 56.

(*g*) pag. 458 libri, qui inſcribitur: *Nouvelles Obſervations ſur le Texte, & les Verſions du Nouveau Teſtament*, qui liber Pariſiis editus eſt anno 1695. (*h*) Lege quæ hac de re ſcripſit Reverendiſſimus Abbas noſter Jo. Chryſoſtomus Trombellius pag. 174 hujuſce voluminis.

Digitized by Google

ſane quum Hieronymi bis in hoc libello (*a*), ſemel autem in Vita Ambroſii (*b*) meminerit Paulinus, non eſt, cur Hieronymi ipſius translatione uſum eum eſſe non credamus.

12 Ceterum quum in Veterum Patrum operibus, ut Simonius obſervat (*c*), amanuenſes ſæpe Italicæ translationi translationem Hieronymi ſubrogarint, quidni hoc ipſum Paulini opuſculo multis in locis contigiſſe ſuſpicemur? Mihi quidem opuſculum ipſum legenti ea dubitatio in mentem venit, quod viderem, & alicubi Paulini ſcopo magis quadrare translationem Italicam, quam Hieronymi (*d*), & ea loca, in quibus Hieronymi verſio non allegatur, ejus modi eſſe, ut ipſam non ferrent, ideoque ea, quæ a librariis interpolari non potuerint (*e*). Sed jam de libelli, quem edimus, auctore ſatis multa.

13 Nunc de libello ipſo aliqua breviter dicenda ſunt, qui etſi a Paulino ſcriptus minime foret, dignus tamen erat, qui in lucem ederetur. Nam & a pervetuſto quidem certe Scriptore factus eſt, & Patriarcharum *benedictiones* nitide in eo, preſſe, ac graviter explanantur: liber autem qui *Eccleſiaſtici* dicitur, tamquam divinus, ſive, ut ajunt, *canonicus*, iterum ac tertio (*f*) allegatur. Itaque ut ex aliis plurimis, ita etiam ex hoc Scriptore apparet, eum librum divinam in Eccleſia auctoritatem habuiſſe, quidquid ſecus ſentiant recentiores Heterodoxi.

14 Martianæus porro quum in fragmentum hujus opuſculi incidiſſet, in tomo quinto Operum Hieronymi illud edidit, ſed mendis plenum: idque ipſum iiſdem mendis refertum ex Martianæo edidit Vallarſius (*g*): ad quem aliquot poſt annos, quum Rufini opera edere meditaretur, totum opuſculum accuratiſſime exſcriptum miſit Reverendiſſimus Abbas noſter Jo. Chryſoſtomus Trombellius, ut fragmentum, quod una cum Hieronymi operibus imprimendum curarat, emendaret, ac perficeret, atque ita emendatum, perfectumque in Appendice operum Rufini evulgaret. At Vallarſius eo quidem opuſculo ad illuſtrandum Rufinum uſus eſt, ſed totum non edidit. Quin ejus auctorem *quædam identidem ex Rufini interpretatione in ſuam derivare, atque iiſdem propemodum veſtigiis inſiſtere* fidenter affirmat (*h*). Quæ an vere dixerit, judicent qui utrumque Scriptorem legerint. Equidem Paulinum Rufini *veſtigiis inſiſtere* nunquam concedam: nam & alicubi a Rufino diſſentit omnino, & plerumque ſcribit plane diverſa: fateor tamen, nonnulla in hoc Paulini libello iis affinia reperiri, quæ Rufinus ſcripſit in opuſculo *de benedictionibus Patriarcharum.*

At

(*a*) num. 41, & 59. (*b*) num. 1. (*c*) in libro, quem dixi paulo ante, pag. 441 hæc ſcribit: *On prendra neanmoins garde, que les reviſeurs, & les Copiſtes, & meme ceux qui ont fait imprimer les ouvrages de ces anciens Ecrivains dans ces derniers tems, les ont alterés en pluſieurs endroits, ſubſtituant la nouvelle traduction ou reviſion de S. Jerôme en la place de l' ancienne Vulgate.* (*d*) lege, quæſo, annotationem 22. (*e*) num. 5 allegantur hæc verba: *peccaſti? quieſce.* At nihil tale habet Hieronymi verſio. Lege etiam num. 18, & 34, in quorum primo hæc proferuntur: *ne glorieris in filiis peſſimis*, &c.; in altero vero hæc alia: *Venite ad me... & ego vos requieſcere faciam.* (*f*) ſemel num. 18, & bis num. 57.

(*g*) in tom. III Operum Hieronymi, pag. 739. (*h*) In præfatione tomi I Operum Rufini, pag. x, hæc de noſtro opuſculo ſcribit Vir Clariſſ. Vallarſius: *Uſi præterea ſumus & Codice ms. s. quem e S. Salvatoris Bibliotheca, quæ Bononiæ eſt, Cl. V. P. Abb. Trombellius deſcriptum diligentiſſime ad nos miſit. Ætatis haud ille quidem eſt multum diſſita, neque hanc ipſam, quod rei caput eſt, Rufini explanationem repræſentat, ſed cognominem aliam ab ſtudioſo aliquo conſarcinatam, cujus nos ſpecimen Tomo Hieronymianorum Operum tertio fecimus in Appendice. Verum quum & iiſdem propemodum veſtigiis inſiſtat, & ab Rufiniana identidem in ſuam interpretationem quædam Auctor derivet, facile huic noſtræ recenſioni adjumento fuit, plurimum certe ejuſdem illuſtrationi contulit. Accedit Monimenti novitas, & rerum, quæ in eo continentur, præcipuarum delectus: neque enim antea totum, ſed priore tantum ex parte, eaque exigua, in publicam lucem prodierat: neque nos totum in notis deſcripſimus, ſed illa duntaxat, quæ & lectu maxime digna, & in rem noſtram recte conducere videbantur.*

At primum difficile factu eſt, duos Scriptores unum atque idem Geneſeos caput interpretantes ſimilia aliquando non ſcribere. Deinde etſi Paulinum ex Rufino aliqua deprompſiſſe concedam (nec enim Rufinum potius ex Paulino ea deſumpſiſſe auſim affirmare); id tamen minime mirum videri debet: etenim vetuſti Scriptores ex aliorum operibus aliquid in ſua derivare non dubitabant (a). Ita Hilarius ex Origene, Zeno ex Hilario, & Lactantio, antiquus auctor librorum *de Sacramentis*, & Maximus Taurinas ex Ambroſio, Ambroſius ipſe ex Baſilio (b), Cyprianus ex Minucio Felice, aliique ex aliis multa ſumpſerunt, atque adeo quædam aliquando ad verbum exſcripſerunt.

15 Jam vero equidem Paulini opuſculum ita edo, ut eſt in membraneo codice noſtræ bibliothecæ (c), quem ſeculo XV ab aliquo e noſtris Canonicis ſcriptum eſſe conjicio: nam & alios plurimos codices in ipſa aſſervamus, quos ab iis ſcriptos eſſe certo novimus. Codex vero iſte, de quo loquimur, quamvis *magna feſtinatione* exaratus fuerit, multo tamen emendatior eſt, quam codex, ex quo fragmentum hujus opuſculi depromſit Martianæus. Itaque menda, quæ in eo erant, ſuſtuli: opuſculum vero ipſum brevibus Annotationibus illuſtrare conatus ſum. Vale.

PAU-

(a) Lege quæ hac de re ſcribunt doctiſſimi fratres Ballerinii in Prolegomenis Zenonianis, diſſert. 1. cap. 1. §. II. pag. XXXII, & XXXIII. (b) Lege admonitionem a Monachis S. Mauri præfixam libris Hexaemeron. (c) Codex iſte notatur numero 69, & in ſuprema tertii plutei parte ad lævam aſſervatur. Continet primo Joannis Chryſoſtomi librum *de dignitate ſacerdotali*, aliaque plura ejus opuſcula e græco ſermone in latinum converſa; tum Hilduini Abbatis *Areopagitica*, ſeu *Paſſionem ſanctiſſimi Dionyſii Areopagitæ*; ac demum illud Paulini opuſculum.

Digitized by Google

PAULINI MEDIOLANENSIS

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM

L I B E L L U S.

P R Æ F A T I O (1).

1 SAcroſancta, atque præſaga Sanctorum Patriarcharum benedictio (2), quæ per Spiritum Sanctum, atque os beati Jacob ſingulis eſt competenti qualitate diſtributa, nec per omnia ſenſu literario poteſt intelligi (3), maxime cum iſdem (4) beatus Patriarcha dicat (*a*): *Ut annunciem vobis quæ ventura ſunt in noviſſimis diebus* (5): nec ita extenuanda per ſenſum allegoricum, ut omnino (*6*) evacuari debeat ſenſus hiſtoricus: quia & quædam, uti poſt videbimus, ſic eis prædicta ſunt, ut quædam in proximo, quædam multo poſt venerint (7): tamen plura ex illis in finem futura ſervata ſunt. Quæ ergo (*b*) hiſtorialiter in ipſis verbis intelligere poſſumus, primum, quaſi fundamenta jaciendo, donante Domino (8), ſtrictim pandamus: quæ autem omnimodis literam refugiunt, ea (*9*) per ſpiritalem intelligentiam, ſicut & ſpiritali ſunt intellectu carpenda (10), diſcutiamus.

C A P U T I.

Benedictio Ruben (11).

2 R*Uben* (*c*) *primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, major imperio* (12). Patet (13) literæ ſenſus, quia beatus Jacob primum filium Ruben ex Lia uxore ſua ſuſceperit (*d*): qui ſi ſe digne tanto patre tractaſſet (14), ad eum primogenita, regnumque pertineret. Unde dicit eum *primogenitum*, quaſi cui deberentur dona primogeniti (15). Sed & *fortitudinem* ſuam eum nominat, eo quod robur imperii ad eum debuerit declinare. Hæc autem non ideo indicative protulit, quod ita futura eſſe vel præviderit, vel voluerit; ſed ut eum per hæc dicta ad pœnitentiam cohortaretur, cum recoleret, a quanta dignitate peccando decidiſſet.

3 Unde dicit: *& principium doloris mei*. Principium namque doloris ejus fuit, qui, ruptis caſtimoniæ habenis, infrenis irruit (*16*) ad conſtuprandam

(*a*) Gen. xlix. 1. (*b*) Martianæi codex mendoſe habebat *ego*. (*c*) Gen. xlix. 3.
(*d*) Gen. xxxix. 31, & 32.

Digitized by Google

dam conjugem patris (*a*): Quæ res non mediocri dolore eum ſtimulaſſe credenda eſt. Bene autem dicitur *principium doloris* iſte, quia & reliqui fratres (17) accuſati ſunt a beato Joſeph apud patrem crimine peſſimo (*b*).

4 Quod autem ait: *prior in donis*, ad primogenita pertinet, quæ illi tanquam primogenito debebantur. Quod vero ſubjungit: *major imperio*, aperte declaratur, ad eum pertinuiſſe, ut de ejus ſemine reges reliquorum fratrum crearentur.

5 Quod vero ait: *effuſus es ſicut aqua*, hunc habet ſenſum: Sicut aqua, quæ vaſe non cohibetur, quaquaverſum fluit, & ubi declivior locus humiliorem ſe præbuerit, toto impetu decidit; ita tu nulla menſura conjugali libidinem cohibuiſti, ſed quo te impetus voluptatis allexit (*c*), eo ſentinam tuæ concupiſcentiæ diffudiſti. Quum vero ſubjungit: *non creſcas*, prohibet eum ulterius a tali & ſimili turpitudine. Unde & Dominus ad Cain: *peccaſti? quieſce* (18).

6 Quo autem iſta tendant, ſubjuncta verba teſtantur (*d*): *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus*. Manifeſte enim iis verbis inceſti crimen, quod ille in Balaam (*e*) concubinam patris ſui commiſerat (*f*), exaggeratur. Quod ne cui forſan violentum videatur, eo quod præmiſſum eſt (19): *annunciabo vobis quę ventura ſunt in noviſſimis diebus;* audiat, quid liber Paralipomenon de hac re dicat (*g*): *Filii quoque Ruben primogeniti Iſrael: ipſe quippe* (*h*) *fuit primogenitus ejus* (20): *ſed quum violaſſet torum patris ſui, data ſunt primogenita ejus filiis Joſeph filii Iſrael, & non eſt* (*i*) *reputatus in primogenitum*.

7 Typice autem Ruben iſte primogenitus populum deſignat Judaicum (21), qui primogenitus fuit Dei, juxta illud, quod de illo Dominus ad Moyſem ait (*k*): *Filius primogenitus meus eſt Iſrael*: & beatus Jeremias (*l*): *Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum ejus* (22). Qui *fortitudo* illius fuit, quando in Patriarchis, & Prophetis, & ceteris quibuſcunque fortiſſimis viris contra idolatriam (23), & vitiorum omnium impuram catervam fortiter dimicavit.

8 Qui tamen *principium doloris* ejus poſt exſtitit (*m*), quando adveniente Salvatore (24) in incredulitate permanens doctrinam illius ſuſcipere (*n*) mente tumida recuſavit. Unde Dominus videns civitatem Jeruſalem fleviſſe dicitur (*o*), & in Lazari reſuſcitatione pro ejus populi cœcitate lacrimatus eſſe perhibetur (*p*).

9 Quum autem dicitur *prior in donis*, oſtenditur quidem præceſſiſſe eumdem populum in (*q*) muneribus a Deo collatis: ſubſecuturam vero Gentium Eccleſiam, quæ eiſdem, & multo potioribus eſſet donanda chariſmatibus. Quum vero ſubjungitur (*r*) *major imperio*, non mirum (*ſ*) ſi honoretur eadem gens, quæ prima credidit prærogativa (25) patrum, quando beatus Paulus Apoſtolus *multum per omnem modum amplius eſſe Judæo* dicat (*t*).

10 Addidit interea: *Effuſus es ſicut aqua*, effrenationem illius populi mente conſiderans, qui nequaquam vaſe legis, ac præceptorum divinorum coercitus eſt menſura; ſed, abjectis omni-

(*a*) Gen. xxxv. 22. (*b*) Gen. xxxvii. 2. (*c*) Martianæus legit *allexerunt*. (*d*) Gen. xlix. 4. (*e*) Martianæus, *Balam*. (*f*) Gen. xxxv. 22. (*g*) lib. 1 Paralip. cap. 5 verſ. 1. (*h*) Codex noſter mendoſe habet *quoque* pro *quippe*. (*i*) Vulgatus interpres hic addit *ille*: quam voculam quum hic ſcripſiſſet librarius, eam poſtmodum delevit. (*k*) Exod. iv. 22. *Filius meus primogenitus Iſrael*. (*l*) cap. 2 verſ. 3. (*m*) voces *poſtea exſtitit* omittuntur a Martianæo. (*n*) vox *ſuſcipere* omittitur a Martianæo. (*o*) Luc. xix. 41. (*p*) Joann. xi. 38. (*q*) particula *in* omittitur a Martianæo. (*r*) Martian. *ſubjungit*. (*ſ*) Martianæi codex pro *non mirum* mendoſe habebat *nimirum*. (*t*) Rom. III. 1, & 2. *Quid ergo amplius Judæo eſt? aut quæ utilitas circumciſionis? Multum per omnem modum*.

Digitized by Google

mnium (26) præceptorum Dei vinculis, in Salvatoris necem, toto conatu, locutionis ſuæ rivos effudit. Nam quod per aquam locutio bona, vel mala ſignificetur, Scriptura teſtis eſt divina, quæ in bono dicit (*a*): *aqua profunda verba ex ore viri*: itemque in malo (*b*): *qui dimittit aquam, caput eſt jurgiorum*. Quod vero ſubjungit: *non creſcas*, oſtendit, eumdem populum, ſicut & oculis cernimus, inter cunctas gentes pauciſſimo numero diminutum.

11 Quare autem iſta perpeſſus ſit, ſubjuncta verba teſtantur: *Quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum ejus*. Per cubile patris (*c*) carnem Salvatoris inſinuamus (*d*). Nec mirum. Cubile patris ejus gentes, & corpus Dominicum intelligit (27), quia ab eodem idem populus creatus eſt: nam ſcriptum eſt de eo (*e*): *Omnia per ipſum facta ſunt*. Per *ſtratum* vero idem corpus (28) intelligitur, quod quaſi a Judæis maculatum eſt, quando eorum acclamatione Dominus & in cruce ſuſpenſus, & lancea tranſverberatus eſt, atque cruore proprio perfuſus eſt (29).

CAPUT II.

Benedictio Simeon, & Levi.

12 SImeon, *& Levi fratres, vaſa iniquitatis bellantia* (*f*). Patet literæ ſenſus: quia hi duo fratres ob ulciſcendum ſtuprum ſororis ſub ornata pace, & fictis amicitiis deceperunt Sichem, & Hemor patrem illius (*g*). Quos *vaſa iniquitatis bellantia* nominat, quia iniquum valde fuit amicitiam prætendiſſe, & eam poſtea prodidiſſe.

13 *In conſilio eorum ne veniat anima mea* (*h*): videlicet exſecrans omnem ſimulatam pacem. Unde & beatus David (*i*) talibus quibuſque fictis imprecatur (*k*): *Qui loquuntur pacem cum proximo ſuo, mala autem ſunt in cordibus eorum. Da illis ſecundum opera ipſorum*. Quod vero ſubjungit: *Et in cœtu illorum non ſit gloria mea*; nolebat utique tali victoria, & potius cæde gloriari, in qua non virtus bellatoris poterat laudari, ſed potius falſitas deceptoris coargui.

14 *Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*. Per *virum* Sichem intelligi debet, & per eum omnes, qui ejus cauſa perempti ſunt. *Suffoſſio* autem *muri* non quidem in libro Geneſeos legitur ibidem fuiſſe patrata: ſed tractum eſt hoc a conſuetudine bellantium, qui a longe terra ſuffoſſa per cuniculos fundamenta murorum deſtruere, atque ignem immittere ſolent, quo excocti lapides (30) murorum firmitas, ac ſtabilitas dejiciatur.

15 Quanta autem animadverſione hoc factum feriat, videamus. *Maledictus*, inquit, *furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura*. *Pertinax* namque *furor* illorum exſtitit, quia nec blanditiis deliniri, nec donis potuit mitigari. Et *dura indignatio* comprobata eſt, quæ nec per illorum interfectionem, qui piaculum perpetrarunt, potuit emolliri, ſed ſuper omnem civi-

(*a*) Prov. XVIII. 4. (*b*) Prov. XVII. 14. (*c*) Martianæus hic addit *tui*. (*d*) Martianæus legit *inſinuans*. (*e*) Joann. I. 3. (*f*) Gen. XLIX. 5. (*g*) lege caput XXXIV Geneſeos. (*h*) Gen. XLIX. 6. *In conſilium eorum non veniat anima mea*. (*i*) librarius mendoſe quidem, ſed conſtanter ſcribit *Davit*. (*k*) pſalm. XXVII. 3, & 4.

civitatem potius non dubitavit graſſari (*a*).

16 Quod autem ait: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam illos in Iſrael*, proprie ad Levi pertinet, qui per totum Iſraelem diſperſus eſt, non accepta propria hereditate; ſed in civitatibus, atque ſuburbanis earum habitando, ſicut hic dicitur, *diſperſus eſt, & diviſus*. Moris eſt namque Sacræ Scripturæ, dum de adhærentibus ſibi loquitur, ea quæ non omnibus, ſed quibuſdam ſoleant evenire, generaliter tamen prædicere. Unde & Dominus Jacobo, & Johanni (*b*): *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum? Calicem quidem meum*, ait, *bibetis*. Nec tamen Johannes calicem paſſionis ſanguinem fundendo bibit (31).

17 Quantum autem ad futurorum pertinet prophetiam, per Simeon, & Levi Scribæ, & Phariſæi deſignantur (32): Ex Levi namque principes Sacerdotum fuiſſe patet. Qui *vaſa iniquitatis bellantia* fuere, cor habentes, ſecundum Domini exprobrationem (*c*), *plenum iniquitate, & rapina*. Bellabant autem adverſus Dominum non armorum pugna, ſed verſutia callida, quærentes, quomodo veridica Domini verba, & facta falſis expugnarent argumentis.

18 Quæ Vir Sanctus deteſtans ait: *in conſilio eorum non veniat anima mea*; videlicet exſecrans illud conſilium (33), quod Judæi colligentes dicebant (*d*): *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit?* et reliqua. Et *in cœtu illorum gloriam ſuam eſſe* nolebat; nolens videlicet in multitudine eorum gloriari, qui quo pluriores, eo erant deteriores: Scripturæ ſenſum jam tunc opere complens, quæ dicit (*e*): *Ne glorieris in filiis peſſimis, ſi multiplicentur* (34).

19 Reddit autem cauſam, quare conſilium, & cœtum talium abominetur, dicendo: *Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*. In furore namque ſuo occiderunt Virum, videlicet Dominum Salvatorem, de quo Zacharias ait (*f*): *Ecce vir: Oriens nomen ejus* (35), clamando ad Pilatum (*g*): *tolle, tolle, crucifige eum*. Et *in voluntate ſua ſuffoderunt murum*, quia voluntatem ſuam complentes Dominum & crucifixerunt, & latus ejus terebraverunt. Qui *murus* noſter jure vocatur, quia munimine ejus ab adverſitatibus hoſtium ſpiritalium cuſtodimur. De quo ſanctæ Eccleſiæ repromittitur his verbis (*h*): *Urbs fortitudinis noſtræ Sion Salvator, ponetur in ea murus, & antemurale*.

20 Quod factum Vir Sanctus validiſſimo cuſpide maledictionis confodit, dicens: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio illorum, quia dura*. Furorem namque pertinacem habuerunt, & indignationem duram, quia nec per miracula Divina ad credendum eum Deum perduci potuerunt, nec tanquam innocenti homini, & nihil eos lædenti, uſque ad mortem perſequendo pepercerunt.

21 Quod vero ſubjungit: *Dividam eos in Jacob, & diſpergam illos in Iſrael*, hoc eſt, quod nunc videmus. Iſdem populus paterno ſolo exheredatus in cunctas gentes, ob teſtimonium credulitatis (36) noſtræ, perfidiæ ſuæ pœnas luit. Quod & beatus David in pſalmo (*i*) ex perſona Domini noſtri prophetavit dicendo: *Deus meus demonſtravit mihi ſuper inimicos meos: ne occidas eos, nequando obliviſcantur legis tuæ: diſperge eos in virtute tua* (37). Bene autem *dividi* dicuntur *in Jacob, & diſpergi in Iſrael*, quia Sancta Eccleſia, quæ vitiorum ſupplantatrix eſt, Jacob (38) jure vocatur; & quæ mentis puritate Deum videre nititur, Iſrae-

(*a*) codex habet *craſſari*. (*b*) Matth. xx. 22, & 24. (*c*) Luc. xi. 39. (*d*) Joann. xi. 47. (*e*) Eccleſiaſtic. xvi. 1. (*f*) cap. vi verſ. 12. (*g*) Joann. xix. 15. (*h*) Iſai. xxvi. 1. (*i*) pſ. lviii. verſ. 12.

lis (39) vocabulo nuncupatur; per quam Judæi diviſi, & diſperſi pererrant; quę in quatuor cæli partibus diffuſa eos vagabundos cotidie ſuſtinet.

CAPUT III.

Benedictio Judæ.

22 JUda, *te laudabunt fratres tui: manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum. Adorabunt te filii patris tui* (*a*). His verbis modeſtia hujus viri ſecundum literam pariter, & virium copia demonſtratur: quia videlicet & civiliter ſe tractando (40) cum fratribus, ea modeſtia viſus (*) eſt, ut a cunctis laude dignus haberetur: quod difficile eſt; inter tot ſcilicet fratres omnium animos habere conciliatos. Sed & fortitudine adeo abundavit, ut cervices ſuorum flectere valeret inimicorum. Quod autem eloquentia plurimum valuerit, teſtatur oratio, qua ſuam, ſuorumque coram Joſeph allegavit neceſſitatem (*b*). Narrat præterea Joſephus hiſtoriographus, verbis eum potuiſſe quamplurimum (41). Porro autem quod robore inter fratres ſuos eximius haberetur, teſtantur *Verba dierum* (42), quæ hoc modo referunt (*c*): *Porro Judas, qui erat fortiſſimus inter fratres ſuos, de ſtirpe ejus principes germinati ſunt.* Quod autem ſubjicit: *Adorabunt te filii patris tui*, aperte regnum, quod Ruben abſtulerat, Judæ concredidit dicens, eum a reliquis fratribus ſuis adorandum: quod regiæ utique congruit dignitati.

23 Myſtice autem per Judam ille jam tunc præfigurabatur (43), qui de ejus ſtirpe ſecundum carnem natus eſt, Dominus, & Salvator noſter (44); quem laudant fratres ſui omnes; videlicet in eum credentes: unde ipſe primus in illis, qui in eum crediderunt, a monumento per mulieres mandatum direxit, dicendo (*d*): *Ite, & dicite fratribus meis.* Ne autem putemus, hanc dignitatem ſolis Apoſtolis attributam, ut fratres ejus vocentur, ipſe hac dignitate donandos omnes, qui in eum credunt, teſtatur dicendo (*e*): *Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cælis eſt, ipſe meus frater, ſoror, & mater eſt.* Ipſum ergo laudant fratres; videlicet omnis Eccleſia, quæ adhuc a cæleſti hereditate exulat in terris, ſive quæ jam præceſſit (*f*) ad cælos. Unde pſalmus (*g*): *Laudent illum cæli, & terra.* Et in Apocalypſi (*h*) Johannes: *Laudem dicite Deo noſtro omnes ſervi ejus, & qui timetis eum, puſilli, & magni.* Cujus (*i*) *manus in cervicibus inimicorum ejus ſunt*; quia, ſecundum Euangelii teſtimonium (*k*), *omnia dedit ei Pater in manus.* Ipſe etiam his verbis conſentit, dicendo (*l*): *Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo, & in terra.* Et Pater ad eum loquitur (*m*): *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum* (45). Quem *adorant filii patris* ejus; omnes videlicet per eum adoptati in filiorum dignitatem, juxta quod Apoſtolus loquitur (*n*): *Ut in nomine Jeſu omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum.*

24 Se-

(*a*) Gen. xlix. 8. (*) fortaſſe legendum eſt *uſus*.
(*b*) Lege Gen. cap. xlii, & xliii, & præſertim cap. xliv verſic. 18, & ſeqq.
(*c*) lib. 1 Paralip. cap. V verſ. 2. (*d*) Matth. xxviii. 10. *Ite, nunciate fratribus meis.*
(*e*) Matth. xii. 50. (*f*) vel *proceſſit*. (*g*) pſ. lxviii. 35.
(*h*) cap. xix verſ. 5. (*i*) nempe *Chriſti*. (*k*) Joann. xiii. 3. (*l*) Matth. xxviii. 18.
(*m*) pſ. cix. 1. Vide etiam Matth. xxii. 44. Et Luc. xx. 43. (*n*) Philipp. II. 10.

24 Sequitur (*a*): *Catulus leonis Juda: ad prædam, fili mi, aſcendiſti: requieſcens accubuiſti ut leo, & quaſi leæna: quis ſuſcitabit eum?* Quantum attinet ad ſuperficiem literæ, fortitudo regum a ſtirpe Juda deſcendentium per hæc verba præfiguratur: qualem beatum David fuiſſe legimus, & beatum Ezechiam, & ceteros quoſque, qui divinitati humillime famulantes, vires hoſtium, eo donante, inſtar leonis, & leænæ ſubegerunt, & adeo terrori hoſtibus exſtiterunt, ut nullus eos laceſſire ad pugnam quaſi quieſcentes præſumeret: cujus rei teſtes ſunt libri Regum.

25 Typice autem *catulum leonis* Dominum Salvatorem appellat, tanquam leonina ortum proſapia; videlicet regia ſtirpe progenitum. Bene autem *catulus leonis* vocatur, cujus natura eſſe dicitur (46), ut naſcens tribus diebus dormiat, deinde rugitu paterno excitatus aſſurgat. Quæ figura pulcherrime arridet Dominicæ dormitioni; qua (*b*) tribus diebus dormiens ad Patrem clamat (*c*): *Tu autem Domine miſerere mei, & reſuſcita me.* Sed reſuſcitatus ad prædam aſcendit; quia exſpolians infernum, juſtos quoſque ad ſuperna ſecum tanquam prædam egregiam triumphando evexit. Qui *ut leo*, & quaſi *ut leæna accubuit;* quia qui dormire per carnem in ſepulcro voluit (47), quaſi leo victor de hoſtibus triumphavit. Quod autem ſubjungit: *Quis ſuſcitabit eum*, ſubauditur, *niſi Pater* (48)? Nullus enim non dicam hominum caducorum, ſed nec quilibet Angelorum (*d*), niſi is, de quo Petrus Apoſtolus dixit Judæis (*e*): *Quem Deus ſuſcitavit a mortuis, cujus nos teſtes ſumus.*

26 *Non auferetur ſceptrum de Juda, nec dux de femoribus ejus* (49), *donec veniat qui mittendus eſt: & ipſe erit expectatio gentium* (*f*). Hæc ſententia clarius luce a fidelibus intelligitur, quia tamdiu ſuæ gentis principibus, ac ducibus iſdem populus regebatur, quouſque Dominus, & Salvator noſter veniret, qui mittendus erat a Patre. Qui eſt *expectatio Gentium*; quia videlicet tamdiu Deus Pater gentes ad pœnitentiam expectavit, quouſque per Filii ſui adventum ad cognitionem ſuam ab idolatriæ cultura eos revocaret. Nam ſive in Babylonem tranſducti fuerint Judæi, ſemper ſibi præpoſiti ex ſua gente fuerunt: ſeu reverſi ex Babylone, quouſque Herodes alienigena rex eis conſtitueretur: & per Pontifices ſumma eorum regebatur, quouſque ad Ariſtobulum ventum eſt, qui primus poſt reditum de Babylone, cum eſſet Pontifex, ſibi diadema impoſuit, & regem ſe declaravit. Itidemque ſucceſſores ejus, uſquequo rebus Judaicis lapſantibus, & Hircano ultimo rege Judæorum extremis malis addito, regnum a Cæſare Auguſto Herodes alienigena ſuſcepit Judaicum. Cujus tempore, ſecundum hanc prophetiam, & Euangelii teſtimonium (*g*), is *qui mittendus erat*, Dominus, & Salvator noſter advenit.

27 *Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem, o fili mi, aſinam ſuam* (*h*). Hac compoſitione verborum demonſtratur, non ad Judam, beatum Jacob loqui, ſed de eo utique, *qui mittendus erat*; qui enim ad filium loquens *o fili mi* dicit, & addidit *pullum tuum*, vel *aſinam tuam*, manifeſtiſſime de eo loquitur, quem ſuperius mittendum prædixerat: Quem legimus (*i*) venientem in Jeruſalem in uſus habuiſſe aſinam, & pullum, nec tamen eos ad vineam, vel vitem fuiſſe colligatos. Reſtat ergo, ut in his verbis nihil hiſtoricum requiratur, ſed totum typice dictum intelligatur (50). Ligavit enim Dominus, & Salvator ad vi-

 neam

(*a*) Gen. xlix. 9. (*b*) vel *qui*, vel *quia*. (*c*) pſ. xl. 11. (*d*) Videtur verbum aliquod hic deſiderari. (*e*) Act. III. 15. (*f*) Gen. xlix. 10. (*g*) Matth. II. 1. (*h*) Gen. xlix. 11. (*i*) Matth. xxi. 5, & 7.

Digitized by Google

neam pullum ſuum, quando populum nationum indomitum præceptis ſubdidit Apoſtolorum ex vinea Judaica procreatorum, de qua Iſaias (*a*): *Vinea enim Domini Sabaoth domus eſt Iſrael* (51). Alligavit etiam ad vitem, ideſt Eccleſiam, aſinam ſuam, videlicet Synagogam, quam in fine ſeculi a perfidia revocans jugo legis oppreſſam diſcipulatui eam ſubdet Eccleſiæ, atque ita *fiet unus grex* (52), *& unus paſtor* (*b*): & ſecundum beati Zachariæ teſtimonium (53), *duæ virgę illæ* (*c*) *copulabuntur, & erunt in unionem in manu Domini*.

28 *Lavabit vino ſtolam ſuam, & ſanguine uvæ pallium ſuum* (*d*). Idioma hebraici conſtat eſſe ſermonis, ut unam eamdemque rem diverſis ſermonibus repetat, ut hic. Quid eſt enim vinum, niſi ſanguis uvæ (54)? Sed quantum literæ ſuperficies inconſequens eſt (nullus enim vel ſtolam, vel pallium vino lavat), tantum gratiori intelligentia interius commendatur. Salvator namque vino ſtolam ſuam, & ſanguine uvæ pallium ſuum lavit; quia pendens in cruce proprio ſanguine (55) ſacram carnem, quæ ſtola illius fuit, perfundi voluit.

29 Sequitur (*e*): *Pulcriores ſunt oculi ejus vino, & dentes ejus lacte candidiores*. Oculi Salvatoris pulcriores vino prædicantur, quia dona Spiritus Sancti, quæ per Chriſtum conferuntur, ſpecioſiora vino legali comprobantur. Nam quod oculi Salvatoris dona Spiritus Sancti ſignificent, Zacharias teſtatur propheta dicendo (*f*): *Super lapidem unum ſeptem oculi ſunt:* quos Iſaias enumerat dicendo (*g*): *Spiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii, & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ, & pietatis, & ſpiritus timoris Domini.* Qui pulcriores ſunt vino legali, quod in nuptiis defecit (*h*), quia *per legem cognitio peccati* (*i*), per gratiam autem Spiritus Sancti nobis ejus remiſſio condonatur. Et ſecundum Euangelium (*k*), *lex* quidem *per Moyſem data eſt*, *gratia* autem, *& veritas per Jeſum Chriſtum*.

30 Quod autem dicitur: *Et dentes ejus lacte candidiores*, per *dentes* prædicatores novi Teſtamenti debent intelligi, qui cibos ſpiritales comminuendo, ideſt exponendo, multa nobis perutilia in ventrem memoriæ tranſmittunt. *Lac* autem doctrina Veteris Teſtamenti non incongrue accipitur, quæ incipienti populo adhuc ad perfectum cibum invalido condita eſt. *Candidiores* ergo *lacte dentes* Jeſus habet, quia Eccleſiæ ſuæ prædicatores puritatis munditia conſpicuos perfecit (56). Nam quantum inter ſectatores Euangelii, & legales diſtet obſervantias, beatus Petrus teſtis eſt, qui ait (*l*): *Non potuiſtis in lege juſtificari: in hoc omnis, qui credit, juſtificatur*. Illi ergo dentes candidi ſunt, quia fonte baptiſmatis abluti, a peccatorum nævis redduntur puriſſimi. De legis autem obſervatoribus nihil tale refertur: ſed tantummodo dicitur, quia *Qui fecerit ea, vivet in illis* (*m*). Inſuper omnes, qui legi carnaliter deſerviunt, ſub maledicto ſunt (57), dicendo terribiliter eadem Lege (*n*): *Maledictus omnis, qui non permanſerit in mandatis legis hujus, ut faciat ea, quæ in ea ſcripta ſunt* (58).

CA-

(*a*) cap. V verſ. 7 Vulgata editio habet: *Vinea enim Domini exercituum domus eſt Iſrael*. At in verſione antiqua ex Breviario Mozarabico deſumpta, quam affert Sabatierus, ſic legitur, ut legit hic noſter Scriptor. (*b*) Joann. x. 16. (*c*) vel *illi*. (*d*) Gen. xlix. 11. *Lavabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine uvæ pallium ſuum*. (*e*) Gen. xlix. 12. (*f*) cap. III verſ. 9. (*g*) cap. xi verſ. 2, & 3. (*h*) Joann. II. 3. (*i*) Rom. III. 20.
(*k*) Joann. I. 17. *Quia lex per Moyſem data eſt; gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*.
(*l*) Act. xiii. 38, & 39. (*m*) epiſt. ad Galat. cap. III verſ. 12. *Lex autem non eſt ex fide: ſed qui fecerit ea, vivet in illis*. (*n*) Deut. xxvii. 26.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Benedictio Zabulon.

31 Z*Abulon in litore maris habitabit, & in ſtatione navium pertingens uſque ad Sidonem* (*a*). Juxta hiſtoriam ſitus ſortis illius, quam in terra repromiſſionis Deo donante accepturus erat, prædicitur: quod ſcilicet terra poſſeſſionis ejus ab uno latere a mari inciperet, & torrente finiretur ab alia, ſicut in libro Jeſu Nave (*b*), ubi diſtributiones poſſeſſionum earum terminatæ ſunt, manifeſte declaratur: unde & Sidonis hic fit mentio, quæ contigua mari eſt.

32 Juxta myſticos autem intellectus, Zabulon primitias Eccleſiæ Sanctæ deſignat; ex cujus tribu aliqui Sanctorum Apoſtolorum fuiſſe creduntur, quod in litore maris aſſidue morarentur, utpote ex eo victum manu, & arte captantes a Domino ad Apoſtolatus culmen vocati ſunt, ſecundum prophetiam beati David dicentis (*c*): *Principes Juda duces eorum, principes Zabulon, principes Nephtali* (*d*). Qui etiam in ſtatione navium habitant, quia in Domino Jeſu Chriſto fiducialiter ſecura pace requieſcunt. Naves namque Eccleſiæ intelliguntur, quæ fidiſſima ſtatione portum ſalutis ſuæ Dominum requirunt, & inveniunt. Et bene additur: *Pertingens uſque ad Sidonem;* quia videlicet eadem ſancta Eccleſia non uno mundi coarctata eſt angulo, ſed creſcendo uſque ad populos devenit gentilium (59). Sidon enim *venatio* interpretatur (60), ſignificans, ut dictum eſt, gentilitatem moribus ferinis idololatriæ cultum quaſi luſtra deſerti ſectantem. Quæ poſtea rete Dominicæ prædicationis, & latratu Sanctorum Apoſtolorum intra ſepta Sanctæ Eccleſiæ admitti (*e*) meruit.

CAPUT V.

Benedictio Iſſachar.

33 I*Ssachar aſinus fortis accubans in terminos* (61). *Vidit requiem, quod eſſet bona, & terram, quod optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſerviens* (*f*). Per hæc verba hæc Tribus ſignificatur doctrinæ legis operam datura, & promptius ſe ad mandata Dei ſcrutanda tranſlatura (62). Dicitur namque *vidiſſe requiem, quod eſſet bona, & terram, quod optima;* ideſt, mente deguſtaſſe, quam eſſet dulce in Dei mandatis ſenſum occupare. Atque ideo *ſuppoſuiſſe ad portandum, humerum* dicitur, ideſt, toto conamine ad ſcrutanda divini verbi eloquia mentem tranſtuliſſe: Ac per hoc inferiores quoſque ei munera, & honorem tanquam magiſtro, & præceptori detuliſſe. Concinit huic intelligentiæ liber Paralipomenon, qui de hac tribu ita dicit (*g*): *De filiis quoque Iſſachar viri eruditi, qui noverant ſingula*

(*a*) Gen. xlix. 13. (*b*) Joſue xix. 11. (*c*) pſ. lxvii. 28. (*d*) Codex habet *Neptalim.* (*e*) codex mendoſe habet *amitti*. (*f*) Gen. xlix. 14, & 15. (*g*) lib. 1 Paral. cap. xii verſ. 32.

gula tempora, *ad præcipiendum*, *quid facere debent*, *principes ducenti* (*a*).

34 Typum autem geſtat hic *aſinus fortis* populi gentilis (*63*), qui antequam Dominum ſeſſorem habuiſſet, brutus erat, & frenorum impatiens proprio libitu ferebatur. Poſtquam autem Dominum ſeſſorem habere meruit, fortis aſini nomen ab eo mutuavit. Qui *vidit requiem*, *quod eſſet bona*, audiens a ſeſſore ſuo (*b*): *Venite ad me omnes*, *qui laboratis*, *& onerati eſtis*, *& ego vos requieſcere faciam* (*c*). *Terram* autem, *quod optima eſſet*, proſpexit, quia relictis philoſophorum inanibus doctrinis ad Scripturæ ſacræ lectionem ſe ſtudioſiſſime vertit. Unde quia didicit inter alia, *non auditores legis juſtificari* (*d*), ſubditur: *ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum*; ideſt, totum ſuum poſſe mandatis ſubjecit divinis, & maxime in dilectione Dei, & proximi. Neque enim proximus diligitur, ſi non portetur. Et additur: *factuſque eſt tributis ſerviens*; quaſi enim quoddam tributum quotidie perſolvit, audiens ab Apoſtolo (*e*): *Reddite omnibus omnia: cui timorem, timorem: cui honorem*, *honorem*: *cui vectigal*, *vectigal*, & reliqua.

CAPUT VI.

Benedictio Dan.

35 DAn *judicabit populum ſuum*, *ſicut & alia tribus Iſrael* (*f*). *Fiat Dan coluber in via*, *ceraſtes in ſemita*, *mordens ungulas equi*, *ut cadat aſcenſor ejus retro*. *Salutare tuum expectabo Domine* (*g*). Hiſtorialiter quidem prænunciatur (*h*) non ſolum de aliis nobilioribus tribubus, ſed & de Dan, principem futurum Iſraeli, & per modum deſcriptionalem, qualis futurus ſit, deſignatur. Samſon namque his verbis præfiguratur (*64*), qui more colubri ſerpentiſque terribilis fuit: & quo terribilior inſinuaretur, cornutus deſcribitur (*65*) propter eximiam poteſtatem, atque fortitudinem (*66*). Hic ergo vias & ſemitas Iſraelitici regni tempore ſui Præſulatus obſedit, ne quis hoſtium vi terram ditionis illius invadere præſumeret. Sed & ſi quis immanior, & de propria tanquam equi (*i*) velocitate confiſus, & fortitudine, eum aggredi voluiſſet, mox corroſis plantis, atque conſumptis viribus ſtabilitatis, inſectatorem ſuum ad terram perturbaret. Quem ne quis errore deceptus plus quam hominem æſtimaret, mox quis vere princeps expectandus eſſet, adjecit dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*; in cujus videlicet iſte ex parte aliqua typo præceſſit.

36 Præfigurat autem Dan iſte Antichriſtum (*67*), qui futurus eſt velut *coluber in via*, & *ceraſtes in ſemita*: quia in via & ſemita mandatorum Dei ambulantibus, quantum in ſe eſt, obicem ſe præfert duplici armatus contra eos ingenio: in ſerpente namque calliditas illius præfiguratur, quia decipere aſtute quærit viam Domini greſſu operum tenentes. In cornibus autem demonſtratur furor illius, quo uſurus eſt contra eos, quos

(*a*) Vulgata editio habet: *quid facere deberet Iſrael*, *principes ducenti*. (*b*) Matth. XI. 28.
(*c*) Vulgata editio habet: *& ego reficiam vos*. (*d*) Rom. II. 13. *Non enim auditores legis juſti ſunt apud Deum*, *ſed factores legis juſtificabuntur*. (*e*) Rom. XIII. 7. *Reddite ergo omnibus debita: cui tributum*, *tributum: cui vectigal*, *vectigal: cui timorem*, *timorem: cui honorem*, *honorem*. (*f*) Vulgata editio habet *in Iſrael*. (*g*) Gen. XLIX. 16, 17, & 18.
(*h*) Vel *pronunciatur*. (*i*) Codex ita ſcriptus eſt, ut legere etiam liceat: *& de potentia tanquam equus*.

Digitized by Google

quos callida machinatione decipere nequiverit. *Ceraſta* (69) namque græce, latine cornua dicuntur, atque ideo ſerpens iſte cornutus deſcribitur. Quum ergo Antichriſtus veniens ante oculos ſpectantium ſigna magna fecerit, ignem de ſublimi depoſuerit (*a*), *ſerpens in via* eſt. Quum autem ſe ad pœnas, & tormenta ſibi non credentibus infligenda verterit, *ceraſtes in ſemita* fit; quia per anguſtam Domini ſemitam gradientes, cornibus poteſtatis ſibi ſubigere nititur. Qui dum *extollitur ſuper omne quod dicitur Deus, aut quod colitur* (*b*), *ungulas equi mordet, ut cadat aſcenſor ejus retro*: quia mundialem gloriam ad hoc ſibi non adquieſcentibus aufert, ut amore bonorum præſentium illecti ibi cadant, ubi non vident. Retrorſum enim cadere eſt & hic deſperaliter, & inverecunde, ubi non videas, ruere, & poſt in exteriores tenebras devenire. Qui enim in faciem cadit, de retro actis erubeſcit; qui autem retro decidit, ut jam præfati ſumus, impœnitenti corde ſibi iram in die iræ nutrit (*). Ne quis porro pro miraculorum tanta ſublimitate Antichriſtum pro Deo putaret colendum (69), addidit: *Salutare tuum expectabo Domine*; quaſi diceret: licet Antichriſtus multis miraculorum fulgeat inſignibus, mihi tamen *Salutare tuum*, quod hebraice dicitur *Jeſus* (70), expectandus eſt, ut veniens hujus potentiam æterna proterat animadverſione, & me inter fideles ſuos reperiens beata donet manſione.

CAPUT VII.

Benedictio Gad.

37 G*Ad accinctus præliabitur ante eum, & ipſe accingetur retrorſum* (*c*). Patet literæ ſenſus legentibus librum Jeſu Nave; quia Gad, qui trans Jordanem petivit, & accepit a Moyſe hereditatem, ea conditione ejus (*e*) potiri meruit, ut accinctus armis ante Iſrael, juncto ſibi Ruben, & dimidia tribu Manaſſe, contra adverſarios pugnando incederet (*f*), quod poſtea ſub Joſue & fecit (71). Attamen ſubjugatis hoſtibus, cum retro ad poſſeſſionem propriam rediret (72), neceſſe habuit gentium finitimarum incurſionibus inſiſtere (*g*). Hoc eſt ergo quod ait, primum eum ante fratres ſuos accinctum præliatum fuiſſe, & poſtea iterum ad prælia reaccingi.

38 Significat autem ſpiritaliter electos quoſque ex Judæis, qui populo novo quaſi quidam præduces extiterunt, & in terram olim promiſſam introduxerunt. Quales extiterunt prophetæ, & Sancti Patriarchæ, qui idolatriam cunctorum vitiorum matrem, & ejus innumeram prolem verborum ſuorum ſpiculis confoderunt. Qui tamen iterum ſurſum accingentur, quia in noviſſimis temporibus intrante plenitudine gentium ad rediviva ſuſcitabuntur certamina, quę eis cum Antichriſto, & ejus ſatellitibus futura erunt. Nunc enim non trans fluenta Jordanis habent hereditatem, quia per baptiſmi gratiam non intrant Eccleſiam, ſed ſequeſtratim extra fratres commorantur remanentes in cerimoniis legalibus.

CA-

(*a*) Apocalypſ. cap. XIII verſ. 13. *Et fecit ſigna magna, ut etiam ignem faceret de cælo deſcendere in terram in conſpectu hominum.* (*b*) 2 Theſſal. II. 4. *niſi ... revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur*, &c. (*) Rom. II. 5. *Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, theſaurizas tibi iram in die iræ.* (*c*) Gen. XLIX. 19. (*d*) codex mendoſe habet *ei*. (*f*) Deuter. III. 18. (*g*) lib. 1 Paralip. cap. V verſ. 18 &c.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Benedictio Aſer.

39 A*Ser, pinguis panis ejus, & præbebit delicias regibus* (*a*). Videtur quidem juxta literam huic Tribui ubertas terræ repromitti (73); habuit enim in ſorte poſſeſſionis ſuæ Carmelum montem ubertate inſignem; ſimulque mari conlimitavit, ac per hoc delicias, quibus ipſe (*) abundabat, maris, terræque, etiam regibus ſuis non eſt dubium eum obtuliſſe.

40 Prædicuntur autem per hæc verba ſancti viri ex Synagoga futuri, quorum *panis pinguis* eſt; doctrinam videlicet propheticam ſancti Spiritus ſagina redundans. Quorum unus inexplebili aviditate ſuccenſus clamabat (*b*): *Sicut adipe & pinguedine repleatur anima mea.* Qui *delicias* ſuas *regibus* miniſtrant (*c*); quia illis, qui in ſemetipſis, & ſibi ſubjectis regnum juſtæ moderationis tenere cupiunt, regiam normam præmonſtrant.

CAPUT IX.

Benedictio Nephtali.

41 N*Eptalim cervus emiſſus, & dans eloquia pulcritudinis* (*d*). Beato Hieronymo docente (*e*) diſcimus, non haberi in Hebræo *cervus emiſſus*, ſed *ager irriguus* (74), & ſignificari per agrum irriguum ubertatem calidarum aquarum, quæ in ſuburbio Tiberiadis abundantiſſime exuberant. Attamen traditio Hebræorum eſt, hanc civitatem mandatorum divinorum fuiſſe ſtudioſiſſimam, ac per hoc agrum irriguum ſignificare docentium magiſtrorum uberrimam doctrinam, quæ ignorantium corda quaſi quidam rivus ad proferendos intelligentiæ fructus inebriare ſoleret (*f*); & hoc exponi in inferioribus, quum dicitur: *dans eloquia pulcritudinis.*

42 Nos autem per Neptalim Sanctos intelligimus prædicatores Eccleſiæ, qui miſſi ad Sanctam Eccleſiam, more cervorum dare ſaltus intelligentiæ noverunt, atque contemplationis montes (*g*) intrepide conſcendere, & ſic populis *eloquia pulcritudinis dare*: ut quod illi in altitudine contemplationis ſublevati didicerint, hoc inferius poſitis ſtrenue miniſtrent (75).

CA-

(*a*) Gen. xlix. 20. (*) Fortaſſe legendum eſt *ipſa*, & paulo poſt, *eam*.
(*b*) pſ. lxii. 6. (*c*) Codex mendoſe habet: *miniſtravit*.
(*d*) Gen. xlix. 21. (*e*) in quæſtionibus hebraicis in Geneſim, pag. 377, & 378 tom. 4 Oper. Hier. editor. a Vallarſio. (*f*) Codex mendoſe habet *ſolerent*. (*g*) Codex mendoſe, ut puto, habet *mentes*.

C A P U T X.

Benedictio Joſeph.

43 F*ilius accreſcens Joſeph, filius accreſcens, & decorus aſpectu* (*a*). Juxta literam quidem beatus Jacob prævidebat, tribum Joſeph innumera prole abundaturam; unde & duarum tribuum fuit pater (76), ſicut eis ſuperius benedicendo prædixerat (77). Unde quaſi duabus tribubus benedicens repetivit: *filius adcreſcens*.

44 Joſeph autem in typo præceſſiſſe Salvatoris conſtat, quia Ægyptum fame deficientem frumento verbi Dei paſcit: Et venditus a fratribus ſuis Judæis uſque hodie gentium nutrit Eccleſiam. Cui dicitur, *filius accreſcens, & decorus aſpectu*: ipſe enim filius Dei, idemque filius hominis quodammodo accrevit, quum populum Iſrael per prævaricationem legis Deum inhonorantem, in Apoſtolis, & reliquis illius temporis fidelibus ſibimet adſcivit. Idem *filius accreſcens* eſt, quum etiam inter gentes nominis ſui dilatavit cognitionem, & in eis uſque mundi terminum creſcit per fidei, operumque illuminationem (78). Idem autem Joſeph *decorus aſpectu* eſt, quia *ſpecioſus præ filiis hominum forma* (*b*).

45 *Filiæ diſcurrerunt ſuper murum. Sed exaſperaverunt eum, & jurgati ſunt, invideruntque illi habentes jacula* (*c*). Quantum quidem ad rem geſtam pertinet, *filias* fratres illius appellat propter dedecus inhumanitatis. Neque enim virilis, & ſtabilis fuit conſilii innocentem vel exſtinguere voluiſſe, vel vendidiſſe fratrem; ſed potius femineæ mobilitatis. *Super murum* autem *diſcurrerunt*, quia invictum ſe conſilium ſuper eo, ne eis futurus rex foret, inveniſſe putaverunt. *Exaſperaverunt* autem *eum*, nudantes (*d*) tunica polymita (79), & indignis contumeliis afficientes. *Jurgati ſunt* autem, *inviderunt que illi habentes jacula*, dicentes ad eum (*e*): *numquid rex noſter eris? aut ſubjiciemur ditioni* (*f*) *tuæ?* Unde ſuperius (80) dictum eſt (*g*): *invidebant igitur ei fratres ſui*. *Habebant* autem *jacula*; ideſt, corda ad nocendum parata. Unde de Judæis Dominum interficere cupientibus dicitur (*h*): *ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum*.

46 Juxta myſticos autem ſenſus *filiæ* Judæi intelliguntur, qui femineæ cenſentur appellatione, quia relinquentes Dominum, & Salvatoris noſtri ſolidam doctrinam, & adhærentes Phariſææ ſuperſtitioni mente turbati ſunt (81). Nam illi, quibus ſolidus ſenſus deeſt, & mens eorum varia fluctuatione vacillat, mulierum nomine ab Apoſtolo cenſentur dicente de malis doctoribus (*i*): *Qui penetrant domos, & captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis* (*k*), *ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes*. *Diſcurrerunt* autem *ſuper murum*, quando munitiſſimum ſe inveniſſe putaverunt con-

(*a*) Gen. xlix. 22. Lege etiam Gen. xxxix. 6. (*b*) Pſ. xliv verſ. 3. (*c*) Gen. xlix. 22, & 23. (*d*) Gen. xxviii 23. (*e*) Gen. xxxvii. 8. (*f*) codex mendoſe habet: *dictioni*. (*g*) Gen. xxxvii. 11. (*h*) pſ. lxxii. 9. (*i*) 2 Timoth. III. 6. (*k*) In Vulgata editione hic additur: *quæ ducuntur variis deſideriis*.

filium, dicente Caipha (*): *Expedit vobis, ut unus moriatur pro populo homo, & non tota gens pereat.* *Exaſperaverunt* autem *eum*, quando quodammodo tædio incredulitatis eorum commotus dixit (*a*): *O generatio prava, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar? Jurgati ſunt*, dicentes (*b*): *quouſque animam noſtram tollis? Inviderun tque illi*, dum dicunt in concilio ſuo (*c*): *Quid faciemus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum.* Itemque (*d*): *Videtis, quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit.* *Habebant jacula*, de quibus ſcriptum eſt (*e*): *ſagittæ parvulorum factæ ſunt plagæ eorum.*

47 *Sedit in forti arcus ejus, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum ejus, & manuum illius per manus potentis Jacob: inde paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael* (*f*). Hiſtoricus quidem ſenſus, quantum intelligi datur, iſte eſt. Per *arcum* intelligitur mens futurorum præſcia. In arcu namque ſagitta ponitur, ut eminus feriat: & mens futurorum præſaga longius ſagittas ſententiarum emittere ſolet. Tale ergo, quod dicitur: *ſedit in forti arcus ejus*, quaſi diceret: requievit mens illius undique tribulationibus afflicta, *in forti*, ideſt in Deo (82) ſolidata, atque ſagittis ſententiarum (83), quibus quod futurum eſſet, prænuncians, tempora futura ſterilitate feriret.

48 Quod autem ait: *Et diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius*, ad tempus refertur, quo, jubente Pharaone, ſolutus de carcere, &, ſicut hic dicitur, *vincula brachiorum, & manuum illius*, quibus vinciri in carcere juſſus (*g*) fuerat, *ſoluta ſunt per manus*, ideſt per virtutem (84), *potentis Jacob*, videlicet Dei omnipotentis, cujus adjutorio Jacob potentia claruit.

49 Illud porro, quod ſubjungit: *inde paſtor egreſſus eſt, lapis Iſrael*, ad Chriſtum refertur, qui de Jacob egreſſus eſt, videlicet de eo originem trahens. Qui bene *lapis Iſrael* dicitur, quia fortitudo in ſe credenti ſit.

50 Salvatori autem hæc ſententia tali modo congruit. *Sedit in forti arcus ejus;* ideſt, ſententia animadverſionis, qua feriri Judæi debebant, qui eum recipere noluerunt, ſed uſque ad mortem perſecuti ſunt, *in forti ſedit*, ideſt, ſtabili cum Patre immutabilitate præfixa eſt, dicentis (*h*): *Amen dico vobis: non relinquetur hic lapis ſuper lapidem.* Et (*i*): *Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta*, &c.

51 *Diſſoluta* autem *ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Jacob*, quum vincula ſepulcralia enodata ſunt, atque illi *per manus potentis Jacob*, ideſt, per virtutem Patris reſurrectio non eſt denegata.

52 *Inde* autem *paſtor egreſſus eſt*, & *lapis Iſrael;* ideſt, a Deo Patre Dominus, & Salvator egreſſus, viſibus ſe præſentavit humanis, ſicut ipſe dixit (*k*): *Exivi a Patre, & veni in mundum.*

53 *Deus patris tui erit adjutor tuus, & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli deſuper, benedictionibus abyſſi jacentis deorſum, benedictionibus uberum, & vulvæ* (*l*). Imprecatur (85) filio ſuo adjutorium Dei patris ſui, illius videlicet, cujus adjutorio tantis ſe exutum meminerat periculis, & quem omnipotentem per beneficia ſibi præſtita cognoverat. Quod autem ait: *bene-*

(*) Joann. XI. 50. *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat.*
(*a*) Marc. IX. 19. *O generatio incredula, quamdiu apud vos ero? quamdiu vos patiar?*
(*b*) Joann. X. 24. (*c*) Joan. XI. 47, & 48. *Quid facimus, quia* &c. (*d*) Joann. XII. 19.
(*e*) Pſ. LXIII. 9. (*f*) Gen. XLIX. 24. (*g*) Codex mendoſe habet *miſus*. (*h*) Matth. XXIV. 2.
(*i*) Matth. XXIII. 38. (*k*) Joann. XVI. 28. (*l*) Gen. XLIX. 25.

Digitized by Google

benedictionibus cæli deſuper, ad pluviam, aeriſque pertinet temperiem, qua frugibus fecundatur terra, atque arborum nutriuntur proventus. Quod vero ſubjungit : *benedictionibus abyſſi jacentis deorſum*, ad fertilitatem pertinet terræ, quæ abyſſi vaporibus velut ſpongiæ concavitas irrigatur, ut non facile Solis ignibus areſacta inutilis ſiccitate reddatur. *Benedictionibus uberum, & vulvæ* eum benedicit, ut prole numeroſa concreſcat, ne videlicet ſterilitate aut virorum, aut mulierum damnetur.

54 Dicit autem (*a*): *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus*; ut videlicet non dubitaret Joſeph illud eventurum, quod ei ſanctus Jacob non tam ex ſua quaſi novitia benedictione proventurum repromittebat : ſed quia ad patres ejus, ideſt, Abraham, & Iſaac, jamdudum promiſſa ſunt. Hoc eſt enim quod ait: *benedictiones patris tui confortatæ ſunt*, quaſi diceret : non has benedictiones patris quaſi proprias illius accipias, nec quaſi ſemel datas : ſed quia a Deo patribus meis primo datæ ſunt, & non ſemel, ſed crebro. Atque inde eſt, quod ~~ego ſuper te~~ eaſdem benedictiones, quæ mihi, & patribus meis promiſſæ ſunt, ex auctoritate Dominica capiti tuo ſuperfundo.

55 Domino autem, & Salvatori Deus omnipotens, & Pater adjutor extitit clamanti in pſalmo (*b*) : *Adjuva me, Domine Deus meus : ſalvum me fac ſecundum miſericordiam tuam*. Qui enim individua Deitate omnibus, qui annunciantur, auxilium præſtat, ipſe humanatus (*c*), & paulo minus ab Angelis minoratus (*d*) non modo Paterno, ſed etiam adjutorio indiguit Angelico, propter videlicet manifeſtandam geminam in ſe ſubſtantiam (86). Inde eſt enim, quod clamat (*e*) : *Deus Deus meus ut quid dereliquiſti me?* Et in Euangelio (*f*) : *Apparuit ei Angelus de cælo, confortans eum*. Ipſe autem Omnipotens benedixit illi dicendo (*g*) : *Hic eſt mihi filius dilectus, in quo complacui*.

56 *Benedictionibus cæli deſuper, & benedictionibus abyſſi jacentis deorſum* illi benedixit, quando ſecundum Apoſtolum (*h*) *Dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, ut in nomine ejus omne genu flectatur terreſtrium, cæleſtium, & infernorum*. *Benedictionibus uberum, & vulvæ* eum ſublimavit, quando in filiis Eccleſiæ, aliis catechumenis, quaſi adhuc intra matris ubera (*i*) jacentibus, aliis autem more jam genitorum ubera materna lambentibus, ſibi præſtat per orbem terrarum benedici. Nam qui nec dum in fidei robur evaſerunt, ſed per doctores ad eam trahuntur, audiunt ab Apoſtolo (*k*) : *Filioli mei, quos iterum parturio, donec Chriſtus formetur in vobis*. Qui autem jam quidem fidei rudimenta perceperunt, ſed nec dum plene in doctrinæ firmitate coaluerunt, audiunt ab eodem (*l*) : *Lac vobis potum dedi, non eſcam : nec dum enim poteratis : ſed nec adhuc quidem poteſtis* (87).

57 Sequitur (*m*) : *Donec veniret deſiderium collium æternorum*. Hic nihil hiſtoricum, ſed totum reſonat divinum. Tamdiu namque his prænunciat populum Iſraeliticum ſubſtentandum benedictionibus, donec deſiderium collium æter-

(*a*) Gen. xlix. 26. (*b*) pſ. cviii. 26. (*c*) Codex habet *humanitus*. (*d*) Lege Hebr. II. 7. (*e*) Marc. xv. 34. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?*
(*f*) Luc. xxii. 43. *Apparuit autem illi Angelus de cælo, confortans eum*. (*g*) 2 Petr. I. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. (*h*) Philipp. II. 10. *Donavit illi nomen . . . ut in nomine Jeſu omne genu flectatur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*.
(*i*) legendum puto *uterum*, aut *viſcera*. (*k*) Galat. iv. 19. (*l*) 1 Corinth. III. 2. *Lac vobis potum dedi, non eſcam : nondum enim poteratis : ſed nec nunc quidem poteſtis*.
(*m*) Gen. xlix. 26.

ternorum veniret. Colles namque, Sancti intelliguntur in Eccleſia conſtituti (88), qui quanquam merito virtutum præcellant, tamen ex devotiſſima humilitate colles ſe eſſe meminerunt. Unde pſalmus (*a*): *Suſcipiant montes pacem populo, & colles juſtitiam.* Deſiderium namque illorum, Domini Jeſu conſtat fuiſſe ſemper adventum. Unde primus Moyſes (*b*): *Obſecro, Domine, mitte quem miſſurus es.* Et beatus Simeon (*c*) *accepit reſponſum a Spiritu Sancto, non viſurum ſe mortem, niſi prius videret Chriſtum Domini.* Qui *æterni colles* dicuntur; quia videlicet ad æternitatem a Deo creati noſcuntur. Non enim, ſicut ſtultorum, eorum mutatur in diverſa intentio; ſed ſemper ad æternitatem tendentes, & æterno inhærentes, ipſi etiam ab eo æternitatis mutaverunt (89) nomen. De ſtultis enim dicitur (*d*): *ſtultus enim ut luna mutatur*: de vere autem ſapientibus (*e*): *ſapiens permanet ut ſol* (90).

58 Sequitur (*f*): *Fiant in capite Joſeph, & in vertice Nazaræi inter fratres ſuos.* Hæ benedictiones fuerunt *in capite Joſeph*; quia per Chriſtum omnis laus, & benedictio Patri redditur. Unde ipſe Patri dicit (*g*): *Pater, clarifica Filium tuum, ut & Filius tuus clarificet te.* Bene autem *in capite illius fieri* dicuntur; quia caput Chriſti Deus. Dicitur autem ipſe filius Nazaræus (*h*) inter fratres ſuos; quia ipſe ſpeciali dignitate ſanctus eſt, quod interpretatur *Nazaræus* (91). De quo veraciſſime Scriptura dicit (*i*), quod *peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*; et quem *unxit Deus* Pater ſpeciali unctione *præ participibus ſuis* (*k*).

CAPUT XI.

Benedictio Benjamin.

59 BEnjamin (*l*) *lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere dividet ſpolia* (*m*). Traditio Hebræorum etiam, & beati Hieronymi (92) conſenſus habet, his verbis ſignificari altare Jeroſoymitanum, quod in tribu Benjamin conſtructum conſtat. Quod more lupi rapacis matutinum ſacrificium ignis excoctione devorabat: veſpere autem diei, conſummatis ſacrificiis, & hoſtiarum cærimoniis, inter ſacerdotes, & levitas ea, quæ reſidua erant igni, & per legis mandatum victui debebantur ſacerdotum, inter eos dividere ſolebat.

60 Significatur autem per hanc ſcientiam (93) beatus Paulus de eadem tribu futurus (94), qui, more lupi rapacis, mane, ideſt in adoleſcentia ſua comedit, quoniam dum in nece beati Stephani conſentiens, & a principibus ſacerdotum, atque majoribus natu populi Judaici epiſtolas in Damaſcum, & ad ceteras civitates accipiens, quot Sanctos diverſa cæde laceravit, tot quaſi lupus rapax prædas comedit. Attamen *veſpere ſpolia diviſit*, quando proſtratus voce Dominica, & viſione, fidelibus intra Sanctam Eccleſiam conſtitutis congrua

(*a*) pſ. lxxi. 3. (*b*) Exod. iv. 13. (*c*) Luc. II. 26. (*d*) Eccleſiaſtic. xxvii. 12. *nam ſtultus ſicut luna mutatur.* (*e*) ibidem. *Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut ſol.*
(*f*) Gen. xlix. 26. (*g*) Joann. xvii. 1. *Pater, venit hora, clarifica filium tuum, ut filius tuus clarificet te.* (*h*) Codex mendoſe habet *Nazarenus.* (*i*) 1 Petr. II. 22.
(*k*) Hebr. I. 9. *Propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo exultationis præ participibus tuis.*
(*l*) Codex mendoſe habet ubique *Benjamim.* (*m*) Gen. xlix. 27.

grua divinæ alimonia doctrinæ (*a*) diſtribuit: aliis, ut parvulis in Chriſto, lac dans ſapientiæ; & quibuſdam adhuc compatiens more parturientis condolet; perfectioribus autem ſolidum doctrinæ cibum contradens. *Spolia* namque divina ſignificare mandata, teſtis eſt David, dicendo (*b*): *Lætabor ego ſuper eloquia tua, ſicut qui invenit ſpolia multa.* Et beatus Iſaias de Apoſtolis (*c*): *Lætabuntur coram te, ſicut lætantur in meſſe: ſicut exultant qui dividunt ſpolia* (95).



IN

(*a*) vox *doctrina* deeſt in Codice: addenda eſt tamen. (*b*) pſ. CXVIII.162.
(*c*) cap. IX verſ. 3. *Lætabuntur coram te, ſicut qui lætantur in meſſe, ſicut exultant victores capta præda, quando dividunt ſpolia.*

Digitized by Google

IN LIBELLUM PAULINI

DE BENEDICTIONIBUS PATRIARCHARUM

ANNOTATIONES.

1 IN codice, unde exſcriptum eſt, nullum habet titulum hoc opuſculum. At tituli loco hæc librarius noſter non indoctus addidit: *Vel eſt Paulini presbyteri, ut Iſidorus de Viris illuſtribus capitulo IIII dicit: vel Rufini Aquilegienſis presbyteri, ut Gennadius de Viris Illuſtr. cap. XVII.*

2 Ambroſius in libello *de Benedict. Patriarcharum* (*a*) quid ſit *benedictio*, definit ad hunc modum: *Benedictio eſt ſanctificationis, & gratiarum votiva collatio.*

3 Simili ratione Jacobi benedictiones interpretatur B. Flaccus Albinus, ſive Alchuvinus (*b*). *An hiſtorice*, inquit, *an allegorice intelligendæ ſunt? ... Reſp. Utrumque: & hiſtoria eſt, & allegoria*. Ambroſius tamen, & Iſidorus Hiſpalenſis (*c*) myſtice illas fere explicant.

4 *Iſdem* plerumque ſcribit librarius noſter pro *idem*. Vide etiam num. 21, & 26. Quin ita ſcriptum vidi in pluribus aliis etiam codicibus vetuſtis.

5 Locus iſte in Vulgata translatione ita ſe habet: *Ut annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus noviſſimis*. Auguſtinus autem in lib. XII contra Fauſtum cap. 42 (*d*) ſic legit: *Ut annunciem vobis quæ occurſura ſunt vobis in noviſſimis diebus*.

6 Martianæus, & Vallarſius legunt *omnimodo*.

7 Mendoſe hic locus ſe habebat in Martianæi codice, nempe hoc modo: *ſic eis prædicta ſunt, ut quædam multo poſt venerint: tamen* &c.

8 In his verbis, *donante Domino*, Paulinum ſcribentem agnoſcis: qui enim pro divina gratia contra Cœleſtium acerrime propugnaverat, eam hic ſibi neceſſariam profitetur. In vita quoque Ambroſii (*e*) hæc legimus: *virtutem rerum, gratiamque Spiritus Sancti ſpectare conveniat*.

9 Martianæi codex mendoſe habebat: *quæ autem litera refugiunt, & per ſpiritalem* &c.

10 Suſpicabitur fortaſſe quiſpiam, legendum eſſe *capienda*. At Martianæi quoque codex habebat *carpenda*.

11 Opuſculum in capita, & numeros de more diviſi. Tituli autem capitum in codice hi ſunt. 1 *De Ruben*. 2 *Secundus Patriarcha Simeon.* 3 *De Juda III Patriarcha*. 4 *De Zabulon IIII Patriarcha*. 5 *De Iſſachar V Patriarcha*. 6 *De Dan VI Patriarcha*. 7 *De Neptalim IX Patriarcha*. 10 *De Joſeph X*. 11 *De Benjamim ultimo*. Quos titulos ab exſcriptore additos puto.

12 Vulgata editio habet *major in imperio*. Auctor tamen opuſculi *de benedictionibus Jacob Patriarchæ* (*f*) legit *major imperio*.

13 Martianæi codex mendoſe habebat *latet*.

14 *Se tractaſſet*, ideſt, *ſe geſſiſſet*. Similiter in benedictione Judæ, num. 22: *quia*

(*a*) cap. 2. num. 7, tom. 1 Oper. Ambr. editor. a Monachis S. Mauri pag. 515.
(*b*) in libro, qui inſcribitur; *Interrogationes, & reſponſiones in Geneſim*, interrog. 281, pag. 48 edit. Pariſienſ. anni 1617. (*c*) Comment. in Gen. cap. poſtremo. (*d*) tom. 8. pag. 146. (*e*) num. 1. (*f*) part. 2 tom. 3 Oper. Auguſtini, pag. 31 Appendicis.

Digitized by Google

quia videlicet, inquit, *& civiliter ſe tractando* (ideſt, ſe gerendo) *cum fratribus* &c.

15 Martianæus legit *primogenita*.

16 Martianæi codex mendoſe habebat: *in frenis aruit*.

17 Nimirum, ut recte monet Janſenius Iprenſis (*a*), filii Balæ, & Zelphæ.

18 Martianæus legit, *peccaſti tu, quieſce*. Hæc porro verba in Vulgata verſione non reperiuntur: ſed ea ex vetuſta interpretatione, quam *Italicam* vocabant, allegavit Paulinus. Nimirum verſiculus ſeptimus capitis quarti Geneſeos in Vulgata quidem verſione ſic ſe habet: *Nonne ſi bene egeris, recipies: ſin autem male, ſtatim in foribus peccatum aderit? ſed ſub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius*. At vero, ut ex Auguſtini libro xv de Civitate Dei (*b*) colligit Sabatierus (*c*), in ea, quam dixi, translatione ita legebatur: *Nonne ſi recte offeras, recte autem non dividas, peccaſti? quieſce: ad te enim converſio ejus, & tu dominaberis illius*. Et ſane græca translatio Lxx Interpretum, quam vetuſtæ Italicæ auctor ſequebatur, ſimiliter habet: *οὐκ ἂν ὀρθῶς προσενέγκῃς, ὀρθῶς δὲ μὴ διέλῃς, ἥμαρτες; ἡσύχασον. πρὸς σὲ ἡ ἀποστροφὴ αὐτοῦ, καὶ σὺ αὐτοῦ ἄρξεις*.

19 Martianæi codex mendoſe habebat *permiſſum ſit*.

20 Martianæus legit: *Filii quoque Ruben, iſte primogenitus Iſrael: ipſe quippe fuit primogenitus ejus* &c.

21 Similiter Iſidorus Hiſpalenſis (*d*): *Secundum myſticam intelligentiam*, inquit, *Ruben prioris populi videtur oſtendiſſe perſonam. Cui etiam Dominus per prophetam dicit: Iſrael primogenitus meus*. Quæ verba pene exſcribens Alchuvinus (*e*): *Spiritualiter autem*, inquit, *Ruben prioris populi Judæorum oſtendit perſonam, cui a Domino per prophetam dicitur: Iſrael primogenitus meus*.

22 Ubi Vulgata verſio habet: *Sanctus Iſrael Domino, primitiæ frugum ejus*, in vetuſta translatione legebatur: *Sanctus Iſrael Domino, initium generationum ejus*, ut ex Lucifero Calaritano colligit Sabatierus. Paulinus autem quum oſtendere hoc in loco velit, populum Judaicum in Scripturis dici *primogenitum Dei*, potius Jeremiæ locum ex vetuſta verſione, in qua Iſrael *initium generationum Dei* dicebatur, quam ex recentiore Hieronymi, in qua *primitiæ frugum ejus* vocatur, proferre debuiſſet. Itaque ſuſpicor, ab aliquo librario vetuſtæ ejus loci translationi ſubrogatam hic fuiſſe Vulgatam: quod ſæpe ab exſcriptoribus factum eſſe jam dixi (*f*).

23 *Idolatriam* ſcribit conſtanter librarius, non *idololatriam*. Lege Jo. Chryſoſtomi Trombellii annotationem 175 in Hilarii epiſtolam.

24 Affinem explicationem tradit Ambroſius num. 8, & 9. Ipſum lege.

25 Martianæi codex habebat *pro rogativo*. Suſpicatus eſt tamen Vallarſius ita legendum eſſe, ut eſt in noſtro codice.

26 Hæc verba, *divinorum coercitus eſt menſura; ſed abjectis omnium*, deſiderabantur in codice Martianæi.

27 Iſidorus Hiſpalenſis ſimilia habet (*g*). Martianæi vero codex mendoſus hic erat; ita enim in eo legebatur: *nec mirum cubile patris ejus, gentis corpus Dominicæ intelligi*.

28 Similiter Ambroſius (*h*): *Durus*, inquit, *aſcendit populus cubile patris, & torum polluit ſanctum, hoc eſt, car-*

(*a*) in Comment. in Pentateuch. pag. 92. (*b*) cap. 7. (*c*) in libro, qui inſcribitur: *Bibliorum ſacrorum latinæ verſiones antiquæ, ſeu Vetus Italica* &c. (*d*) comment. in Gen. cap. 31, in benedictione Ruben. (*e*) pag. 51 libri paulo ante allegati. (*f*) in præfat. num. 12. (*g*) in loco, quem dixi paulo ante. (*h*) in lib. de bened. Patriarch. num. 9.

Digitized by Google

carnem Domini Jeſu creatoris noſtri patibulo affigens crucis, in qua velut in quodam cubili, & patrio toro Sancti ejus ſalutari refectione requieſcant.

29 Hic finem habet fragmentum hujus libelli, quod primum edidit Martianæus. Cetera, quæ ſequebantur in codice, unde ipſe illud exſcripſit, eadem omnino erant cum illis, quæ ſcripſit Hieronymus in quæſtionibus hebraicis in Geneſim (*a*).

30 Videtur aliquod mendum hic eſſe; nec enim ſententia perfecta eſt.

31 Hieronymus in lib. III Commentariorum in Matthæum (*b*): *Quæritur*, inquit, *quomodo calicem martyrii filii Zebedæi, Jacobus videlicet, & Joannes biberint, quum Scriptura narret* (*c*), *Jacobum tantum Apoſtolum ab Herode capite truncatum: Joannes autem propria morte vitam finierit. Sed ſi legamus Eccleſiaſticas hiſtorias, in quibus fertur, quod & ipſe propter martyrium ſit miſſus in ferventis olei dolium, & inde ad ſuſcipiendam coronam Chriſti athleta proceſſerit, ſtatimque relegatus in Pathmos inſulam ſit, videbimus martyrio animum non defuiſſe, & bibiſſe Joannem calicem confeſſionis, quem & tres pueri in camino ignis biberunt, licet perſequutor non fuderit ſanguinem.* Et in libro adverſus Jovinianum primo (*d*): *Refert autem*, inquit, *Tertullianus, quod Romæ miſſus in ferventis olei dolium, purior, & vegetior exiverit, quam intraverit.* Verba vero Tertulliani, quæ indicat Hieronymus, ſunt hujuſmodi (*e*): *Apoſtolus Joannes poſteaquam in oleum igneum demerſus nihil paſſus eſt, in inſulam relegatur.*

32 Similiter Ambroſius (*f*): *Tribus igitur ſunt*, inquit, *quæ deſignantur nominibus Patriarcharum, quia de tribu Simeon Scribæ ſunt, de tribu Levi principes Sacerdotum.* Et Iſidorus Hiſpalenſis (*g*): *Per Simeonem*, inquit, *& Levi, Scribæ, & Sacerdotes Judaici populi intelliguntur: De Simeone enim Scribæ erant Judæorum: de tribu vero Levi, principes ſacerdotum.* Quæ verba exſcribit Alchuvinus (*h*).

33 His affinia tradit Iſidorus Hiſpalenſis.

34 Paulo aliter ſe habet hic locus in Vulgata editione, nempe hoc modo: *Ne jucunderis in filiis impiis, ſi multiplicentur.* Ne Ambroſius quidem ex Eccleſiaſtici libro loca allegans Vulgatam translationem ſequitur.

35 Auctor opuſculi *de benedictionibus Jacob* (*i*) ſimilia habet. *Quia in furore ſuo*, inquit, *occiderunt virum, ideſt Chriſtum, de quo dicitur: Ecce vir, Oriens nomen ejus.* Lege, ſi libet, quæ ſcripſi in explanatione primi Cantici Moſis ad verſ. 3.

36 Hilarius quoque in Epiſtola, quam Abbas noſter Trombellius edidit, *credulitatem* pro *fide* dixit (*k*). *Hic eſt ordo*, inquit, *credulitatis noſtræ de Chriſto.*

37 In Vulgata editione ita ſe habet hic locus: *Deus oſtendet mihi ſuper inimicos meos: ne occidas eos, nequando obliviſcantur populi mei: diſperge illos in virtute tua.* Verſio quoque vetus, quam affert Sabatierus, pro *populi mei* habet *legis tuæ*, ut Paulinus; ſic enim in ea legitur: *Deus oſtendit mihi inter inimicos meos: ne occideris eos, nequando obliviſcantur*

legis

(*a*) a verbis illis, *Simeon, & Levi fratres* &c. ad finem libri; ſive a pag. 374 editionis Vallarſii ad poſtremam. (*b*) ad verſ. 23 capitis XX Matthæi; ſeu tom. 3 Oper. Hieron. editor. a Vallarſio pag. 155. (*c*) Act. cap. XII. (*d*) num. 26, pag. 280 tomi II edit. Vallarſii.
(*e*) in lib. de Præſcript. cap. 36. (*f*) de bened. Patr. num. 13. (*g*) comment. in Gen. cap. 31, in benedictione Simeon & Levi. (*h*) pag. 51 libri, quem alias dixi. Eadem verba reperies etiam in opuſculo *de benedictionibus Jacob*, pag. 33 append. tomi 3 Oper. Auguſtini.
(*i*) ibidem. (*k*) cap. VI. pag. 43 hujus voluminis.

legis tuæ : diſperge illos in virtute tua. Poſtrema hæc lectio conſentanea eſt verſioni græcæ, quæ habet: μήποτε ἐπιλάθωνται τοῦ νόμου σου. Altera magis accedit ad exemplar hebræum, in quo legitur: פן ישכחו עמי.

38 Cur Jacobus hoc nomine appellatus ſit, cauſam affert Moſes in Geneſi (*a*) his verbis: ואחרי כן יצא אחיו וידו אוחזת בעקב עשו, ויקרא שמו יעקב, ideſt, ut vertit Vulgatus Interpres, *protinus alter egrediens* (nempe ex utero) *plantam fratris tenebat manu, & iccirco appellavit eum Jacob.* Hieronymus autem in libro de interpretatione nominum hebraicorum (*b*) Jacob *ſupplantatorem* interpretatur.

39 Putarunt aliqui, ut Paulinus hic noſter, *Iſrael* idem eſſe, ac *vir videns Deum*. Sed de hac re lege quę ſcripſi in explanatione primi Cantici Moſis (*c*).

40 Lege annotationem 14.

41 Flavius Joſephus in Antiquitatibus Judaicis (*d*) de Juda hæc ſcribit: *Judas vero, qui patri adoleſcentem* (nempe Benjaminum) *mittere perſuaſerat, & vir cetera ſtrenuus erat, & efficax, decrevit ſe pro fratris ſalute periculo objicere. Et: Nefaria quidem, inquiit, in te, o Præſes, perpetravimus, & ſupplicio digna* &c. Tum Judam longa, & diſerta oratione loquentem inducit.

42 Libri, quos *Paralipomenon* dicimus, in hebraico exemplari inſcribuntur דברי הימים, ideſt, *Verba dierum*.

43 Similis eſt Iſidori Hiſpalenſis expoſitio.

44 Paulus Apoſtolus in epiſtola ad Hebræos (*e*): *Manifeſtum eſt*, inquit, *quod ex Juda ortus ſit Dominus noſter.* Et Joannes in Apocalypſi (*f*): *Vicit leo de tribu Juda.*

45 Affinia ſcribit Iſidorus.

46 Rufinus in benedictione Judæ (*g*): *Sed multo convenientius*, inquit, *aptabitur huic loco myſtica expoſitio, in qua catulus leonis Chriſtus non ſolum* φυσικῶς, *verum etiam* τροπικῶς *deſignatur. Nam Phyſiologus de catulo leonis hæc ſcribit: Quod quum natus fuerit, tribus diebus, ac tribus noctibus dormiat: tum deinde patris fremitu vel mugitu, tanquam tremefactus cubilis locus, ſuſcitet catulum dormientem.* Iſidorus autem in lib. XII Originum cap 2: *Quum genuerint* (nempe leones) *catulum, tribus diebus, & tribus noctibus catulus dormire fertur: tunc deinde patris fremitu, vel rugitu veluti tremefactus cubilis locus, ſuſcitare dicitur catulum dormientem.* Eadem ferme repetit Judæ benedictionem explicans Iſidorus; ſic enim loquitur: „ *Requieſcens accubuiſti ut leo.* Manifeſtiſſime in „ paſſione Chriſtus recubuit, quando „ inclinato capite tradidit ſpiritum, „ ſive quando in ſepulcro ſecurus, vel „ ut quodam corporis ſomno, quie„ vit. Sed quare ut leo, & velut ca„ tulus leonis? in ſomno enim ſuo leo „ fuit, quia non neceſſitate, ſed po„ teſtate hoc ipſum implevit... Quod „ vero addidit: *& ut catulus leonis*: „ inde enim mortuus, unde & natus. „ Phyſici autem de catulo leonis ſcri„ bunt, quod quum natus fuerit, tri„ bus diebus, & tribus noctibus dor„ mit. Tunc deinde patris fremitu, vel „ rugitu, veluti tremefactus cubilis lo„ cus, ſuſcitare dicitur catulum dor„ mientem. Quod valde convenienter „ de paſſionis morte aptatur in Chri„ ſto, qui tribus diebus, & tribus „ noctibus in cubili ſepulcri jacens, „ ſomnum mortis implevit. „ Lege etiam, ſi vis, Ulyſſis Aldrovandi librum

(*a*) cap. XXV verſ. 26. (*b*) pag. 12 tomi 3 Oper. Hieron. editor. a Vallarſio. (*c*) pag. 32 ad verſ. 19. (*d*) lib. II cap. 6 num. 5, ſeu pag. 82 tomi I Oper. Joſephi editorum a Sigeberto Havercampo. (*e*) cap. VII verſ. 14. (*f*) cap. V verſ. 5. (*g*) pag. 8 tomi I Oper. Rufini.

librum I *de quadrupedibus digitatis.* (*a*).

47 Similiter Ambroſius (*b*): *Recumbens*, inquit, *ut leo, quando jacuit in ſepulcro* &c.

48 Gregorius Magnus lib. XV Moral. cap. 58: *Aliquando*, inquit, *in Scriptura ſacra quum interrogando* Quis *ponitur*, *Omnipotens deſignatur*. *Unde ſcriptum eſt*: Quis ſuſcitabit eum? *de quo per Paulum dicitur*: Quem Deus ſuſcitavit a mortuis.

49 Vulgata editio habet: *Et dux de femore ejus*. Gregorius vero Magnus lib. I in Ezech. homil. I. num. 2 legit: *Et dux de femoribus ejus*: nonnulli tamen codices ibi quoque habent: *Et dux de femore ejus*. Vallarſius ſimiliter Hieronymi translationem exhibens (*c*) legit: *Et dux de femoribus ejus*. Demum Iſidorus Hiſpalenſis (*d*) legit: *Non deficiet princeps de populo Juda, nec dux de femoribus ejus*.

50 Rufinus in benedictione Judæ (*e*): *Alligans*, inquit, *ad vitem pullum ſuum, & ad palmitem pullum aſinæ ſuæ. Hoc de Chriſto & proprie, & ſingulariter dicitur: ipſe enim alligavit ad vitem pullum ſuum, qui dixit:* Ego ſum vitis vera. *Ad hanc ergo vitem & pullum ſuum alligat, & aſinæ ſuæ pullum. Pullus ſuus eſt ex gentibus populus, cui utique nunquam adhuc legis onus fuerat impoſitum, & ſupra quem, niſi ipſe primus, nemo inſederat*. Rufinum imitatur Iſidorus, cujus verba nunc afferam.

51 Iſidorus Hiſpalenſis plane ſimilia ſcribit. *Pullus ſuus*, inquit, *ex gentibus populus, cui adhuc nunquam fuerat legis onus impoſitum: hunc copulavit ad vineam Apoſtolorum, qui ex Judæis ſunt. Nam vinea Domini Sabaoth, domus eſt Iſrael*. Et ad vitem, o fili mi, aſinam tuam... *Alii namque hanc aſinam Synagogam interpretantur*. Affinia ſcripſit etiam Ambroſius (*). *Et ideo*, inquit, *ſecundum Matthæum & aſinam, & pullum legimus; ut quia in duobus hominibus uterque fuerat ſexus expulſus, in duobus animalibus ſexus uterque revocetur. Ergo illic in aſina matre quaſi Hevam figuravit erroris: hic autem in pullo generalitatem populi gentilis expreſſit; & ideo in pullo ſedetur aſinæ. Et bene*: In quo nemo ſedit; *quia nullus antequam Chriſtus nationum populos vocavit ad Eccleſiam.*

52 Vulgata editio habet: *Fiet unum ovile, & unus paſtor*. At vetus translatio, quam affert Sabatierus, habet: *Et erit unus grex, & unus paſtor*.

53 Locus, quem hic affert Paulinus, non in Zacharia legitur, ſed in Ezechiele (*f*), ubi ita ſe habet apud Vulgatum Interpretem: *Et adjunge illa, unum ad alterum, tibi in lignum unum, & erunt in unionem in manu tua*.

54 Lege, ſi libet, quæ ſcripſi in explanatione ſecundi cantici Moſis ad ea verba verſ. 14: *Et ſanguinem uvæ biberet meraciſſimum*.

55 Similiter Ambroſius (*g*): *Adorabunt te filii patris tui. Catulus leonis Juda, & ipſe erit exſpectatio gentium. Quod utique ſoli convenit Chriſto, cui repoſitum fuit, ut adoraretur a fratribus, & exſpectaretur a gentibus, lavaret in vino ſtolam ſuam proprii corporis paſſione, quia carnem ſuam nulla peccati labe maculavit*.

56 Similiter Rufinus (*h*): *Aptiſſime ſane*, inquit, *etiam candidos dentes ejus dicit. Omnes enim, qui perfecti ſunt, & Scripturarum cibos dignis, & competentibus interpretationibus explanantes, ſubtilem & minutum intel-*

(*a*) pag. 15. (*b*) de ben. Patr. num. 20. (*c*) tom. 9 Oper. Hieron. pag. 95.
(*d*) comment. in Gen. cap. XXXI. (*e*) tom. I pag. 11.
(*) initio libri IX Expoſit. in Luc. num. 4, & 5; pag. 1495 tomi I editionis PP. S. Mauri.
(*f*) cap. XXXVII. verſ. 17. (*g*) in lib. de Joſeph cap. 3 num. 13. (*h*) tom. I pag. 14.

Digitized by Google

tellectum, qui ſpiritalis dicitur, Eccleſiæ corpori ſubminiſtrant, candidi debent eſſe, & puri, atque ab omni macula liberi. Iſidorus vero Hiſpalenſis (*): *Dentes*, inquit, *prædicatores ſancti ſunt… nomine autem lactis doctrina legis ſignificatur, quæ carnalem populum, tanquam parvulos poculo lactis alebat: cujus quidem candidiores lacte effecti ſunt doctores Eccleſiæ, quia fortem & validum cibum verbi manducant, mandunt, atque diſtribuunt.* Et paulo poſt ea, quæ modo attuli, Rufini verba exſcribit Iſidorus.

57 Illuſtratur hic locus hiſce Ambroſii verbis (*a*): *Nam qui corporaliter legem interpretati ſunt, non cuſtodiunt legem, ſed prævaricantur.* Imitatur autem Paulinus hunc Pauli Apoſtoli locum (*b*): *Quicunque enim ex operibus legis ſunt, ſub maledicto ſunt. Scriptum eſt enim: Maledictus omnis, qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis, ut faciat ea.*

58 Vulgata editio in Deuteronomio ſic habet: *Maledictus qui non permanet in ſermonibus legis hujus, nec eos opere perficit.* Lege, quæſo, quæ ſcribit Hieronymus initio libri II Commentariorum in epiſtolam ad Galatas, & Sabatieri adnotationem ad iſtum Deuteronomii locum.

59 Iſidorus ſimiliter: *Pertendit autem uſque ad Sidonem, hoc eſt, uſque ad gentes pervenit. Legitur etiam in Evangelio, inde aſſumtos eſſe aliquos Apoſtolorum.*

60 Vox צידון, ſive *Sidon* ducitur ex ציד, quod eſt *venatio*. Itaque Rufinus: *Sed hoc*, inquit, *quod ſe uſque Sidonem excutit, hoc eſt, uſque ad venatores, fortaſſe declaret illud* &c. Alchuvinus vero (*c*): *Sidon*, inquit, *interpretatur venator, vel venatrix.*

61 Vulgata editio habet: *inter terminos*. Gregorius tamen Magnus in lib. I Moral. cap. XVI (*d*) afferens hunc Geneſeos locum, videtur legiſſe & ipſe *accubans in terminos*, ut legit Paulinus. Monent enim ibi doctiſſimi Monachi S. Mauri, manu ſcriptos codices pene omnes habere *accubans in terminos*.

62 Similiter Alchuvinus (*e*): *Ajunt*, inquit, *Hebræi, per metaphoram ſignificari, quod Scripturas ſanctas die ac nocte meditans, ſtudium ſuum dederit ad laborandum, & iccirco omnes ei ſerviunt, quaſi magiſtro dona portantes.*

63 Affinis eſt explicatio, quam affert Gregorius Magnus (*f*): *Unde bene*, inquit, *quod hanc requiem populus gentilis appeteret, Jacob filios alloquens, prophetica hoc ſtuduit voce ſignare, dicens: Iſſachar aſinus fortis*, & reliqua. Lege etiam, ſi libet, ſimilem Iſidori explanationem, & quæ adnotavi paulo ante, num 50, & 51. In iis autem verſibus, quos canit Eccleſia in proceſſione Dominicæ Palmarum, quorum hoc eſt initium: *Gloria, laus, & honor* &c., octavum quondam (*g*) hoc erat diſtichon: *Sis pius aſſeſſor tu, & nos ſimus aſellus. Tecum nos capiat urbs veneranda Dei.*

64 Eadem cum iſta eſt Ambroſii, Hieronymi, & Alchuvini interpretatio. Ambroſius quidem (*h*): *Simplex*, inquit, *intellectus hoc habet, quod etiam Dan Tribus Judicem dederit in Iſrael… Fuit autem & Samſon de tribu Dan, & judicavit Iſrael viginti annis.* Hieronymus vero (*i*): *Samſon judex in Iſrael de tribu Dan fuit. Hoc ergo dicit* &c. Demum Alchuvinus: *Dan judicabit*, & reliqua.

 Sam-

(*) comment. in Gen. cap. 31. (*a*) in expoſit. in pſ. CXVIII, num. 15 ſermonis octavi, pag. 1061 tomi 1.
(*b*) Ep. ad Galat. cap. III verſ. 10. (*c*) pag. 53. (*d*) num. 24. (*e*) pag. 49.
(*f*) in eo, quem modo dixi, loco. (*g*) Lege Miſſale Romanum Venetiis impreſſum anno 1541. pag. 78, & vetuſta alia. (*h*) in lib. de bened. Patriarch. Lege etiam enarrat. in pſ. XL num. 25.
(*i*) in quæſt. hebr. in Gen. pag. 377 tom. 3.

Samſon Judex Iſrael ex tribu Dan fuit &c. At Rufinus longe aliter ſentit. *Hujus loci*, inquit, *hiſtoria quoniam in Scripturis ſanctis, quantum ad mei ſenſus parvitatem ſpectat, non facile invenitur evidenter expreſſa*, & reliqua.

65 Nimirum verbis illis: *ceraſtes in ſemita*. Plinius in lib. VIII Naturalis hiſtoriæ cap. XXIII: *Quod ad ſerpentes attinet*, inquit, *vulgatum eſt, colores earum pleraſque terras habere, in quas occultentur. Innumera eſſe genera. Ceraſtis corpore eminere cornicula ſæpe quadrigemina, quorum motu, reliquo corpore occultato, ſollicitent ad ſe aves*.

66 Voce *cornu* potentiam ſæpe, ac vires in Scripturis deſignari, oſtendi in Explanatione Cantici Hannæ ad verſ. 1, & 10.

67 Ambroſius quoque: *Sed non hunc*, inquit, *prophetia ſignificat, at Antichriſtum, qui futurus eſt ex tribu Dan, ſævus judex, & tyrannus immanis, judicabit populum ſuum*. At Rufinus: *Puto*, inquit, *quod Dan fortaſſe ad illum rectius transferatur, qui judex exſpectatur vivorum, & mortuorum, quia Dan judicium, vel judex interpretatur*. Verum ob hanc explicationem Rufinum reprehendit auctor libelli *de XII Scriptoribus Eccleſiaſticis* cap. V (*a*) his verbis: *Hic autem* (nempe Rufinus) *juxta myſticum ſenſum ea, quæ de Dan filio Jacob ſcripta ſunt, non recte de Domino noſtro interpretatur, dum procul dubio ad Antichriſtum eadem pertinere, Sanctorum probet aſſertio*.

68 Legendum eſſe puto κέρατα, ſeu *cerata*, non *ceraſta*. Auctor opuſculi *de benedictionibus Jacob* (*b*) ſimilia habet. *Qui*, inquit, (nempe Antichriſtus) *non ſolum coluber, ſed etiam ceraſtes vocatur*. Κέρατα *enim græce cornua dicuntur. Serpens ergo ille cornutus eſſe perhibetur, per quem digne Antichriſtus aſſeritur*. Quæ verba deprompta ſunt ex capite XXIV num. 43 libri XXXI Moralium Gregorii Magni. Lege, quæſo, totum numerum 43, quem dixi (*c*). Iſidorus quoque Hiſpalenſis hæc eadem Gregorii Magni verba exſcribit (*d*), legens tamen: *ceraſta enim græce cornua dicuntur*.

69 Gregorius Magnus his plane ſimilia ſcribit (*e*). *In faciem*, inquit, *cadere, eſt in hac vita ſuas unumquemque culpas agnoſcere, eaſque pœnitendo deflere. Retro vero, quo non videtur, cadere, eſt ex hac vita repente decedere, & ad quæ ſupplicia ducatur, ignorare. Et quia Judæa erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto Antichriſtum expectat, bene Jacob eodem loco repente in electorum voce converſus eſt, dicens*: Salutare tuum expectabo Domine; *ideſt, non ſicut infideles Antichriſtum, ſed eum qui in redemtionem noſtram venturus eſt, verum credo fideliter Chriſtum*. Quæ verba exſcribit Iſidorus Hiſpalenſis.

70 Jeſus a radice ישע, hoc eſt, *a ſalvando*, dicitur. Itaque Hieronymus (*f*): *Jeſus*, inquit, *hebraico ſermone Salvator dicitur*. Lege, ſi libet, quæ ſcripſi in explanatione Cantici Habaccuchi ad verſiculum 18.

71 In libro Joſue (*g*) hæc legimus: *Filii quoque Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manaſſe, armati præcedebant fratres ſuos, filios Iſrael, ſicut eis præceperat Moyſes*.

72 Hieronymus quoque in quæſtionibus hebraicis Gadi benedictionem ſic explicat. *Totum autem illud eſt*, inquit, *quod ante Ruben, & dimidiam tribum Manaſſe, ad filios, quos trans Jor-*

(*a*) pag. 69 biblioth. Eccleſ. Fabricii. (*b*) part. 2 tom. 3 Oper. Auguſtini. (*c*) pag. 1015 tom. 1 Oper. Greg. Magni. (*d*) comment. in Gen. cap. 31. in benedictione Dan. (*e*) in eo, quem modo dixi, loco. (*f*) Comment. in Matth. lib. 1, ad verſ. 21 capitis I. (*g*) cap. IV verſ. 12.

Jordanem in poſſeſſionem dimiſerat, poſt quatuordecim annos revertens, prælium adverſum eos gentium vicinarum grande repererit, & victis hoſtibus, fortiter dimicarit.

73 Rufinus in benedictione Aſer: *Credo*, inquit, *aſſertores literæ in his verbis intelligere, quod regio ejus, & hereditas terræ, uber & pinguis extiterit, ita ut etiam regiis uſibus miniſtraret*.

74 Exemplar hebræum nunc habet, נפתלי אילה שלחה, hoc eſt, *Naphtali cerva dimiſſa*. Hieronymi porro verba, quæ indicat Paulinus, ſunt hujuſmodi: *In Hebræo ita ſcriptum eſt*: Nephthalim ager irriguus, dans eloquia pulcritudinis, *ſignificans, quod aquæ calidæ in ipſa naſcantur tribu: ſive quod ſuper lacum Geneſareth, fluento Jordanis irrigua ſit. Hebræi autem volunt, propter Tiberiadem, quæ Legis videbatur habere notitiam, agrum irriguum, & eloquia pulcritudinis prophetari. Porro ubi nos* agrum irriguum, *& Septuaginta* στέλεχος ἀνιμένον, *ideſt*, virgultum reſolutum *poſuerunt, in Hebræo legitur* Ajala sluaa, *quod poteſt &* cervus emiſſus *transferri, propter temporaneas fruges, velocitatem terræ uberioris oſtendens*. Lege, ſi libet, Calmeti commentaria in hunc Geneſeos locum.

75 Iſidorus Hiſpalenſis: *Unde & bene* (inquit) *hic Nephtalim cervus emiſſus ſcribitur: quia nimirum Apoſtoli, ſive prædicatores veloci ſaltu exſilientes, in morem cervorum tranſcendunt implicamenta ſeculi hujus. Sicque excelſa ac ſublimia meditantes, dant eloquia pulcritudinis, ideſt, prædicant cunctis gentibus doctrinam Domini Salvatoris*.

76 Nimirum tribuum Ephraimi, & Manaſſis filiorum Joſephi, de quibus Jacobus Joſephum alloquens hæc ait (*a*): *Duo ergo filii tui, qui nati ſunt tibi in terra Ægypti, antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim, & Manaſſes ſicut Ruben, & Simeon reputabuntur mihi*.

77 Lege caput XLVIII Geneſeos a verſiculo 15 ad 22.

78 Lege Iſidori Hiſpalenſis librum, quem ſæpius dixi: in eo enim his ſimillima tradit benedictionem Joſephi explicans.

79 Lege Hieronymi quæſtiones Hebraicas (*b*), & Calmeti Dictionarium ad vocem *polymita*.

80 Ea verba, *numquid rex noſter eris?* &c., deſumpta ſunt ex verſiculo octavo capitis XXXVII Geneſeos, ut monui in calce paginæ 217: Quæ vero ſequuntur, *invidebant igitur ei* &c., ex verſiculo undecimo ejuſdem capitis. Itaque vox illthæc *ſuperius* refertur ad alia verba, *jurgati ſunt* &c., quæ ſunt in capite XLIX.

81 Codex habet: *mente curati ſunt*, ſed mendoſe, ut puto. Legendum arbitror vel *mente privati ſunt*, vel potius ita, ut emendavi.

82 Solus Deus κατ' ἐξοχὴν *Fortis* dici poteſt. Itaque hebraice vocatur אל, quod eſt *fortis*. Hebræum tamen exemplar in loco, quem explicat Paulinus, non habet אל, ſed איתן, qua voce *vis*, ac *fortitudo* deſignatur.

83 Videtur hic aliquid deſiderari.

84 Nimirum *manus* in hebræo ſermone pro *viribus*, ac *potentia* ſumitur, ut dixi in explanatione ſecundi Cantici Moſis ad verſ. 26.

85 Verbum *imprecor* in bonam partem aliquando accipitur. Apulejus (*c*): *Solito*, inquit, *ſermone ſalutem ei fuerat imprecatus*.

86 Rufinus (*d*): *Adjutus*, inquit, *a Deo ſecundum hominem dicitur etiam Salvator. Denique & ſcriptum eſt in Evangelio: cum in oratione de-* *ſuda-*

(*a*) Gen. XLVIII. 5. (*b*) ad Gen. cap. 37 verſ. 3, pag. 363. (*c*) lib. 9 Metam. (*d*) pag. 43.

Digitized by Google

ſudaret, *accedens*, *inquit*, *Angelus confortabat eum*.

87 Illorum verborum, *Benedictiones patris tui confortatæ ſunt benedictionibus patrum ejus*, explicationem typicam, ſive *ſpiritalem* omittit Paulinus, aut potius librarius. At eam affert Iſidorus Hiſpalenſis.

88 Rufinus (*a*): *Sed & colles*, inquit, *æternos quos alios intelligimus, niſi eos, qui ſecundo gradu Apoſtolorum meritis conſeruntur, & qui vitam conſequuntur æternam?*

89 Legendum videtur *mutuaverunt*. Quo verbo utitur Paulinus num. 34, quum ait: *fortis aſini nomen ab eo mutuavit*.

90 Lege annotationem 34.

91 Hieronymus in libro I Commentariorum in Matthæum (*b*): *Nazaræus*, inquit, *Sanctus interpretatur*. Et Iſidorus Hiſpalenſis: *Et ſuper verticem Nazaræi, de quo ſcriptum eſt: quia Nazaræus vocabitur, ideſt, ſanctus Dei*. Lege, ſi libet, Marci Marini noſtri Theſaurum ad vocem נזיר, & Calmeti dictionarium ad vocem *Nazaræus*.

92 Hieronymus in quæſtionibus hebraicis (*c*): *In Hebræo*, inquit, *ſic legitur:* Benjamin lupus rapax, *ſive* capiens, in matutino comedet prædam, & ad veſperam dividet ſpolia. *Quod ita Hebræi edifferunt: Altare, in quo immolabantur hoſtiæ, & victimarum ſanguis ad baſem illius fundebatur, in parte tribus Benjamin fuit. Hoc, inquiunt, ergo ſignificat, quod Sacerdotes mane immolant hoſtias, & ad veſperam dividunt ea, quæ ſibi a populo ex Lege collata ſunt, lupum ſanguinarium, lupum voracem ſuper altaris interpretatione ponentes, & ſpoliorum diviſionem ſuper ſacerdotibus, qui ſervientes altari vivunt de altari*. Ex quibus verbis apparet, Hieronymum Hebræorum potius ſententiam exponere, quam ſuam.

93 Fortaſſe legendum eſt *præſcientiam*.

94 Tertullianus quoque, Ambroſius, Hieronymus, & Gregorius Magnus Benjamini benedictionem de Paulo Apoſtolo intelligunt. Tertullianus quidem lib. V contra Marcionem cap. 1: *Mihi*, inquit, *Paulum etiam Geneſis olim repromiſit. Inter illas enim figuras, & propheticas ſuper filios ſuos benedictiones, Jacob quum ad Benjamin direxiſſet*, Benjamin, *inquit*, lupus rapax ad matutinum comedet adhuc, & ad veſperam dabit eſcam: *Ex tribu enim Benjamin oriturum Paulum providebat, lupum rapacem ad matutinum comedentem, ideſt, prima ætate vaſtaturum pecora Domini, ut perſecutorem Eccleſiarum, dehinc ad veſperam eſcam daturum, ideſt, devergente jam ætate oves Chriſti educaturum, ut doctorem nationum*. Ambroſius vero cap. XII num. 57: *Plurimos*, inquit, *lupos habet diabolus, quos ad Chriſti oves dirigit; & ideo intelligibilis Joſeph, ut oves ſervaret ſuas, ipſum inimicum venientem ad diripiendas oves rapuit Paulum, faciens ex perſecutore doctorem: de quo dicit Jacob, ſicut ſcriptum eſt: Benjamin lupus rapax, mane comedet adhuc, & ad veſperam dividet eſcam principibus. Lupus erat, quum diſpergeret, & devoraret oves Eccleſiæ. Sed qui lupus venerat, paſtor eſt factus. Lupus erat, quum Saulus erat, quando intrabat in domos, & viros, ac mulieres trahebat in carcerem. Lupus erat, quando ſpirans minas, & homicidia in diſcipulos Domini, petebat epiſtolas a principibus Sacerdotum, ut invaderet ſervos Chriſti*. Hieronymus autem in quæſtionibus hebraicis in Geneſim: *Benjamin*, in-

(*a*) pag. 45. (*b*) ad verſ. 23 capitis 2, pag. 17 tom. VII. (*c*) pag. 379 tom. III.

Digitized by Google

inquit, *lupus rapax mane comedet adhuc, & ad veſperam dabit eſcam. Quam de Paulo Apoſtolo manifeſtiſſima prophetia ſit, omnibus patet* &c. Demum Gregorius Magnus lib. XVIII Moral. cap. 16 num. 25: *Benjamin lupus rapax* &c. *Quibus profectò dictis Paulus Apoſtolus deſignatur, de Benjamin ſtirpe progenitus; qui mane prædam comedit, quia in primordiis ſuis fideles quos potuit rapiens, crudelitati propriæ ſatisfecit. Veſpere ſpolia diviſit: quia fidelis poſtmodum factus, ſacra eloquia exponendo diſtribuit.* Quæ Gregorii verba ferme exſcribit Iſidorus in comment. in Gen. cap. XXXI.

95 Locus hic Iſaiæ paulo aliter ſe habet in Vulgata editione, ut monui ad calcem paginæ 221. At verſio, quam ſequebatur Paulinus, magis conſentanea erat hebræo exemplari, in quo legitur שמחו לפניך כשמחת בקציר, כאשר יגילו בחלקם שלל. Utrum autem opuſculo hic aliquid deſit, non audeo definire. Librarius, eo exſcripto, hæc addit: *Deo gratias*. Τέλος. *Hoc breve opuſculum Bononiæ die XVI Maii maxima cum feſtinantia feliciter fuit explicitum. Tu quiſquis es, qui me lectitare tentaveris, pro illius anima, qui ſuam ultimam manum huic libello impoſuit, orare, te quæſo, ne deſinas*.

LE-

LECTORI

D. JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI.

IN codice Bibliothecæ noſtræ non admodum quidem vetuſto, ſed qui, niſi plane fallimur, ex valde vetuſto exſcriptus eſt, quique omnes fere Leonis Magni ſermones complectitur, ſubſequentem ſermonem invenimus: atque in eo quidem Leoni Magno tributum (*a*). Sed quoniam alios, præpoſito Leonis Magni nomine, Codex continet, qui aliis Patribus, ac præſertim Maximo Taurinati tribuendi ſunt; diu dubitavi, cui hunc tribuerem. At nil vetat, quominus Leoni Magno tribuamus; tametſi enim nævos aliquos amanuenſis inſcitia eum pertuliſſe fatear, elegans eſt tamen adhuc ſermo hic, & illud locutionis genus in eo eminet, quod perſequitur Leo, dum *de Quadrageſima*, *de Collectis*, & *Jejuniis* differit. Quid? quod etſi ex Vulgata interpretatione Scripturarum loca plerumque citet (quod & conſuevit Leo Magnus); dum tamen verſiculum 33 capitis III Eccleſiaſtici allegat, non Vulgatum interpretem ſequitur, ſed eum, quem nonnihil a Vulgato hoc in loco recedentem ſequitur etiã Leo (*b*). Accedit ad hæc ſententiarum affinitas, quam ſummam eſſe is fatebitur, qui animum ad eas adnotationes advertet, quas ex Leonis Magni Sermonibus deſumptas ad eum finem appoſui, ut idem Orator non modo ex locutione, ſed ex doctrina, & ſententiis appareat. In *Quadrageſima* vero eum recitatum fuiſſe & Codex ipſe haud obſcure indicat (*c*), & jejunii, eleemoſynæque egregia commendatio; quod in reliquis ab Eccleſia præſcriptis ad jejunandum diebus, ſed præſertim in ipſo Quadrageſimæ initio, fieri conſueverat.

SER-

(*a*) pag. 75. ibi enim ſic inſcribitur: *ſermo ejuſdem* (ideſt S. Leonis Magni) *unde ſupra*: ideſt de eodem argumento, de quo ſuperiores ſermones diſſeruere; ideoque de *Quadrageſima*.

(*b*) Capite III Sermonis XIX, qui IX *de decimi menſis jejunio* inſcribitur, hæc tradit Leo: „ In eleemoſynis enim virtus quædam eſt inſtituta baptiſmi, quia *ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna peccatum*. „ Eccleſi. III. 33. At Vulgata interpretatio ad hunc modum verſiculum hunc exhibet: *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemoſyna reſiſtit peccatis*.

(*c*) Recole annotationem primam (*a*).

SERMO S. LEONIS PAPÆ

De Quadrageſima (1).

DIlectiſſimi nobis (2) fides noſtra nos admonet, Religionis promere documenta (3): hortamur namque jejunium, quod eſt recte viventibus devotionis augmentum, murus fidei, expugnatio pravitatis: ſuademus etiam non ſolum a cibis, ſed ab omnibus vitiis eſſe abſtinendum. Nolite eſſe in commeſſationibus prodigi, vel in ebrietatibus arrogantes: quoniam ſcriptum eſt (*a*) in Salomone (4): *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam*: nec non Apoſtolus (*b*) ait (5): *Carnis curam ne feceritis in deſideriis veſtris*. Abſtinete vos his diebus a ſecularibus curis, deſideriiſque carnalibus: caſtigetur corpus, ut anima ſatietur: roboratur enim ſpiritus attenuata parcimoniis carne: & deliciarum victu vita præſens alitur, non futura, quoniam abundantiam rerum luxuria comitatur (*6*). Auferte a vobis invidias, ſimultates, maliloquia contemnentes (7), & omnia ſemina peccatorum diſſolvite. Violentarum laqueos actionum, & nodoſa calumniarum argumenta diſſolvite. Præbete egentibus, ac domeſticis fidei manſionem (8). Chirographa iniqua dirumpite, ut non ſolum corpore, ſed etiam ſpiritu placita Deo jejunia celebretis. Oportet quoque eleemoſynarum ſemine, fructus nos proprii ſperare jejunii. Scriptum eſt enim (*c*): *Sicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna extinguit peccatum* (*9*). Agendum eſt etiam, ut non avaritiæ ſtudio, ſed miſericordiæ cura... vincamur, ab opulentis apparatibus abſtinere debemus (10). Demus temporalia pauperibus, ut perpetua nobis orationibus eorum munera præbeantur: nam exigui panis, æriſque commercio peccatorum nobis confertur impunitas (11). Sciendum eſt etiam, quod ſicut debiles multos, ita pauperes Dominus fecit, quatenus ſit Dominum rogandi neceſſitas, ut qui nihil horum paſſus es, timeas, ne forte patiaris. Paſce igitur, qui ſanus es, debilem tanquam in carne calamitatis exortem: paſce pauperem dives, cujus forſitan portionem a Domino Deo noſtro, ut eum paſceres, accepiſti (12). Paſce jejunum, ut pars ejus tibi ſublata detur alteri languenti (13): paſce fame morientem; quiſquis enim paſcendo ſervare hominem poteris, ſi non paveris, occidiſti. Anticipentur etiam tacentium deſideria mendicorum, quoniam legimus (*d*); *Beatus qui intelligit ſuper egenum, & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus*. Demus itaque alimoniam egentibus, antequam petant, ne præ nimia neceſſitate clamando cunctantes nos, exigere videantur (14). Præbeamus eis collatorum nobis cæleſtium munerum (15) vel aliquam portionem, ne pœnales ob ſegnitiem fœneratori noſtro reddamus uſuras (*16*). Cogitemus illum divitem, qui propter micas panis.... guttam aquæ petiit, nec recepit (17). Recolamus viduam illam (*e*), quæ in gazophylacio duo æra mittendo, totum, quem habuit, Deo obtulit victum (18), & nos fratribus, vel quod non ſuperat, demus (*19*). Nec ſane triſtes, ut hypocritæ, divina debemus exercere mandata (20); ſed agamus gratias Deo noſtræ largitatis auctori, & orantes aſſidue præbeamus egentibus ſubſtantiam vitæ temporalis, ut vitam conſequamur eternam, prçſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto, qui vivit, & regnat in ſecula ſeculorum. Amen (21).

(*a*) Sap. IX. 15. (*b*) Rom. XIII. 14. (*c*) Eccl. III. 33. (*d*) Pſ. 40. 2. (*e*) Marci XII. 42.

Digitized by Google

ANNOTATIONES.

1 RECole annotationem (*a*) præfationis.

2 Non conſuevit quidem Leo ad hunc modum ſermones exordiri, ſed ideo fortaſſe ad hunc modum exorſus eſt eum, quem evulgamus, ut vocum homonymiam, & frequentem alliterationem evitaret. Ceterum, quod jam dixi, imperitus amanuenſis nævos aliquos ſermoni huic adjecit.

3 Aliqua hic deeſſe videntur, quibus indicetur, *Quadrageſimæ* potiſſimum tempore eſse promenda ea fidei documenta, quibus jejunium ac pœnitentia, eleemoſynarum quoque largitio fidelibus inculcentur.

4 Vide quæ tradit Bellarminus *de Verbo Dei ſcripto* lib. 1. cap. XIII: ex quo quidem loco diſces, qua ſignificatione *Sapientiæ liber* Salomoni tribuatur.

5 Locum hunc ab amanuenſi nonnihil immutatum ſuſpicor, ut brevitati inſerviret.

6 Prov. xxx. 8. *Mendicitatem, & divitias ne dederis mihi: tribue tantum victui meo neceſſaria.* Adde quę docet Paulus I. Timoth. vi. 8, & 9. *Habentes autem alimenta* &c.

7 His ſimillimas admonitiones alibi Leo habet. Paucas, ſed valde elegantes, aptiſſimaſque ex plurimis ſeligo. Capite II ſermonis XVIII, qui eſt octavus *de Jejunio decimi menſis, & eleemoſynis*, hæc ille tradit. „ Cum ergo univerſa vitia per continentiam deſtruantur, & quicquid avaritia ſitit, quicquid ſuperbia ambit, quicquid luxuria concupiſcit, hujus virtutis ſoliditate ſuperetur, quis non intelligat, quantum nobis per jejunia conferatur; in quibus indicitur, ut non ſolum a cibis, ſed etiam ab omnibus carnalibus deſideriis temperetur? Alioqui ſuperfluum eſt ſuſcipere eſuriem, & iniquam non deponere voluntatem; reciſo affligi cibo, & a concepto non deſinere peccato. Carnale eſt, non ſpiritale jejunium, ubi ſoli corpori non parcitur, & in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora ſunt, permanetur. Quid prodeſt animæ foris agere quaſi dominam, & intus ſervire captivam? membris propriis imperare, & jus propriæ libertatis amittere? Et merito plerumque patitur famulam rebellantem, quæ non reddit Domino debitam ſervitutem. Jejunante ergo corpore ab eſcis, mens jejunet a vitiis, & curas, cupiditateſque terrenas regis ſui lege dijudicet. „ Simillima tradit capite II, & III ſermonis ſubſequentis, ideſt XIX.

Et capite V Sermonis LXXXVII, qui quartus eſt *de Jejunio ſeptimi Menſis*: „ His dilectiſſimi, inquit, ad profectum veſtrum pro temporum occaſione perſtrictis, jejunium vobis ſeptimi menſis indicimus, in quo vos non ſolum de ciborum abſtinentia, ſed etiam de pietatis operibus commonemus: ut quod veſtris uſibus religioſa parcitate ſubtrahitis, in alimoniam pauperum, & in cibos debilium transferatis. „

Et rurſus capite IV Sermonis XC. „ Operantes igitur, Dilectiſſimi, quod bonum eſt ad omnes, maxime autem ad domeſticos fidei, ſeptimum menſem ab initio myſticum propter ſeptiformem ſpiritum, & ipſo ſui ordinis numero conſecratum continentiæ fructibus deputantes &c.

Hæc porro verba: *maliloquia contemnentes*, ſic interpretor, ut contemnendę ſint eorum voces, & inſana dicteria,

qui

Digitized by Google

qui pietatem noſtram irridebunt, nobiſque detrahent ut pote ab *hujus prudentia ſeculi* abhorrentibus.

8 Recole quæ ex capite IV ſermonis XC S. Leonis protulimus. Hæc ex Apoſtolo Paulo ſe deſumpſiſſe fatetur Leo, dum hæc pronunciat Capite IV Sermonis IX, qui quintus eſt *de collectis*, *&* *eleemoſynis*. „ Dum „ ergo tempus habemus, ſicut ait A„ poſtolus (Gal. VI. 10.), opere„ mur quod bonum eſt ad omnes, „ maxime autem ad domeſticos fidei. „ Bonum autem facientes non defi„ ciamus; tempore enim ſuo mete„ mus „. Quod porro pertinet ad verba illa „ præbete egentibus, ac do„ meſticis fidei manſionem „ hæc alibi (nempe ſermone II de Jejunio X menſis) inculcat: „ Suſcipiatur pe„ regrinus, adjuvetur oppreſſus &c.

9 *Chirographorum iniquorum* vocabulo promiſſiones iniquas fœnoris perſolvendi indicare videtur. Hac ſane arte pauperes ad extremam mendicitatem ab iniquis, avariſque divitibus redactos novimus: de quo quidem argumento multa cum laude diſſeruere præclariſſimi Viri, qui noſtra ipſa ætate florent. Quod ad locum Ecclecleſiaſtici hic allegatum attinet, recole quæ annotatione (*b*) in præfationem diximus.

10 Aliqua procul dubio hic deſunt; ſed, niſi fallimur, pauca admodum, quibus Auditores ſuos hortabatur Leo, ut parce viverent, & ſumptuoſa convivia vitarent: ſed non avaritiæ, at miſericordiæ erga pauperes cauſa. Ne vero a gula, & prava concupiſcentia vincerentur (*in vino enim luxuria eſt*. Epheſ. V. 18.), ab opulentis apparatibus abſtinerent. Ideo porro hic expreſſiſſime inculcari arbitror, ut *non avaritiæ ſtudio*, *ſed miſericordiæ cura* a ſumptuoſis conviviis Auditores abſtinerent, quod & ſententiæ continuatio id videatur expoſcere, & frequentiſſimum Leoni id ſit. Duo, ne infinitus ſcilicet ſim, hic Leonis loca exhibeo. Sermone XII, qui eſt *ſecundus de jejunio decimi menſis*, *&* *collectis*: „ Sed quia „ (inquit) non ſolo jejunio animarum „ noſtrarum ſalus acquiritur, jejunium „ noſtrum miſericordiis pauperum ſup„ pleamus. Impendamus virtuti, quod „ ſubtrahimus voluntati. Fiat refectio „ pauperis abſtinentia jejunantis.

Et capite III Sermonis XIX. „ Æſti„ ment omnes ſubſtantias ſuas, & „ qui plus accepere, plus tribuant. „ Fiat abſtinentia fidelium cibus „ pauperum, & quod quiſque ſub„ trahit ſibi, proficiat indigenti: quia „ licet multum & animis, & corpo„ ribus conferant remedia parcitatis, „ parum tamen utilia ſunt ipſa jeju„ nia, niſi miſericordiæ ſanctificentur „ effectu: in eleemoſynis enim virtus „ quędam eſt inſtituta baptiſmatis, „ quia ſicut aqua extinguit ignem, „ ſic eleemoſyna peccatum. „ Adde quæ annotatione 7 ex ſermone 87, & 90 attulimus.

11 In codice legitur *impuritas*. Diu porro hæſi, num aliquid hic deeſſet, an potius legendum eſſet *impunitas*; quo quidem vocabulo non impunitas *rigoroſe* ſumpta (quis enim id dicet?), ſed venia denotaretur. Poſtremam hanc lectionem ſecutus ſum: novi enim ea voce interdum veniam ſignificari: Novi quoque ſæpe docere Leonem, in eleemoſyna vires plurimas ad delenda peccata ineſſe. An id negabis, poſtquam hæc docentem Leonem audieris? (Sermone VI, qui eſt II *de Collectis*) „ Scientes præter illud „ regenerationis lavacrum, in quo u„ niverſorum ablutæ ſunt maculæ pec„ catorum, hoc remedium infirmita„ ti humanæ divinitus eſſe donatum, „ ut ſi quid culparum in hac terre„ na habitatione contrahitur, eleemo„ ſynis deleatur. Eleemoſynæ enim „ opera charitatis ſunt, & ſcimus, „ quod Charitas operit multitudinem „ peccatorum. „ Et capite III ſermonis XIX, qui eſt IX *De decimi*

Digitized by Google

menſis jejunio. „ In eleemoſynis e-
„ nim virtus quædam eſt inſtituta
„ baptiſmatis, quia ſicut aqua extin-
„ guit ignem, ſic eleemoſyna pecca-
„ tum, & per eundem Chriſtum di-
„ citur: *Lavamini, & mundi eſto-*
„ *te*, per quem dicitur: *Date eleemo-*
„ *ſynam, & omnia munda ſunt vobis*:
„ ut nemo ambigat, nemo diffidat,
„ regenerationis ſibi nitorem, etiam
„ poſt multa peccata, reſtitui, qui e-
„ leemoſynarum ſtuduerit purificatio-
„ ne mundari. „

12 Suſpicatus ſum aliquando, ne ubi legitur: *Sciendum eſt etiam*, legendum foret: *ſciendum eſt enim*; vel potius: *reminiſcendum eſt etiam*. Noluì tamen quidquam immutare, ne temere id facere viderer. Verba hęc: *ut eum paſceres, accepiſti*, ſi ad pauperem referas, iis omnibus innituntur & Scripturarum, & Patrum locis, quibus docemur impoſitum divitibus eſſe, ut divitiis ſibi a Deo tributis pauperes alant: ideoque *miſericordes, non profuſi, ac perditores rei dominicæ judicentur*, ut verbis Hilarii utar (in epiſtola antea edita n. IX). Si vero ad Chriſtum (hunc enim ſenſum etiam facile ea verba excipiunt), tu, ſi vis, id ſubſequentibus Leonis Magni monitis comproba. Sermone V, qui eſt I *de collectis*. „ Prompta ergo, Dilectiſſimi,
„ & facilis apud nos largitas eſſe de-
„ bet, ſi credimus, id ſibi unumquem-
„ que præſtare, quod indigentibus tri-
„ buit. Theſaurum enim ſuum con-
„ dit in cælo, qui Chriſtum paſcit in
„ paupere. Benignitatem itaque in
„ hoc, & diſpenſationem divinæ pie-
„ tatis agnoſce, idcirco enim abun-
„ dare te voluit, ut per te alius non
„ egeret, & per miniſterium operis
„ tui pauperem ab egeſtatis labore,
„ teque a multitudine peccatorum li-
„ beraret.... Hortor, & moneo ſan-
„ ctitatem veſtram, ut ſinguli qui-
„ que & pauperum memineritis, &
„ veſtri, & pro poſſibilitate virium
„ veſtrarum intelligatis in egentibus
„ Chriſtum, qui tantum nobis pau-
„ peres commendavit, ut ſe in ipſis
„ veſtiri, ac ſuſcipi teſtaretur, & pa-
„ ſci. „ Eadem tradiderat capite II ſermonis X, cui præfigitur titulus *De Collectis, & Eleemoſynis* VI, & capipite III ſermonis XI, qui inſcribitur *De jejunio decimi menſis, & collectis I.*

13 Ideſt, ita paſce, ut tibi demas portionem ipſam tuam, quam des alteri languenti. Unum itaque paſce de iis, quæ tibi ſuperſunt. (*Verum tamen quod ſupereſt* &c. Luc. XI. 42.): alterum de tua ipſa portione. Largitatem hanc *paucorum* eſſe ait Leo capite III ſermonis 86, qui *de Jejunio ſeptimi menſis tertius eſt*. „ Sed quia magnanimi-
„ tas illa paucorum eſt &c.

14 Ideſt, clamando nos eſſe cunctantes, videantur exigere.

15 Reſpicit ad locum illum Jacobi I. 17: *Omne datum optimum ... deſurſum eſt*.

16 Innuit locum capitis XIX Lucæ verſ. 20. &c. *Ecce mna tua, quam habui repoſitam in ſudario*. Porro *fœneratur Domino qui miſeretur pauperis*. Prov. 19. 17. Copioſe hoc de argumento agit Leo Capite II ſermonis XVI.

17 Aliquid in hac periodo deeſt, veluti *Lazaro denegatas* (micas panis), aut aliud his ſimile. Vide Lucam cap. XVI. verſ. 19, & ſeq.

18 Idem Leo Magnus capite III ſermonis XIX, qui *Nonus de decimi menſis jejunio* inſcribitur, in hanc ipſam ſententiam hæc ait. „ Nemo ſe, dilectiſ-
„ ſimi, ab opere bono faciat alienum,
„ nemo de ſua tenuitate cauſetur,
„ tamquam qui ſibi vix ſufficit, & a-
„ lium juvare non poſſit. Magnum
„ eſt quod proferat ex parvo; & in di-
„ vinæ lance juſtitiæ non quantita-
„ te munerum, ſed pondere penſatur
„ animorum. Euangelica vidua duos
„ nummos in gazophylacium miſit,
„ & omnium divitum dona tranſcen-
„ dit. Nulla apud Deum vilis eſt pie-
„ tas, nulla infructuoſa miſeratio.

„ Di-

Digitized by Google

„ Diverſos quidem hominibus dedit „ cenſus, ſed non diverſos quærit af- „ fectus. „ Idipſum recolit capite II Sermonis xliii, qui de Quadrageſima vi eſt. *Nam cum ſub oculis Domini multi in Gazophylacio* &c.

19 Recole annotationem 13.

20 Leo Magnus, quem tam crebro allegavi, capite II Sermonis XC eadem fere proponit his verbis: „ Unde & „ Dominus jejunandi formam diſcipu- „ lis tradens: Cum jejunatis, inquit, „ nolite fieri, ſicut hypocritæ, triſtes. „ Exterminant enim facies ſuas, ut „ appareant hominibus jejunantes. A- „ men dico vobis, receperunt mercedem „ ſuam. Quam mercedem, niſi laudis „ humanæ? propter cujus cupidita- „ tem, juſtitiæ ſpecies plerumque prę- „ tenditur, & ubi nulla eſt cura con- „ ſcientiæ, amatur falſitas famæ, & „ iniquitas, quę occulta actione argui- „ tur, mendacii opinione lætatur.

21 Simili fere modo, gratiarum ſcilicet actione concludit ſermonē xx qui *primus* eſt *in ſolemnitate Nativitatis Domini noſtri*: ideſt: *Agamus ergo, dilectiſſimi, gratias Deo Patri per filium ejus in Spiritu Sancto, qui propter multam miſericordiam ſuam qua dilexit nos, miſertus eſt noſtri* &c. Expreſſe vero gratias Deo reddendas docet propter miſericordię opera, quæ cum pauperibus, & ægrotis exercemus, capite IV ſermonis xlii, qui *de Quadrageſima Quintus* eſt, hæc elocutus: „ Nihil enim „ dignius, quam ut homo ſit ſui aucto- „ ris imitator, & ſecundum modum „ propriæ facultatis, divini ſit ope- „ ris executor. Nam cum aluntur e- „ ſurientes, veſtiuntur nudi, foven- „ tur infirmi, nonne auxilium Dei „ manus explet miniſtri, & benigni- „ tas ſervi munus eſt domini? Qui „ cum ad effectus miſericordiæ ſuæ „ adjutore non egeat, ita ſuam omni- „ potentiam temperavit, ut laboribus „ hominum per homines ſubveniret, „ & *merito Deo gratiæ referrentur de* „ *pietatis officiis*, cujus opera videren- „ tur in famulis... Qui cum eodem „ Patre, & Spiritu Sancto &c.

D. JOAN-

Digitized by Google

SERMO SANCTI LEONIS PAPÆ (*)

DE RESURRECTIONE DOMINI.

I Licet omnes ſolemnitates, dilectiſſimi, quæ in Eccleſiis pro Dei honore celebrantur, ſanctæ ſint, atque venerabiles, tamen hodierna Dominicæ reſurrectionis dies peculiarem feſtivitatem habet (1). Ideo utique omnes alii dies viventium in ſe tantum continent gaudium, hæc etiam lætitiam defunctorum. Communis ergo eſt inferius ſimul, ac ſuperius iſta feſtivitas, quia reſurgens a mortuis Dominus, & illic feſtivitatem dedit, ubi (2) mortem vicit, & iſtic ubi victor a morte remeavit (3). Et ideo bene Pſalmiſta de hac peculiariter die dicit (*a*): *Hic eſt dies, quem fecit Dominus: exultemus, & lætemur in eo*. Annuntians enim Dominicam reſurrectionis non ſuperius tantum, ſed inferius diem ſalutiferæ exultationis induxit, quia deſcendente in tenebroſa inferorum caligine Domino, & tunc illic abſque dubio dies ſplendidiſſimus fuit, ubi Salvator illuxit. Unde pulcre Euangeliſta (*b*), qui lectus eſt (4): *Et lux* (inquit) *in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*. Quia licet in tenebris Dominus deſcenderet, tenebrarum tamen obſcura non ſenſit. Tenuit in illo noctis horrore inviolabilem majeſtatis ſuæ ſplendorem lux ſempiternæ naturæ, ac ſic non lux a nocte, ſed nox a luce ſeparata eſt (5). Lætemur ergo dilectiſſimi, & exultemus in Domino. Hodie enim nobis a Domino data eſt lux ſalutis, ſecundum illud quod ibidem Pſalmiſta in conſequentibus ait (*c*): *Deus Dominus, & illuxit nobis*. Et quod adhuc loquitur (*d*): *Conſtituite*, inquit, *diem ſolemnem in confrequentationibus* (6) *uſque ad cornu altaris*, completum etiam hodie in Eccleſia Dei in Deo. Nam cum uſque ad cornu altaris religioſis conventibus plena ſint omnia (7), ipſam Scripturam Sanctæ Eccleſiæ plenitudo complevit.

II Dies ergo, dilectiſſimi, dies eſt reſurrectionis, & vitæ: fecit enim Quadrageſimam gratiorem delectabilior fidei gratulatio, quia ad triſtitiam eorum adjecti (8) ſunt dies remiſſionum, ut patientiam utique ſtatim remuneratio conſequatur, ſecundum illud (*e*): *Qui ſeminant in lacrimis, in gaudio metent* (9). Quicunque ergo ſeminaſtis in lacrimis, capite præmia exultationis, ſciatque unuſquiſque, quo majora ſeminavit ſemina fletuum, majores fructus capere gaudiorum. Species ergo futurarum beatitudinum jam præſentibus continetur. Sicut enim nunc eſt relaxatio poſt diſtrictionem (10), ſic in futuro erit requies poſt laborem. Unde obſecro (11) dilectiſſimi cum univerſa Eccleſia, præcipue vos, qui in novam ſalutem regenerati (12) candida indumenta ſumpſiſtis (13), ut munus, quod accepiſtis, purum immaculatumque teneatis, ut candorem (14) noſtri habitus etiam in converſatione ſervetis, & tam candida ſint corda veſtra, quam veſtimenta veſtra (15). Audiſtis Evangeliſtam dicentem hodie (*f*): *Quia quicunque in Deum credunt, hi filii Dei ſunt. Dedit enim eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluptate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt* (16). Ergo & vos non eſtis ex carnis conceptu editi, ſed ex Deo Patre generati. Supereſt, ut conſer-

ſer-

(*) Retinui lectionem codicis: at præfationem recolat Lector. (*a*) Pſal. 117. 24.
(*b*) Jo. I. 5. (*c*) Pſal. 117. 27. (*d*) Ibidem. (*e*) Pſal. 125. 5. (*f*) Jo. I. 13.

Digitized by Google

ſervetis per ſanctam vitam (*a*), & converſationem, ſanctæ originis dignitatem, & vere juxta id quod Apoſtolus ait (*b*), *Sicut modo geniti infantes rationabiles ſine dolo lac concupiſcite, ut in eo creſcatis in ſalutem*. Et (*c*) *pax Dei, quæ exuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda veſtra*. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, cui eſt honor, & gloria per omnia ſeculorum. Amen.

ANNOTATIONES.

1 CElebritatis Paſchatis præconia, ac laudes collegit, deſcripſitque egregius Martene (*d*), quem rogo conſulas.

2 Subſtitui vocem *ubi*, quum in Codice, per errorem ſane, legatur *videlicet*.

3 Patriarcharum, aliorumque juſtorum animas ad eum uſque diem in ſinu Abrahæ detentas, fuiſſe a Chriſto, dum *deſcendit ad inferos*, ſecum deductas, ut aſcendens in Cælum eas Superis inferret, monumentis non obſcuris aſſequimur. Indico pauca; neque enim hoc in loco nobis incumbit, ut Eccleſiæ dogmata ſtabiliamus. Zachariæ IX (*e*) hæc habemus. *Tu quoque in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos de lacu*: Quibus quidem verbis indicari Chriſtum, qui ſanguine pro noſtra ſalute effuſo, & Redemptionis opere expleto ad inferos deſcendit, ut animas veterum juſtorum e limbi carcere liberatas ſecum deduceret, probatiſſimi Theologi (*f*), atque interpretes (*g*) tradunt, qui ad hoc ipſum dogma ſtatuendum Apoſtolum Paulum allegant, hæc ſcilicet docentem (*h*): *Propter quod dicit: aſcendens in altum captivam duxit captivitatem*. Palam quoque, atque apertiſſime id monent Patres; ſed mihi (quod jam dixi) Theologum hic non agenti, duos valde laudabiles excitaſſe ſatis erit. Horum primus Hieronymus eſt; quippe hæc ait (*i*): *Inferiora terræ infernus accipitur, ad quem Dominus noſter, Salvatorque deſcendit, ut Sanctorum animas, quæ ibi tenebantur incluſæ, ſecum ad cælos victor adduceret. Unde & poſt reſurrectionem ejus plura corpora juſtorum in ſancta civitate viſa ſunt*. Auguſtinus eſt alter, ex quo hæc diſcimus (*k*): *Si enim non abſurde credi videtur, antiquos etiam Sanctos, qui venturi Chriſti tenuerunt fidem, locis quidem a tormentis impiorum remotiſſimis, ſed apud inferos fuiſſe, donec eos inde ſanguis Chriſti, & ad ea loca deſcenſus erueret; deinceps profecto boni fideles effuſo illo precio jam redempti* &c. Atque his quidem ſtabilitis, ea quæ in Sermone ſubſequuntur, facile intelliges.

4 At ubinam, inquies, in baptiſmi adminiſtratione ea Joannis verba leguntur? *Et lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt*; ea quoque quæ deinceps allegantur: *quicumque in Deum credunt, hi filii Dei ſunt: dedit enim eis poteſtatem filios Dei fieri his, qui non ex ſanguinibus, neque ex voluptate carnis, nec ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt*. Nimirum ſi vetuſta etiam Romana Ritualia perquiris, minime invenies, ea ipſa die, qua baptiſmus conferebatur, fuiſſe inter ſacras, ſolemneſque ritus illius cæremonias recitata hæc Joannis

(*a*) Si vis, *veſtram converſationem*. (*b*) I. Petri 2. 2. (*c*) Ad Philip. IV. 7.
(*d*) Tom. III *Eccleſ. Rituum*, lib. IV. cap. XXXV. pag. 477 edit. Antuerp. ſeu potius Mediolan.
(*e*) verſ. 11. (*f*) Catechiſmus Caniſii &c. (*g*) Vide Riberam, alioſque interpretes in locum hunc. (*h*) Eph. IV. 8. (*i*) In Comment. ad caput IV. Epiſtol. ad Epheſios. (*k*) lib. XX. *de Civit.* cap. XV.

Digitized by Google

nis verba: *Et lux in tenebris lucet* &c.

Si veteres Romanæ Eccleſiæ ritus in ſolemni baptiſmi adminiſtratione adhibitos conſulis, diſcis fuiſſe quidem lecta Catechumenis initia omnium Euangeliorum, ideoque primum etiam Joannis caput; at multis ante diebus, quam baptiſma ipſum conferretur, id fiebat (*a*); nempe, uti expreſſe docemur in præſtantiſſimo Cardinalis Sanctorii Rituali, in (*b*) *ſcrutinio III, quod fiebat feria quarta hebdomadę quartæ Quadrageſimæ, qua ſtatio eſt ad Sanctum Paulum, quod inter Septem ſcrutinia maximum eſt*: Vel, ſi vis, feria II hebdomadæ III item Quadrageſimæ, quod traditur in Codice, ſeu Sacramentario Gelaſii (*c*). Rurſus in Miſſali Gallicano veteri, quod primum optimus Thomaſius, tum rurſus edidit Clariſſ. Muratorius, præmittitur ritus iſte officio feriæ V in cœna Domini (*d*). Tamen in aliis Eccleſiis in Baptiſmi adminiſtratione fuiſſe lectum primum Euangelii Johannis caput, ex manifeſtis monumentis aſſequimur. Notarunt id jam Patres S. Mauri ad ſermonem ccxxv Auguſtini. Nec in dubium is vertet, qui hæc Auguſtini verba in Sermone III in die Paſchæ recitata perpenderit (*e*): *Sic audiſtis prædicari Dominum Chriſtum, quia in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum* &c. Ad hæc: ex eruditiſſimo Martene hæc aſſequimur (*f*): *Idem Euangelium etiam ſuper baptizatos, ſed completis omnibus baptiſmi cerem͏oniis, ad altare delatos legebatur in Eccleſia Pariſienſi ante annos 400; & in Senonenſi, atque Remenſi ex vetuſtis Ritualibus ad illarum Eccleſiarum uſum editis.*

5 Reſpicit procul dubio ad verba illa Geneſis (*g*): *Dixitque Deus: fiat lux: & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona: & diviſit lucem a tenebris.* Tum itaque præceſſit noctem lux: At quum Chriſtus a mortuis reſurrexit, lucem præceſſit nox, quæ quidem nox divinæ reſurrectionis luce *ſeparata*, ideſt ablata eſt. De ſpirituali luce, quæ per baptiſmum acquiritur, agunt omnes Patres, qui de baptiſmi emolumentis agunt. Unum hic allego Auguſtini locum, quem adeat Lector (*h*).

6 Vox hebraica עבות contortum, ac denſum ſignificat: hinc Vulgatus interpres בעבתים vertit *in condenſis*: noſter hic auctor, aliique etiam *in confrequentationibus*: alii, ut Marinus noſter, *in reſtibus*, ſeu *funibus*. Atque hi quidem reliquas verſiculi partes voci huic accommodant, dum pro feſto die, ſeu ſolemni die, victimam, quæ ſolemni die mactatur, intelligunt; itaque vertunt: *Statuite ſeu ducite victimam ſolemnem uſque ad cornu altaris*: quamquam difficile eſt his ad explicandum, quo modo victima mactanda ad cornu uſque altaris deduceretur. Qua de re conſule interpretes.

7 Addidi vocem *omnia*, quæ ob Amanuenſis indiligentiam deerat.

8 Poſui vocem *adjecti*, quando quidem

 in

(*a*) Sacram. Gelaſ. pag. 537. Sacrament. Gregor. Magni pag. 539. Tomi I edit. Muratorii.

(*b*) pag. 58. (*c*) pag. 537 editio. Murat. *Denuntiatio pro ſcrutinio quod tertia hebdomada in Quadrageſima ſecunda feria initiatur.* In Sacramentario tamen Gregorii nulla ſtatuitur definita dies, ſed tantum monemur id peractum fuiſſe in Quadrageſima. *Oratio ſuper infantes in Quadrageſima ad quatuor Euangelia.* (pag. 60. edi. Murat.)

(*d*) Obſerva, obiectio, quæ pag. 708, & ſequent., ſed præſertim pag. 722 editionis Muratorii habentur. (*e*) Is Sermo in ſerie Patrum S. Mauri 226 eſt: olim autem 82 *de diverſis* inſcribebatur: præponitur vero hoc monitum: *ad populum, & ad infantes.*

(*f*) De antiq. Eccleſ. Rit. lib. 1. cap. 1. art. xv. n. xviii. pag. 157 Tomi 1 edit. Antuerp. ſeu Mediolan. (*g*) I. 3, & 4. (*h*) Serm. 223, qui quintus eſt in vigiliis Paſchæ, alias *de diverſis* 82. n. 1. *In libro, qui appellatur Geneſis, Scriptura dicit: Et vidit Deus lucem* &c.

in Codice per manifeſtum errorem legitur *victi*. Tu, ſi vis, vocem aliam ſubſtitue, dummodo eandem habeat ſignificationem. Ad triſtitiam porro dies remiſſionis adjecit Eccleſia, non modo quia pœnitentes Deo, ſibique extremo Quadrageſimæ tempore (*a*) reconciliare ſolebat, verum etiam quia baptiſmi collatione Catechumenorum pœnitentia terminabatur; de qua quidem pœnitentia vide quæ tradit Optimus Martene in eo, quem in calce paginæ allego, loco (*b*).

9 Utitur hoc ipſo Scripturæ loco in eandem ipſam ſignificationem vetuſtus, iſque laudabilis Scriptor; is ſcilicet, cui debemus ſermonem in Pſalmum XLI ad Neophytos, qui ſermo aliquando tributus eſt Hieronymo, nunc vero extat in appendice Tomi VI operum Auguſtini (*c*). *Per omnem quadrageſimam vacaverunt orationi, atque jejuniis; in ſacco, & cinere dormierunt, futuram vitam peccatorum ſuorum confeſſione quærentes. Sed quia ſuderunt lacrimas, & ſuderunt triſtes, dicitur illis*: qui ſeminant in lacrimis, in gaudio metent. *Et*: Beati lugentes, quoniam ipſi conſolabuntur. Atque his quidem poſtremis verbis illuſtrantur ea, quæ in eodem ſermone ſubſequuntur: *Quicumque ergo ſeminaſtis in lacrimis* &c.

10 In codice habetur *diſtinctionem*, manifeſto utique errore, quem ex conjectura emendavi.

11 Imitatur Paulum hæc ſcribentem (*d*): *Obſecro itaque vos, fratres, per miſericordiam Dei, ut exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viventem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum*. Et alibi (*e*): *Cum multa exhortatione obſecrantes nos gratiam, & communicationem miniſterii, quod fit in ſanctos*. Et rurſus alibi (*f*): *Obſecro itaque vos ego vinctus in Domino, ut digne ambuletis vocatione, qua vocati eſtis, cum omni humilitate, & manſuetudine, cum patientia, ſupportantes invicem in caritate. Soliciti ſervare unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Unum corpus, & unus ſpiritus. Sicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ. Unus Dominus, una fides, unum Baptiſma*.

12 Vocem hanc, qua ſæpiſſime Eccleſia, & Patres utuntur, poſui, cum imperitus Amanuenſis ſcripſiſſet *regnantem*.

13 De candidis Neophytorum veſtibus agunt omnes, qui Sacros baptiſmi ritus deſcribunt. Satis mihi eſt duo indicare valde probabilia monumenta. Reliqua conſule apud Martene (*g*). Ecce porro ea, quæ dixi, valde probabilia argumenta. Ambroſius hæc ſcriptis prodidit (*h*): *Accepiſti poſt hæc veſtimenta candida, ut eſſent indicium, quod exueris involucrum peccatorum, indueris innocentiæ caſta velamina, de quibus dixit Propheta*: Adſperges me hyſſopo, & mundabor; lavabis me, & ſuper nivem dealbabor. Qui quidem Ambroſii locus tanto in honore habitus eſt, ut in Gratiani decretum illatus ſit (*i*). Auguſtinus locum alterum præbet. Nimirum hæc ait (*k*): *Infantes iſti, quos cernitis exterius dealbatos, interiuſque mundatos, qui candore veſtium*

(*a*) Feria V in Cœna Domini ritus ille in Eccleſiis fere omnibus ſervabatur. Vide Codicem Gelaſianum *in Cœna Domini*, pag. 548 edit. Murat. Gregor. pag. 110. Pontificale Roman. an. 1544. pag. 181. Martene Sacros Eccleſiæ ritus deſcribentem Tomo III. lib. IV. cap. 22. pag. 28 editio. Antuerp. ſeu potius Mediolan. & rurſus pag. 326 ejuſdem Tomi.
(*b*) lib. I. cap. I. ar. X. pag. 76, 77, & ſeq. Tom. I. *Anti. Eccl. rit.*
(*c*) pag. 287. (*d*) Rom. XII. I. (*e*) II. Corin. II. 8, 4. (*f*) Eph. IV. I.
(*g*) *De antiq. Eccl. rit.* lib. I. cap. I. ar. XV. n. 5. pag. 147 edit. Murator.
(*h*) *De myſter.* cap. VII. n. 34. (*i*) *De conſecrat. diſtinct.* IV. cap. *Accepiſti*. n. 92.
(*k*) Serm. 223, qui quintus eſt *in vigiliis Paſchæ*; alias de diverſis 81. n. I.

Digitized by Google

ſtium ſplendorem mentium præfigurant, &c.

14 Errorem abſtuli, nam in codice habetur *victorem*.

15 Recole annotationem XIII.

16 Recole annotationem IV. Reliqua per ſe patent. Illud tantum adjicio, nonnullos errores ob amanuenſis indiligentiam, aut, ſi vis, imperitiam illapſos, fuiſſe a me ſublatos: Quis enim manifeſtum errorem non eſſe agnoſcat hæc: *& vos non eſtis non ex carnis conceptu editi.* = *per ſanctam vitam converſationem, & ſanctæ originis dignitatem?* Quamquam candide fateor (quod in margine notavi) poſſe etiam ad hunc modum legi: *per ſanctam veſtram converſationem*. Quomodocunque porro legas, reſpicit noſter ſcriptor ad ſubſequentia Scripturarum loca, nimirum ad I. Timo. III. 15. = Rurſus eodem IV. 12. = Philip. III. 20. = Hebr. XIII. 18. = I. Petri I. 15. 17. etiam Cap. II. 12. Et II. ejuſdem Petri Epiſto. III. 2.

Digitized by Google

JOANNIS CHRYSOSTOMI TROMBELLI

IN SUBSEQUENTEM SERMONEM

PRÆFATIO.

IN eodem ipſo, cujus non ſemel memini, Codice eum ſermonem reperi (*a*), quem nunc Lectori exhibeo, iſque Leoni Magno aſcribitur (*b*). Leoni tamen Magno illum adjudicari vetat manifeſta ſtyli diſſimilitudo, & eorum temporum, quibus Leo Magnus floruit, mos. Monuere nimirum viri doctiſſimi, Leonis Magni, atque adeo Gelaſii ætate, uno eodemque die, III ſcilicet Kal. Julias, celebrari conſueviſſe a Romano Pontifice Apoſtolorum Petri, & Pauli ſolemnitatem (*c*): inſtituiſſe porro Gregorium Magnum (ne ſcilicet populus, & Pontifex ipſe nimio plus fatigaretur, quando quidem a Vaticana ad Sancti Pauli Baſilicam properandum erat, atque ibi divina officia rurſus celebranda, quæ in Vaticana jam fuerant celebrata) inſtituiſſe, inquam, Gregorium Magnum, ut in diem alteram celebritas in Apoſtoli Pauli honorem transferretur. Perquirendus eſt igitur inter Pontifices, qui Gregorium Magnum ſunt ſubſequuti, hujuſce ſermonis auctor: Neque enim Gregorio Magno tribuere illum poſſumus, cum ab hujuſce Doctoris locutione abſit maxime. At ita perquirendus eſt, ut, quoniam prorſus inelegans ſermo iſte non eſt, ad ea ſecula referri non poſſit, quibus barbaries, & latinæ linguæ neglectus Romani eloquii nitorem, ac puritatem funditus ſuſtulit. Quo quidem poſito, quis illius auctorem ad undecimum, immo quis ad decimum ſeculum protrahet? Itaque VII, aut, ſi vis, VIII, aut etiam IX ſeculo eum floruiſſe conjicimus. Tum porro, cum Leonem Pontificem in fronte præferat ſermo iſte, an illum II, an III, aut IV Leoni tribuimus? Etenim II etiam commode illum tribuere poſſumus, ſi V nonas Julias illum mortuum volumus: quæ quidem præſtantiſſimorum virorum opinio eſt. Fuere autem hi non minus docti, quam pii Pontifices. At quis nos cogit, ut Leonem nominatum fuiſſe dicamus Pontificem illum, cui ſermonem iſtum adjudicamus? Nonne in vetuſtis omnibus ſermonum collectionibus aliquos immixtos invenimus, quos amanuenſes, aut ſubdoli, aut imperiti, auctori non ſuo tribuunt? Sane in noſtro ipſo Codice Leoni Magno nonnulli etiam ſermones adſcribuntur, quos ab eo minime compoſitos novimus. Tum vero nihil vetat, quo minus Zachariam, aut Nicolaum I, aut alium quempiam eloquentiæ, & ſanctitatis laude præſtantem Romanum Pontificem hujus ſermonis auctorem facias. Sed quiſquis is fuerit, minime contemnendus eſt ſermo iſte, ex eo vel maxime, quod in eo argumento verſatur, in quo paucillimi fortaſſe Pontifices ſe ſe exercuerunt, atque ex eo diſcimus, ſumma cum celebritate Apoſtoli Pauli memoriam in illius Baſilica fuiſſe actam.

SER-

(*a*) pag. 162. (*b*) ibi enim inſcribitur: *ſermo ejuſdem*: ideſt, Leonis Magni, cui tribuendi ſunt proxime ſuperiores ſermones. (*c*) Conſule, obſecro, quæ docent Baronius, & Galeſinius in Annotationibus in Martyrologium ad diem hanc: Hugo quoque Menardus Annotatione 229 in Gregorii Magni *Sacramentarium*.

SERMO SANCTI LEONIS PAPÆ

IN FESTIVITATE SANCTI PAULI.

Gemina hodiernæ feſtivitatis (1) nobis, fratres cariſſimi, novantur gaudia, dum annua Doctoris mundi percolimus Natalitia (2). Unde exultantes in Domino, & immenſas ejus ineffabili majeſtati referentes laudes, ingenti lætitia gratulemur (3). Et nimirum affluentiſſima jocunditate lætari oportet, quia quotiens Sanctorum memoria celebratur, nimio fidelium mentes gaudio replentur, & ſpiritualibus admodum profectibus illuſtrantur (4) in id quod eorum præſentia adeſſe non ambigitur (5). Convenientibus ergo nobis, cariſſimi, huic ſanctiſſimæ aulæ (6) eundem in medio noſtrum egregium Prædicatorem (*a*) aſſiſtere, & ſpirituali, atque inviſibili quodam modo pariter nobiſcum in hac ejus celeberrima ſolemnitate credimus gratulari (7). Et ideo nulla debet, dilectiſſimi, quemquam Chriſtianorum ad occurrendum huic venerandæ Eccleſiæ (8), ubi ſanctum ejus quieſcit corpus, deſidia irretire corporis (9). Præcipue autem cunctis Romanæ Urbis, & finitimis regionibus quanto ocius (10) accelerari præ omnibus congruit, quoniam ſi univerſi de externis mundi partibus, neque auſteritatem acerrimi itineris, nec prolixitatis terræ ſpatia metuentes, eo quo valent tempore, Apoſtolorum devote ſe præſentari inhiant ad limina (11): quid Romani cives excuſationis proferent in eo quod præſentialiter aſſiſtentes, diſſimulant ſaltim (12) eorum occurrere feſtivitati; dum eorum Apoſtolorum precibus defenſionis tueri (13) noſcuntur ope (14)? Heſterno quippe die (15), quo ipſi Apoſtolorum principes martyrio ſunt coronati, devotiſſimo affectu in Eccleſiam Beati Apoſtoli Petri properantes, ejus celebravimus ſolemnitatem, adeſſe oportebat, ut ejus, qui Principatum meruit adipiſci Apoſtolatus (16), prius celebraretur feſtivitas (17): hodie vero Doctoris gentium, & mundi totius illuminatoris (18) natalitia colimus. Nam licet pariter ambo martyrii bravium (19) ſumpſerint, propter confluentis tamen populi frequentiam in alium diem Beati Apoſtoli Pauli celebritatis (20) ratio inerat transferendæ; ut ſicut in Beati Petri Aula (21) univerſa convenit multitudo, ita in ejus Coapoſtoli Eccleſia eadem pariter annexa confluereт populi congregatio; æqualiſque omnibus ineſſet lætandi devotio. Et ecce plures aut deſidiis, aut ſecularibus dediti curis ad hanc diſtulerunt præſtantiſſimi (22) Beati Pauli advenire aulam. Quapropter, fratres cariſſimi, abjicienda eſt omnis mundanæ cogitationis, & temporalis lucri deſidia reſpuenda (23), eoque omnes quo valemus anniſu (24) ad celebrandam Sanctorum memoriam, maxime beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum Principum (25) natalitia occurrentes, in amborum Eccleſias devote pariter aggregati conveniamus, ut ſicut pares eos honorum infulis (26) Divina illuſtravit dignatio, ita illos ſimilis humana habeat in ſolemnitatibus devotio. Hic enim beatiſſimus quidem prius Saulus, & poſtmodum Paulus, prius, inquam, perſecutor, poſtmodum prædicator, Judaicæ crudelitatis infectus ſævitia, nimia ferocitatis adverſus Chriſtianos exardeſcebat inſania (27). Nam ſicut in Actibus Apoſtolorum continetur, accepta a Principibus Sacerdotum poteſtate, ut ſi

quos

(*a*) I. Timo. 2. 7. II. Timoth. 1. 2.

Digitized by Google

quos eorundem Chriſtianæ religionis invenire potuiſſet, vinctos in Jeruſalem deduceret: ibat fremens magna arreptus furia, & ſubito cæleſtis radii ſplendore illuſtratus, ac perterritus, audivit vocem de cælo dicentem ſibi: *Saule, Saule, quid me perſequeris? Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare*. Et protinus cadens in terram oculorum lumen amiſit. O magna Omnipotentis Dei noſtri benignitas! o inextimabilis longanimitatis miſericordia! Modicum enim perterruit, ut multipliciter conſolaretur (28).

ANNOTATIONES.

1 EA, de qua agitur, *feſtivitas* non eodem vocabulo in Eccleſiaſticis libris deſignata eſt. In Codice Gelaſiano ad hunc modum appellatur: *Natale Sancti Pauli proprie*. Sed, ſi non fallor, hac voce *proprie* docemur, in Baſilica S. Pauli eam Miſſam fuiſſe celebratam, quæ proprie ad Sanctum Paulum pertineret: cum in Baſilica Vaticana tum ea fuiſſet celebrata, quæ in utriuſque Apoſtoli (Petri ſcilicet, & Pauli) honorem inſtituta erat, tum, niſi probabilis conjectura nos decipit, ea quæ proprie ad Sanctum Petrum pertineret (*a*). In libro Sacramentorum ab Hugone Menardo edito inſcribitur *Natale Sancti Pauli*: Subjicit autem idem Menardus ſubſequentem Annotationem: *Ita in editis, & in aliis Codicibus noſtris M. SS. quem ad modum & in Ordine Romano. At in Miſſali Romano eſt Commemoratio S. Pauli Apoſtoli*. Caveat tamen ne putet Lector, recentem hanc eſſe inſcriptionem. *Commemoratio* etiam appellatur ea feſtivitas in vetuſto Miſſali ſeculi XII, quo olim utebantur Monachi Benedictini Piſis degentes, quod quidem Miſſale nunc apud nos eſt. *Commemoratio* pariter dicitur eadem feſtivitas in Kalendario egregio Miſſalis XIII ſeculi, quod olim ad Brixianam Eccleſiam pertinebat, nunc vero apud nos ſervatur. *Commemoratio* quoque vocatur in Miſſali altero Cartuſienſi ſeculi XIV, quod noſtra pariter ſervat Bibliotheca. At in vetuſto Kalendario ſeculi XI, præpoſito Rituali ejuſdem ſeculi, *Celebratio S. Pauli* nuncupatur; atque eodem vocabulo notatur in Miſſali altero ejuſdem ſeculi, quod pariter apud nos eſt. Celebrationis porro nomine aut id ipſum denotatur, quod uſitatius *Celebritatem* dicimus, aut, ſi vis, divinorum officiorum celebratio.

2 Gemina gaudia feſtivitatis S. Pauli innovantur, ſeu renovantur, dum primo hujuſce Apoſtoli celebritas ſimul cum Apoſtolo Petro III. Kal. Julias agitur, & rurſus ſubſequenti die ejuſdem Pauli *Commemoratio*, ſeu *Memoria* agitur. Recole ſuperiorem annotationem. Quod peculiariter ad vocem *Natalitia*, ſeu *Natale* attinet, conſule quæ tradit Baronius capite IV præfationis *in Martyrologium Romanum*; nota *b* in tertium Januarii diem; & nota *A.* in 18 ejuſdem menſis diem.

3 Sum-

(*a*) *Item in Natali Sancti Petri proprie III. Kal. Julias. Deus qui Beato Apoſtolo tuo Petro conlatis clavibus &c. . . . In Natali Apoſtolorum Petri & Pauli III. Kal. Julias. Deus qui hunc diem beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli &c. Item in Natal. S. Pauli proprie. III. Kal. Julias. Deus qui multitudinem Gentium* &c. Codex Sacram. Gelaſ.

Digitized by Google

3 Summa jocunditate celebratas fuiſſe Sanctorum feſtivitates, atque in iis ſolemnes laudes propter relatas a Sanctis victorias, Deo fuiſſe tributas, ex vetuſtis monumentis diſcimus. In LI Synodi Laodicenæ Canone hæc præcipiuntur (*a*). *Non oportet in Quadrageſima Martyrum Natalitia celebrare, ſed eorum in Sabbato tantum, & Dominica die memoriam fieri*. Quem quidem canonem ita omnes interpretantur, ut propterea eæ feſtivitates interdicerentur, quod ſumma celebritate, & gaudio agerentur: Minime porro decere arbitrabantur Patres illi, mœſtitiæ tempore, quale eſt Quadrageſimale, quovis gaudio, tametſi ſpirituali, affici.

Athanaſii ætate eandem conſuetudinem perſeveraſſe, ex Sozomeno diſcimus: quippe hæc habet (*b*): „ Publicum, „ ac ſolemne feſtum ingenti pompa „ quotannis celebrant Alexandrini „ eo die quo Petrus ipſorum olim E„ piſcopus martyrium conſummavit. „ Hunc igitur diem feſtum aliquan„ do celebrans Alexander, qui tunc „ ipſorum erat Epiſcopus, peractis „ Miſſarum ſolemnibus expectabat „ eos, qui una cum ipſo pranſuri „ erant. „

In Eccleſia autem latina id ipſum fuiſſe ſervatum, cum alia multa, tum ea ſane comprobant, quæ in Codice Sacramentorum Gelaſii ſæpe occurrunt. Delibo porro ex eo nonnulla. In Natale S. Agnetis hæc Oratio dicenda præcipitur: „ Creſcat Domine ſem„ per in nobis ſanctæ jocunditatis af„ fectus: & Beatæ Agnæ Virginis, „ atque Martyris tuæ veneranda feſti„ vitas &c. = Præſta quæſumus Domi„ ne mentibus noſtris cum exultatio„ ne pervectum (*c*) &c. = Secreta. „ Hodiernum Domine ſacrificium „ lætantes exequimur, quo Beatæ A„ gnes cæleſtem victoriam recenſen„ tes, & tua magnalia prædicamus, „ & nos adquiſiviſſe gaudemus ſuf„ fragia glorioſa. = In Natali SS. Petri, & Marcellini, IIII. Nonas Junias. „ Lætetur Eccleſia, Deus, „ Martyrum tuorum Petri, & Mar„ cellini confiſa ſuffragiis. = In quo porro lætitia ſita eſſet, cum copioſe oſtendant ea, quæ capite XIV, & XV Diſſertationis VI *de Cultu Sanctorum* tradita ſunt, ad ea loca Lectorem allego.

Quis vero in Sanctorum feſtivitatibus ſolemnes laudes propter relatas a Sanctis victorias Deo fuiſſe tributas negabit, poſtquam hæc legerit in eo Sacramentorum libro, quem viri Clariſſimi Joſephus Blanchinius, & Muratorius Leoni Magno tribuunt (*d*)? „ Vere dignum. Tibi enim fe„ ſtiva ſolemnitas agitur, tibi dies „ ſacrata celebratur, quam Beati ſan„ cti Tiburtii Martyris tui ſanguis, „ in veritatis tuæ teſtificatione pro„ fuſus, magnifico nominis tui ho„ nore ſignavit. Et ideo cum Ange„ lis. Vere dignum. Tuas enim, „ Domine, virtutes, tuaſque victo„ rias admiramur, quotiens in Ec„ cleſia tua horum dierum feſta ce„ lebrantur, quos inſignes Confeſſo„ rum tuorum, & Martyrum palmę, „ ad perennem memoriam, ſolemnem„ que lætitiam fidelibus populis ſa„ craverunt.

In eo porro Sacramentorum Codice, quem Gelaſio tribuit præſtantiſſimus Cardinalis Thomaſius, hæc occurrunt (*e*): „ Noverit veſtra devotio, „ ſanctiſſimi Fratres, quod Beati „ Martyris *Illius* anniverſarius dies „ intrat: quo Diaboli tentationes exu„ pe-

(*a*) To. I. Concilior. edition. Labbei Venetæ pag. 1530. (*b*) lib. II cap. olim 16, in Valeſii editione 17. (*c*) *proventum*. (*d*) In feſtivitate Ss. Tiburtii, & Valeriani, a quibus incipit Codex. (*e*) In initio libri II. *Denunciatio Natalitii unius Martyris*. pag. 142. editionis anni 1680.

Digitized by Google

„ perans, univerſitatis Creatori glo-
„ rioſa paſſione conjunctus eſt. *Item*
„ *pluraliter*. Quo Diaboli tentamen-
„ ta vincentes univerſitatis Creatori
„ glorioſa paſſione conjuncti ſunt. I-
„ deoque Dominum conlaudemus,
„ qui eſt mirabilis in Sanctis ſuis:
„ ut qui illis victoriæ coronam con-
„ tulit, nobis eorum meritis deli-
„ ctorum indulgentiam largiatur. In
„ *illo* igitur loco, *vel* in *illa* via,
„ *Illa* feria hanc eandem feſtivita-
„ tem ſolita devotione celebremus.

Id ipſum traditur in prece, quam *Secretam* vocant, in Natali S. Agnetis, quam quidem precem cum antea recitaverimus, hic indicaſſe ſatis erit. Simillima extant in precibus recitandis in Natali S. Julianæ XIII. Kal. Martias, & in *Secretis* precibus Miſſæ in Natali SS. Petri, & Marcellini.

Eadem de re conſule librum Sacramentorum Gregorii in præfatione Miſſæ eorumdem Sanctorum Petri, & Marcellini. Huic adde præfationem alteram in feſtivitate Sanctorum Tiburtii, & Valeriani in eodem libro Sacramentorum Gregorii poſitam.

Eadem fere edocet Guillelmus Durandus (*a*): Nam inter cauſas, ob quas Sancta Mater Eccleſia Sanctorum feſtivitates celebrat, ſexto loco hanc enumerat: *Propter honorem Divinæ majeſtatis, quoniam illos honorando, in eis honoramus, & mirabilem prædicamus, qui ipſos ſanctificavit.*

4 Si recte expenderis quæ ſuperiore annotatione tradidimus, facile agnoſces hæc merito dici. Ad imitationem quippe virtutum Sanctorum illorum, quorum feſta colimus, incitant feſtivitates in eorum honorem inſtitutæ. Id ſane indicat Baſilius Magnus (*b*) homiliam in S. Julittam ſic exorſus. „ Quæ de Beata marty-
„ re prædicatio ſe offert vobis de-
„ promendam, hujuſce eſt cauſa con-
„ gregationis. Hunc enim diem vo-
„ bis indiximus celebriter agendum,
„ quippe qui memoriam renovat ma-
„ gni illius certaminis, quod in mu-
„ liebri quidem corpore &c.

Affinia tradit S. Auguſtinus enarratione in Pſal. 63 (*c*). Et hanc fortaſſe ob cauſam feſtivitates martyrum *memoriæ martyrum* ſunt appellatæ.

Plurima habet hoc ſuper argumento aptiſſima Chryſoſtomus (*d*) in homilia in *S. Droſidem martyrem*, quem rogo conſulas. Alibi etiam expreſſiſſime docet parum proficere illos, qui ex martyrum ſolemniis eorum imitationem minime addiſcunt (*e*).

5 *In id* hic poſitum eſſe arbitror pro *ideo quod*, *propterea quia*, aut alio hujuſmodi. Quod vero attinet ad præſentiam Sanctorum, quorum feſtus agitur dies, eam indicare videntur SS. Patres, dum monent a Sanctis illis, quorum feſtum agimus, hos convocari, ad feſtivitatem celebrandam invitari, & id genus alia. Sed aliquid multo expreſſius aſſequimur ex numero ſeptimo Orationis Nyſſeni in S. Theodorum; in quo quidem ſic Theodorum invocat. „ Tu vero jam
„ ades ad nos, ubicumque tandem
„ fueris, ut diei feſto præſis. Vo-
„ cantem enim te, contra vocamus:
„ ac ſive in ſublimi æthere habitas,
„ ſive per cæleſtem aliquem circulum
„ verſaris; aut in choros angelorum
„ cooptatus Domino adſiſtis, aut cum
„ Virtutibus, & Poteſtatibus, ut ſer-
„ vus fidelis, adorationis officio fun-
„ geris: parumper ab iis officiis va-
„ cationem deprecatus, veni ad hos,
„ qui

(*a*) lib. 7 Rationalis Divin. Officior. cap. 1. (*b*) apud Euſebium lib. 4. cap. 15. (*c*) n. 1.
(*d*) n. I, & II. pag. 688, & 690 Tom. II. edit. Montfaucon.
(*e*) *De Sancta Pelagia Martyre* n. 3, & 4. pag. 589. & concione *in martyres* n. 1. pag. 667 ejuſdem Tomi II.

Digitized by Google

„ qui te honorant, inviſibilis amicus: „ cognoſce, ac viſe ferias, quæ ce- „ lebrantur.

6 Num licentia quadam, quæ per ea tempora apud Romanos ipſos latine loquentes inducta foret, num potius amanuenſis imperitia, aut negligentia *huic aulæ* poſitum ſit, cum *in hanc aulam* latini Sermonis Syntaxis expoſceret, judicet Lector. Aulam porro Eccleſiaſticam Ædem fuiſſe aliquando appellatam, ea exempla comprobant, quæ in recenti Lexico Ducangii habes. At præſtantius id eſſe videtur, quod ſermo iſte præbet.

7 *Prædicator* per *excellentiam*, ſeu, ut Rhetores vocant, *antonomaſtice*, ſæpe appellatur Paulus ab Eccleſiaſticis Scriptoribus, inhærentibus ſcilicet locis illis ejuſdem Pauli, quæ in ſermonis margine appoſui: ſcilicet I. Timoth. II. 7. *In quo* (Chriſto Jeſu) *poſitus ſum ego prædicator*, & *Apoſtolus* (*veritatem dico*, *non mentior*) *doctor gentium in fide*, & *veritate*. Et II. Timo. I. 2. *Per euangelium*, *in quo poſitus ſum ego Prædicator*, & *Apoſtolus*, & *Magiſter gentium*. Quæ vero ſubſequuntur, explicationem habent ex adnotatione 5. Porro tametſi in Codice ponatur *aſſiſti*, poſui *aſſiſtere*, amanuenſi valde imperito adſcribens tum hoc, tum alia haud ſane pauca, quæ in hoc Codice occurrunt.

8 Ideſt, ad concurrendum, ſeu conveniendum in hanc venerandam Eccleſiam.

9 Optaſſe Eccleſiam, ut ad ſacras eas feſtivitates convenirent fideles, quæ in Sanctorum honorem agebantur, ex variis monumentis aſſequimur. Formulam eam, qua fideles ad celebrandas eorum ſolemnitates invitabantur, recolat Lector (*a*). Vehemens eſt ſane ea oratio, qua Chryſoſtomus queritur, non eos omnes, quos cupiebat, ad Sancti Luciani feſtivitatem conveniſſe. In ea porro notatu digniſſima multa ſunt; veluti iſta (*b*): „ Noli ergo, dilectiſſime, loci hujus frequentationem „ contemnere: ſive enim mœror „ aliquis negotium faceſſat, hic re- „ legatur: ſive curæ ſeculares, au- „ fugiunt: ſive alienæ a ratione per- „ turbationes, ſedantur: a foro au- „ tem, & theatris, ac ceteris profanis „ conventibus, multis accumulatis cu- „ ris, ac mœroribus, animæque mor- „ bis domum redimus. Si hic aſſi- „ due verſeris, prorſus etiam ea, quæ „ foris contraxiſti mala, depones: „ ſin autem reſilias, fugiaſque, illa „ etiam, quæ ſacrarum ope Scriptu- „ rarum bona tibi comparaſti, pror- „ ſus amittes, tuæque opes ſenſim a „ profanis illis conſeſſibus, & collo- „ quiis ſubripientur. Atque ut hæc „ vera eſſe noſcatis, cum hinc di- „ ſceſſeritis, eos, qui hodie abfue- „ runt, videre ſtudete, tum quan- „ tum inter veſtram animi tranquil- „ litatem, & illorum anxietatem in- „ terſit, animadvertetis. „ Tum cetera proſequitur, quæ libentiſſime referrem, niſi plura eſſent; ſed ea per ſe ipſe conſulat Lector.

10 In Codice legitur, *quam totius*, manifeſto utique errore, quem ex conjectura emendavi. Si quid veriſimilius ſuggerat Lector, rem accepriſſimam faciet.

11 De peregrinationibus a remotiſſimis uſque regionibus ad Apoſtolorum Petri, & Pauli ſepulcra inſtitutis ſæpe agunt eccleſiaſtici ſcriptores. Mihi ſatis eſt unum, ſed probatiſſimum, hic proferre. Alios ſi optas, cum alii quidem multi eos tibi facile ſint præbituri, præbebit etiam mea Diſſertatio VI *de Cultu Sanctorum* (*c*). Eſt porro is, quem unice hic allegare ſtatui, Nicolaus I;

(*a*) In initio libri II. Codicis Sacram. Gelaſii pag. 142 edit. Roma. 1680.
(*b*) n. 1. Tom. II edit. Montfaucon. pag. 524. (*c*) Cap. 47. n. 5, 6, 9, 10, 11, 15. & cap. 48. n. 1.

Digitized by Google

quippe hæc tradidit (*a*): „ Si quidem tanta millia hominum protectioni, ac interceſſioni Beati Apoſtolorum Principis Petri ex omnibus finibus terræ properantium, ſe ſe quotidie conferunt, & uſque in finem vitæ ſuæ apud ejus limina ſemet manſuros proponunt, ut præter illud, quo vas e cælo ſubmiſſum, in quo cunctorum oſtenſa ſunt eidem Beato Petro horum omnium rectori animantium genera, Catholicam ſignat Eccleſiam, etiam ipſa ſola Romanorum Urbs, apud quam ejuſdem Apoſtoli corporalis præſentia ſedule veneratur, ipſius vaſis cunctas dignoſcatur in ſe continere univerſorum animalium (quę homines intelliguntur ſpiritualiter) nationes. „

12 In Codice legitur ad hunc modum: *Saltim rei eorum occurrere feſtivitate*. Sed certum errorem cum per conjecturas emendare non valuerim, malui eum Lectori ſubjicere, ut ipſe per ſe emendet.

13 *Tueri*, id eſt defendi. Paſſive quidem raro ſumitur verbum hoc, aliquando tamen ſumitur, hujuſque rei duo exempla præbet Lexicum Facciolati.

14 Audi, quid hoc de argumento tradat Leo Magnus (*b*): „ De quo pręſidio, dilectiſſimi, divinitus nobis ad exemplum patientiæ, & confirmationem fidei præparato, univerſaliter quidem in omnium Sanctorum commemoratione lætandum eſt, ſed in horum excellentia Patrum merito eſt exultantius gloriandum, quos gratia Dei in tantum apicem inter omnia Eccleſiæ membra provexit, ut eos in corpore, cui caput eſt Chriſtus, quaſi geminum conſtrueret lumen oculorum.... ſicut autem & nos experti ſumus, & noſtri probavere majores, credimus atque confidimus, inter omnes labores iſtius vitæ, ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adjuvandos: ut quantum propriis peccatis deprimimur, tantum apoſtolicis meritis erigamur. „

15 Deeſt in Codice vox *die*, quam, niſi mea me fallit opinio, negligens amanuenſis præterivit: eam ex conjectura ſane probabili addidi.

16 Qui omnino parem *in dignitate*, ac *principatu Eccleſiæ* Apoſtolo Petro Paulum aſſeverant, hoc ipſo loco facile revincuntur.

17 Conſule quæ tradidimus in præfatione, & annotatione (*a*) præfationi appoſita.

18 Adi n. 7.

19 *Coronam* appellare ſolent Eccleſiaſtici ſcriptores id ipſum, quod hic Pontifex *bravium* appellat, imitatus ſcilicet allegoriam Apoſtoli Pauli (*c*): *Neſcitis quod ii qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt, ſed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis*, præmium ſcilicet curſui tributum. Qua etiam ſignificatione hæc alibi (*d*) ſcribit: *ad deſtinatum perſequor, ad bravium ſupernæ vocationis Dei in Chriſto Jeſu*.

20 Deeſt ob amanuenſis indiligentiam vox *celebritatis*, quam adjungendam duxi. Si *celebritas*, aut alia affinis vox magis Lectori placuerit, eamme non invito ſubſtituat. Recole porro quæ in præfatione, & annotatione (*c*) præfationi appoſita, ea pariter, quæ n. 1 tradidimus.

21 Adi dicta n. *6*. Si *in hanc aulam* legendum putes, fac quod libet. Sed certe *in hac aula* habet codex: neque rara hujuſce ſyntaxis exempla ſunt apud ſcriptores illorum temporum.

22 Fortaſſe legendum eſt *præſtantiſſimam* (au-

(*a*) Epiſtola IX ad Michaelem Imperatorem Tom. IX. Concil. pag. 1316. ſed verba alleg. extant. pag. 1336. & 1337.
(*b*) Serm. I. in feſtivit. Apoſtol. Petri, & Pauli (in ſerie Queſnelli 80) n. 7.
(*c*) I. Corin. IX. 24. (*d*) III. Philip. 14.

Digitized by Google

(aulam ſcilicet, ſeu Eccleſiam). Quia tamen ea etiam lectio, quam Codex habet, commode admitti poteſt, immutare eam nolui.

23 Diu hæſi, num ſubſtituerem *omnis mundana cogitatio*; num potius poſt voces has *omnis mundanæ cogitationis* nonnulla puncta ponerem, quibus hiulcum deficientemque hac in parte Sermonem innuerem, omiſſo ſcilicet per negligentem amanuenſem nominativo aliquo, quo regerentur ſubſequentia verba, *omnis mundanæ cogitationis*. Sed quia ferri utcunque poteſt hæc ipſa Codicis lectio, eam retinui. Subſtituat, emendetque, ſi illi libuerit, Lector.

24 Raro adhibita eſt vox hæc a latinis. Citatur tamen in Lexicis Symmachus.

25 Petrum, & Paulum Apoſtolorum Principes ſæpe appellat Eccleſia, veluti in valde uſitata antiphona: *Glorioſi principes terræ quomodo in vita ſua dilexerunt ſe, ita & in morte non ſunt ſeparati*. Ac facile quidem id de Petro intelligimus. At cur Paulus ea appellatione dignetur, Theologi diligentius perquirunt. An quia *Doctor gentium conſtitutus* in earum prædicatione aſſecutus eſt, ut primus haberetur, non dignitate quidem Apoſtolatus, & ſupremi Eccleſiæ regiminis, quod uni Petro tributum erat, ſed prædicationis amplitudine & tolerantia laborum, ideoque & paris martyrii? Ego quidem his facile aſſentiar, id indicante Apoſtolo ipſo Paulo iis verbis (*a*): *Cum vidiſſent, quod creditum eſt mihi evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis: (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes* &c.)

26 Multa de Inſulis tradunt Lexica Facciolati, Ducangii, & fortaſſe etiam alia, quibus conſtet magiſtratuum, præſertim ſacrorum, ornamenta, atque inſignia eas eſſe. Conſule, quæ dixi, Lexica.

27 Hiſtoriam hanc totam deſcribit caput IX Actorum, ad quod Lectorem allego. Copioſe eo de argumento diſſerunt Patres, ac præſertim Chryſoſtomus homilia IV *De laudibus Pauli* (*b*).

28 Num ad hunc modum ſermo terminaretur, num potius brevi aliqua prece ad Dominum fuſa, qua ille ea de re laudaretur, anceps hæreo. Poſtremam hanc conſuetudinem innuere videtur concluſiuncula nonnullorum veterum ſermonum *Converſi ad Dominum* &c. qua quidem indicatur ſolitos fuiſſe eos, qui ad populum in ſacris conventibus verba facerent, illa, qua dixi, prece ſermoni finem imponere.

(*a*) Ad Galat. II. 7. (*b*) To. II. pag. 490.

Digitized by Google

JOANNES CHRYSOSTOMUS TROMBELLI

LECTORI.

SErmo, quem nunc damus, ex illo ipſo vetuſtiſſimo, & nobili Bibliothecæ noſtræ codice (*), qui Lactantii Opera continet, deſumptus eſt, vetuſtiſſimo ipſe quoque charactere conſcriptus; quem paucis ab hinc annis una cum quibuſdam veteribus Litaniis edidi (*a*). Ubi ſe primum obtulit, illum ſtatim eſſe putavi, quem Hadrianus Pontifex (*b*), & Pariſienſes Patres (*c*) allegant, tribuuntque Auguſtino; ſed poſtquam illum contuli cum fragmentis, quæ ex eodem ſermone ſuperſunt, agnovi ſtatim plane diverſum ab eo eſſe. At cuinam adſcribam, anceps hæreo: etenim cum ex ſtylo tantummodo illius auctor dignoſci poſſit, cum vetuſtiorum Patrum Sermonibus illum contuli, ut aliorum comparatione quid veriſimilius judicari poſſet, aſſequerer. Tres porro comperiſſe mihi viſus ſum, quorum alicui tribui is poſſit. Leonem nempe Magnum, Maximum Taurinenſem, & Petrum Chryſologum. Compara, obſecro, humaniſſime Lector, Sermonem hunc cum eorum ſermonum portionibus, quas deinceps tibi exhibebo. Exſcripſi porro illum diligentiſſime, adeo ut ipſos amanuenſis errores in priore illius exemplari retinuerim: addidi tamen exemplar aliud, in quo ex ingenio eoſdem errores emendavi. Si quid veriſimilius cuipiam appareat, libere proferat, meque facile ſapientum dictis annuentem inveniet.

INCIPIT DE ABRAHAE FILIUM.

PIa quidem, & ſpiritalis tranquillitas Domini quae per Patriarchas noſtros manifeſtata ſunt Abraham magis probatus eſt dum Deo filium non praeponit ne pietate perverſa cum caeleſtis Patris no... offendit meritum terreni parentis omittere quae rogo nova patientia eſt iſta virtutis non timet parricidium pro religione ſuſcipere. Immo nec putat eſſe parricidium quod Deus voluerit imperare ecce paratus eſt altaria pio cruore perfundere ſi tamen patiatur ipſe qui iuſſit porto manibus ignem ſine furoris amentia innocens parricida portat gladium contra ſanguinem ſuum qui Filio ſuo neſciebat eraſci ad ve-

INCIPIT DE ABRAHÆ FILIO.

PIa quidem, & ſpiritalis tranquillitas Domini, quæ per Patriarchas noſtros manifeſtata eſt. Abraham magis probatus eſt, dum Deo filium non præponit, ut pietate perverſa cum cæleſtis Patris numen offendit, meritum terreni Patris amitteret. Quæ ergo nova patientia eſt iſta virtutis? Non timet parricidium pro religione ſuſcipere; immo non putat eſſe parricidium, quod Deus voluerit imperare. Ecce paratus eſt altaria pio cruore perfundere, ſi tamen patiatur ipſe qui juſſit. Portat manibus ignem. Sine furoris amentia innocens parricida portat gladium contra ſanguinem ſuum, qui filio ſuo neſciebat

(*) De eo codice lege quæ ſcribit Montfauconius in Diario Italico, cap. 17 pag. 409.

(*a*) in tom. 32 opuſculorum a Patre Calogera collectorum, pag. 246.

(*b*) in epiſtola ad Carolum Magnum pro defenſione Nicænæ II Synodi, ſect. ſeu parte 3 cap. 5 pag. 1586 tom. 8 Concil. Edit. Albritii.

(*c*) in eo libello, qui inſcribitur *Synodus Pariſienſis de Imaginibus*, cap. 15 pag. 81.

Digitized by Google

vero ipſi puero futuri ſupplicio honus imponitur & innocentibus membris propria poena parabitur ſed Deus reſpexit vota pietatis quibus prouare voluit Abraham non ſibi qui ſciebat ſed hominibus qui occulte cordis ignorant ecce repente pro filio agnus apparuit revocatur pater a vulnere ut peculem ſacerdos poſſit occidere ſic in oſtia ligitima cumvertitur parricidium ſuffecerat enim deo devotio comprovata quid ergo dicimus numquid ſanguinem pecodum delectatur divina climentia quae ſimplici ratione contenta ſemper fuiſſe cognoſcitur non hoc eſt ſed in perſona ſancta futura Dei paſſio diſignatur nam in ſimplicitudine agni pro hominibus Chriſtus occiditur ſicut ipſe Abraham patres omnipotentis filium gentibus immolandum non dubitabit offerre praeſertim cum crucis imaginem habuit puer qui ligna portabit hoc eſt quod pro Iſac immolatus eſt agnus neſcio cujus magis videatur eſſe laudabilis pater non timet orbitatem filius non recuſat interitum nec timet armatam dexteram innocentibus oculis mittere ligantur ei manus non exclamat quid pro me fuit pater aut quid aliquando commiſit ſperabat enim ſe ad Dominum poſſe migrare ſi hoſtia Dei ſe ... potuiſſet implere tanta enim in te eſt ſecuritas quaſi praeſcius eſſet quod Deus aliut voluerit ſacrificium imperaret unde vos fili patris voſtri Abrahae devotione & fide extantis qui pro Deo filium non timuit immolare ut nobis relinqueret devotionis & timoris exercitium ut fili Dei eſſe poſſimus per Chriſtum Dominum.

bat iraſci. At vero ipſi puero futuri ſupplicii onus imponitur, & innocentibus membris propria pœna paratur. Sed Deus reſpexit vota pietatis, quibus probare voluit Abraham non ſibi, qui ſciebat (*a*), ſed hominibus, qui occulta cordis ignorant. Ecce repente pro filio agnus apparuit: revocatur pater a vulnere, ut pecudem ſacerdos poſſit occidere. Sic in hoſtiam legitimam convertitur parricidium; ſuffecerat enim Deo devotio comprobata. Quid ergo dicimus? Numquid ſanguine pecudum delectatur divina clementia, quæ ſimplici ratione contenta ſemper fuiſſe cognoſcitur? Non hoc eſt, ſed in perſona ſancta futura Dei paſſio deſignatur: nam in ſimplicitudine agni pro hominibus Chriſtus occiditur, ſicut ipſe Abraham Patris omnipotentis Filium gentibus immolandum non dubitavit offerre; præſertim cum Crucis imaginem habuerit puer, qui ligna portavit. Hoc eſt quod pro Iſaac immolatus eſt agnus. Neſcio quiſnam (*b*) magis videatur eſſe laudabilis. Pater non timet orbitatem: filius non recuſat interitum, nec timet armatam dexteram innocentibus oculis mittere. Ligantur ei manus: non exclamat: Quid promerui (*c*) pater, aut quid aliquando commiſi? Sperabat enim, ſe ad Dominum poſſe migrare, ſi hoſtia Dei ſe potuiſſet implere (*d*). Tanta enim in ſe eſt ſecuritas, quaſi præſcius eſſet, quod Deus voluerit aliud ſacrificium imperare. Unde vos filii Patris noſtri Abrahæ devotione, & fide exiſtatis, qui pro Deo filium non timuit immolare, ut nobis relinqueret devotionis, & timoris exercitium, ut filii Dei eſſe poſſimus. Per Chriſtum Dominum &c.

S. Leo-

(*a*) Supple *illum*, aut aliud affine. (*b*) aut potius *cujus virtus*.
(*c*) Hæc divinando ſubſtitui: ſi quid veriſimilius lectori occurrerit, illud ſubſtituatur.
(*d*) Aut aliqua hic deſunt, aut ſic legendum fortaſſe eſt: *ſi hoſtiam Dei ſe potuiſſet offerre*; aut potius: *ſi hoſtia Dei ſe potuiſſet impleri* (ideſt *ex ſe*, ſeu *per ſe*). Alia procul dubio deeſſe videntur: etenim ad Abrahamum ſubſequentia pertinent, ſuperiora ad Iſaacum.

S. Leonis Sermo II. in Epiphania, n. 3. & 4.

MErito igitur, dilectiſſimi, dies iſte manifeſtatione Domini conſecratus, ſpecialem in toto mundo obtinuit dignitatem, quæ in cordibus noſtris digno debet ſplendore clareſcere: ut rerum geſtarum ordinem non ſolum credendo, ſed etiam intelligendo veneremur.... Quæ iſta, Judæi, tam imperita in vobis ſcientia eſt, & tam indocta doctrina? Interrogati, ubi Chriſtus naſceretur, veraciter, & memoriter dicitis, quod legiſtis: In Bethleem Judæ... *Et ne de loco editi Regis ambigerent, veſtra eruditio prodidit, quod ſtella non docuit. Cur vobis viam, quam aliis aperitis, obſtruitis? Cur in veſtra infidelitate reſidet dubium, quod ex veſtra fit reſponſione manifeſtum? Locum nativitatis de Scripturarum teſtimonio demonſtratis, præſentiam temporis de cæli, & terræ atteſtatione cognoſcitis: & tamen ubi ad perſequendum animus Herodis exarſit, ibi ad non credendum veſter ſenſus obduruit... Unde cohortamur dilectionem veſtram, ut abſtinentes vos ab omni opere malo, quæ ſunt caſta & juſta ſectemini... Decet enim, ut capiti ſuo membra conveniant; ut promiſſarum beatitudinum mereamur eſſe conſortes. Per Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum &c.*

S. Maximi Taurinatis Sermo IV. in Paſcha (Tom. IV. Anecdot. Cl. Muratorii pag. 8.)

VEneranda paſſio Salvatoris noſtri, atque ab inferis ejus mirabilis reditus atteſtatur, divinam illi, humanamque fuiſſe ſubſtantiam. Quis enim dubitet, ineffabiliter eum filium Dei, filiumque eſſe hominis, qui potuit, & mortem perpeti, & morte devicta ſemetipſum ſuſcitare de tumulo? Nam ſuſcepta carne de Virgine, ne quam in fide noſtræ confeſſionis nebulam pateremur, toto prædicationis ſuæ tempore verum ſe revelabat Deum, perfectum oſtendebat & hominem. Flebat quippe ut noſtro dolore mærens, ſed ut ſua virtute potens miſeratus cæcorum tenebras; huic needum formatos faciebat oculos, illi reddebat amiſſos; Navigans cum diſcipulis ſuis, ſomno hominis dormiebat in puppi, ſed conſciæ majeſtatis imperio inſurgentium fluctuum moles, minaceſque ventos ſerena protinus tranquillitate compeſcuit. Moriturum ſe, ut temporalis vitæ homo ſæpiſſime teſtabatur: Sed ut æternus Deus, refuſo in corpora vitali ſpiritu, ad lucem mortuos redire præcepit.... Et ideo, fratres, illud unum nobis eſt ſalutare, ut metientes noſmetipſos, & pectoris noſtri anguſtia, quæ ultra modum ſe efferunt, caſtigantes, veri Dei, cujus potentiam probamus, ſequamur in omnibus voluntatem: Qui vivit, & regnat &c.

Sermo I. S. Petri Chryſologi.

HOdie nobis Dominus patrem cum filiis duobus vocavit, & produxit in medium, ut immenſum ſuæ pietatis indicium, ſævam Judaicæ gentis invidiam, reditum ſupplicem populi Chriſtiani pulchram panderet per figuram.... Quantum pius pater, tantum hæres impatiens, qui patris fatigatur ad vitam, qui patris,

quia

quia tempus adimere non poteſt, nititur auſerre ſubſtantiam ... Sed quæramus, quæ res filium rapuit hos ad auſus, ad petitionem tantam fiducia quæ levarit. Quæ res? Illa ſcilicet qua cæleſtem patrem ſciebat nullo claudendum fine, concludendum tempore nullo, nulla mortis poteſtate ſolvendum. Et ideo cupit vivendi libertate gaudere, qui ditari non valuerat facultatibus decedentis.... Adoleſcentior iſte plane non ætate, ſed ſenſu: qui congregavit bona patris, & abiit longe plus mente, quam loco: ut dato, non accepto pretio, miſeræ ſe venderet ſervituti. Sic mercator ad talem contractum pervenit, qui parenti debitum neſcit ſolvere, qui vicem neſcit redbibere generanti. Eſt penes patrem dulcis conditio, libera ſervitus, abſoluta cuſtodia, timor lætus, blanda ultio, paupertas dives, ſecura poſſeſſio... Quam crudele miniſterium! quia neque convivit porcis, qui vivit porcis. Miſer qui ſqualentis pecoris deficit, & eſurit in ſaginam. Miſer qui ſqualentis cibi cupit, nec impetrat qualitatem &c.

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA IN ROMA

F I N I S.

Digitized by Google



Salvator Mundi, salva nos

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA DI ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google